

SANCTISSIMI  
DOMINI NOSTRI  
BENEDICTI  
PAPÆ XIV.  
CONSTITUTIONES SELECTÆ,

NEC NON BULLÆ, DECRETA, EPISTOLÆ, &c.  
PAROCHIS, CONFESSARIIS,  
*Omnibusque Animarum Pastoribus Utiliores  
ac Necessaria,*

IN QUIBUS  
THEOLOGIÆ MORALIS AC DOGMATICÆ.

Præcepta vere perspicua, ex Scripturis præcipue, ac Sacris  
Canonibus traduntur.

PARS SECUNDA.



VENETIIS, MDCCLXXIII.  
TYPIS VINCENTII RADICI  
SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMI  
DOMINI NOSTRI  
BENEDICTI  
PAPAE XIV.  
CONSTITUTIONES SELECTAE

IN QUIBUS  
THEOLOGIA MORALIS AC DOGMATICA  
PRAECIPUE TRACTATUR  
ET QUAE AD  
CURIAM ROMANAM  
PERTINENT  
SACROSANCTAE  
CONGREGATIONIS  
SACRAE THEOLOGIAE  
CONSTITUTIONES  
SACROSANCTAE  
CONGREGATIONIS  
SACRAE THEOLOGIAE  
SACROSANCTAE  
CONGREGATIONIS  
SACRAE THEOLOGIAE



VENETIIS, MDCCCLXXII  
LUDOVICUS VINCENZOTTI HÆREDI  
SACRÆ THEOLOGIAE



PONT.

N U M. LXIII.

ANNO

A. VIII.

AD ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS

1748

Ditionis temporalis Pontificia super Bacchanalibus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

INTER cetera bene multa, quæ nos vehementer commovent, cum in hoc Nostræ Pontificiæ Ditionis Statu Bacchanalia tolleramus, duo præcipua sunt, de quibus religiosiores quidam ejusdem Ditionis Episcopi Nobiscum, aut verbis præsentibus, aut absentes Epistolis conquesti sunt. Primum illud est, quod vigiliæ, choreæ, ludi ultima Bacchanalium nocte celebrari solet non semel usque ad primum Quadragesimæ diluculum producantur, ita ut multi sint qui ab hujusmodi choreis, ludis, vigiliis discedentes, deposita quidem larva, iisdem vero induti vestibus, quibus personati quaquaversus processerant, Ecclesiam subeant, Divinis Mysteriis intersint, Sacros Cineres de more accipiant; domum deinde redeunt dormiant, plerumque totum mane primi Quadragesimalis diei, nec dubitent Episcopum nimix severitatis arguere, si palam queratur, ac tum maxime, si pœna velit aliqua in id criminis animadvertere. Nos illud deinde commovet, quod in aliquas Status Ecclesiastici Civitates aut irripere videatur, aut paucis abhinc annis irreperit perversa hæc consuetudo, quæ mordicus conservatur, ut Festis quoque diebus personati homines pervagentur; Circulatores autem, & id generis blaterones majori spectatorum frequentia, diebus Festis, quam ferialibus populum ludificent; iisdem demum diebus saltationes, & choreæ publicæ, ac per summam licentiam celebrentur.

Primi ut abusus perversitas ostendatur, nulla prorsus argumentatione opus est, cum sola illius commemoratio tanti momenti sit, ut ab eo cujusquam debeat animus abhorre. Et quoniam illorum, qui criminis partes, ac vitii sustinent, hoc solet propugnaculum esse maximum, complures nempe tamen Episcopos extitisse sanctitate clarissimos, qui hæc cum cernerent, tacuerunt. Nos facti ejusmodi, quod perperam plerumque asseritur, nec evincitur, non inquirimus veritatem, & argumenti loco esse deducimus responsonem celeberrime cujusdam Catholicæ Universitatis, quæ rogata sententiam de quodam Festo scandali pleno, quod vulgo *fatiorum* appellabatur, quodque aliquibus in Dicecesibus sustinebatur, utpote multis ab Episcopis tolleratum, non solum illud censuris damnandum censuit, sed objectum etiam argumentum refellens, hæc prudenter addidit: *Nolite subdolas hominum voces audire, sic dicentium: Prædecessores.*

PONT. cessores Nostri, qui erant notabiles Viri reputati, istud permiserunt; sufficit nobis ANNO  
vivere, ut ipsi: Proculdubio istud argumentum diabolicum est, infernalis hæc per-  
A. VIII. suasio: vos illorum exitum ignoratis, an bonus, vel malus fuerit. 1748

Hujus Universitatis censuram refert per extensum, ut dicitur, Joannes Sa-  
varonius in Appendice Operum Petri Blesensis pag. 782. & in tractatu Gallico  
Idiomate contra larvas conscripto pag. 32. & seq. Quamobrem Vobis omnibus,  
Venerabiles Fratres, omni cura mandamus, ut in Diocesibus, ubi hujusmodi  
scandalum aut jam pridem invaluit, aut eidem aditus aperitur, nullam operam,  
nullumque studium prætermittatis, ut hæc morum perversitas ubi deest, per-  
petuo desit, ubi autem invaluit, penitus extirpetur, ac funditus evellatur,  
illiusque auctores, defensoresque nulla rerum humanarum ratione habita acer-  
rime puniantur. Neque enim omnino decet hoc modo Quadragesimam inchoare,  
uti exclamat S. Basilius Hom. 3 de jejunio Paris. edit. Anno 1722. tom. 2. p.  
13. Quorum autem primitiæ rejiciuntur, aut dubium, quin in his totum quoque sit  
rejiendum Et pag. 15.: Hodiernos dies vestibulum est jejunium; neque vero, qui  
in vestibulis prophanatur, dignus est, qui ad Sancta introeat. Nimis enim honori  
Ecclesiæ debito, sacraque Ritui suscipiendarum Cinerum nimis adversantur ii,  
qui tamen absque larva, vestibibus tamen personatarum propriis Domum Dei  
ingrediuntur, ad Altare accedunt, ut Sacris Cineribus a Sacerdote aspersi de  
feria mortis cogitatione admoneantur.

Ad illud interea, quod est secundo loco propositum, accedentes; fatemur,  
minime Nobis statutum animo esse, aut in Bacchanalia invehî, aut de eo-  
rumdem impudentia dissertationem historicam instituere. Quod facere si veli-  
mus, profecto haud incommodè possemus, exscribentes nimirum ea, quæ in  
hanc rem S. Carolus Borromæus egregie composuit in suo Libro Memoriali  
edito in septima parte Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, ea scilicet tempesta-  
te, cum illa Civitas a peste importunissima liberata fuit, & Pastor optimus  
Populum studiose sapienterque hortatus est, ut in publicam grati animi mo-  
numentum, Bacchanaliorum consuetudinem abrogaret. Huic quoque Epistolæ  
adjungi possent, quæ Monachus de l' Isle in suo recenti tractatu de jejunio lib.  
VI. cap. 6. satis erudite scripsit, ubi de Ethnicorum Bacchanalibus disserens  
ostendit, quantum nostrorum hæc Bacchanaliorum importunitas sanctissimis Chri-  
stianorum moribus adversetur. Verumtamen satis Nobis erit exponere ea,  
quamvis ægre ab Ecclesia tollerari, ut omnis aditus malis longe gravioribus  
intercludatur, quemadmodum post solitam, doctamque argumentationem, con-  
cludit celebris quiesque Theologus Thomas Staplenonus in sua Oratione octava  
contra Bacchanalia tom. 2. suorum Operum p. 556.; Maximum vero discrimen in-  
terdecere inter ea, quæ præcipiuntur, & ea, quæ permittuntur: Aliud est,  
quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod emendare præcipimur, & do-  
nec emendemus, tollerare compellimur: Verba sunt S. Augustini lib. XX. contra  
Faustum cap. 21. Unde constat, in rebus utcumque ab Ecclesia tolleratis, nul-  
lum amplificationi, nullum arbitrio esse locum.

Sapientissime in hac Urbe a Nostri Prædecessoribus sancitum esse comperi-  
mus, ut quamvis perpauca dies Bacchanaliorum licentiæ concedantur, tamen  
diebus Festis, ac sexta feria nemini omnino liceat larvam sumere, ac publice  
debacchari. Idem prorsus in reliquo Nostro Statu observari jubemus, & vo-  
luntatis Nostre Cardinales Provinciarum Legatos, Præfules, Locorumque Gu-  
bernatores, certiores facere non prætermittemus; id etiam enixe cupimus,  
nullum Ecclesiæ diem festum Circulatorum levitate, ac licentia perturbari; il-  
la enim Ista verba semper Nobis ante oculos obversantur cap. 1. Kalendas ve-  
stras, & Solemnitates vestras odiovit anima mea: facta sunt mihi molesta, labora-  
vi sustinens: Et illa Malachiæ cap. 2. Dispergam super vultum vestrum sterco So-  
lemnitatum vestrarum. Sed quoniam ab hominibus, quæ expectantur, illico im-  
petrari haud facile possunt, etiam si justa sint; ideo significamus mentem hanc  
esse

PONT. esse nostram, idque pro regula habendum, ut in Urbium, Oppidorumque pla- ANNO  
 A. VIII. teis, vel quibuscunque in Locis, nec mane, nec vespere diei festi Circula-  
 tores adfint. Quod si hujusmodi abusus alicubi tollerari consuevit, nunquam 1748  
 matutino tempore permittatur; horis quoque pomeridianis, quantum fieri po-  
 test, removeatur. At si id sine gravi aliquo incommodo integre fieri ne-  
 queat, nunquam supradicta, aut id generis solatia tollerentur, nisi post ex-  
 plecta Vespertina Officia, & Doctrinam Christianam: de qua quidem re no-  
 strum erit, Cardinales Legatos, & Urbium Gubernatores etiam, atque etiam  
 admonere.

In tali rerum statu hanc plane rationem ineundam sibi judicavit S. Carolus  
 Borromæus in suo primo Concilio Provinciali *part. 1. tit. De festorum dierum  
 cultu*, cujus Decretis addenda sunt ea, quæ ab eodem Pastore in Concilio III.  
 Provinciali sub eodem Titulo statuta sunt. Hoc item Clemens XI. *fel. record.*  
 inculcavit duabus Literis ad plurimos eodem exemplo datis, altera scilicet die  
 II. Januarii 1719., altera 4. Januarii 1721., quæ in ejus Bullario *pag. 553.*  
 undecima sunt & duodecima. Ac dum S. Caroli Borromæi vestigiis, quibus  
 institit clarissimus Prædecessor Noster, Nos libenter inhærere fateamur, illud  
 monitos omnes volumus, quod cum res desuper enarratas vetamus, interdicto  
 non liberamus cætera omnia, quæ Sacris Canonibus, Constitutionibus Aposto-  
 licis, Conciliis aut Provincialibus, aut Diœcesanibus, quoad Bacchanaliorum  
 solatia, prohibentur, & præcipue quoad Ecclesiasticos viros; nunquam enim  
 oculos a Concilio Tridentino deflectimus, quod *sess. 22. c. 1.* postquam Sacro-  
 rum Canonum mentionem fecit, qui Ecclesiasticum luxum, convivia, choreas,  
 aleas severe prohibent, sic Episcopos alloquitur: *Siqua vero ex his in desue-  
 tudinem abisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus  
 accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscunque: ne sub-  
 ditiorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, penas persolvant.*

Cuiuslibet in Ecclesiastica disciplina paulum versato facile compertum erit,  
 quasdam Ethnicorum veteres fuisse superstitiones, quæ Kal. Januarii in hono-  
 rem Jani, & Deæ Streniæ instituebantur, quibus aliquando Christiani intere-  
 rant, crapulæ, ludisque dediti, ac mulieres virorum, viri mulierum personas  
 induebant: Nec Sanctos Patres in suis sermonibus, nec in suis Conciliis Ec-  
 clesia in tam pravum morem invehi prætermisit, quin etiam pœnas reis gra-  
 vissimas indixit. De qua quidem re jam disseruimus in Nostro Opere de Fe-  
 stis Domini, cum de Circumcisione Christi Domini ageremus.

Pravissima hac consuetudine funditus extirpata, altera enata est, spectans  
 videlicet ad quasdam publicas relaxationes, quæ plerumque hebdomadis Septua-  
 gesimæ, Sexagesimæ, & quinquagesimæ celebrantur, in quibus Ecclesia præ-  
 cipua Redemptionis nostræ mysteria meditanda nobis proponit, nos ut efficiat  
 ad quadragesimalis temporis severitatem alacriores, quod & a Nobis fuit de-  
 monstratum in *Notificatione XIV. Tom. 1.* inter eas, quas edidimus, cum Bo-  
 noniæ moraremur illius Ecclesiæ Moderatores. Ea vero consuetudo est Baccha-  
 naliorum scœditas, & corruptela, quam sic describit claræ memoriæ Episcopus  
 Gratianus in sua Synodo Ameriæ habita 1595. *pag. 50.* *Hinc factum ( adeo  
 Nos prava pervertit consuetudo ) ut Septuagesimam inter & Quadragesimam inter-  
 jecti dies, quos Sancta Mater Ecclesia magno Mysterio veluti lugubres, funebres-  
 que habet, prævalens lasciviæ risus, hilaritatis amor, non in lætitiâ solum in-  
 conditumque gaudium verteret, sed pene communi cuidam insanitiæ dedicavit, eo-  
 que provecta licentia sit, ut ipsas quoque leges, ipsos Magistratus traxerit, & quod  
 ne privato quidem cuiquam ulla bene morata Civitas concederet, id penitus jam  
 publica auctoritate nitatur, & populi veluti obliti nominis, quo feruntur, in ipsos  
 prophanarum gentium ritus moresque degenerarunt. Quamobrem illustris Gislenius  
 Busbequius, qui medio sæculo IV. Ferdinandi I. Imperatoris ad Solimanum  
 II. Orator fuit, scriptum reliquit, Turcarum Legatum postquam Bacchanalio-  
 rum*

PONT. rum tempore in quadam Christianorum Regione moratus esset, Constantinopoli reversum retulisse, certo anni tempore Christianos suos impotes insanire; ANNO  
 A. VIII. tum cujusdam pulveris arcana vi, quo eorum capita conspergebantur, redire 1748  
 ad bonam mentem, ac respicere consuevissent; *Ut non frustra creditum sit hominem Turcam, qui eo tempore ad Nos publici negotii causa Legatus venisset, domum reversum, retulisse, Christianos certis diebus bacchari, & furere, donec generare quodam cineris in Templo respersi redirent ad se, & convalescerent.*

Nec huic morum pervertitati Ecclesia, ut potuit non opportune consuluit, & semper, precibus, operibusque piis enixe Dei præsidium imploravit, ut pœnas impiis debitas differret, & omnipotenti auxilio suo huic malo remedia præberet: atque inter cætera pietatis opera ad hunc finem directâ, illud fuit, ut quædam Religiosorum Familiæ a carnibus abstinere, & laticiniis solummodo vesci consueverint a die Dominica aut Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, usque ad diem Cinerum, ideoque Bacchanalia *Carnisprivium*, nuncupantur, & in Missa Mozaraba Dominica Sexagesimæ Dominica ad tollendas carnes appellatur.

Alia quoque Religionis opera furente Bacchanalium insania a SS. Viris egregie sunt institutæ, inter quæ publica, & solemnitas illa est consuetudo, cujus Auctor S. Philippus Neri exiit, septem scilicet hujus Urbis Ecclesias invivendi cujus instituti meminit Baccius in ejus Vita. Nostri autem Prædecessores, ut in his diebus Fidelium animos ad Sacramenta suscipienda inflammarent, plurimas Indulgentias impertiverunt. *Nupero sed saluberrimo invento, Pontifices Summi, de promptis de Thesauris Ecclesiæ largitionibus, Fideles ad incensam pietatem per Sacramentorum participationem in diebus illis (de Bacchanalibus loquitur) frequentandam excitant, & ut se dant initia, spes est diabolium inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes:* Verba sunt hæc Theophili Raynaudi tom. XVI. Oper. suor. pag. 412. num. 41.

Vestrum est igitur, Venerabiles Fratres hanc viam tenere, & ad hanc suscipiendam vestro exemplo cæteris incitamento esse. Præsertim vero Divinis Officiis Bacchanalium tempore quotidie vos interesse cupimus, Sacrosanctum Missæ Sacrificium coram Populo celebrare, Ecclesias, & Xenodochias invisere, & Eccl. sialicos homines, Laicosque vobiscum ad id muneris invitare: hujusmodi enim comitatus, & sanctus erit, maximeque laudabilis. Curandum præterea a Vobis est, ut in una, aut in pluribus Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per triduum publico cultui exponatur, & quotidie Populo ad Vesperam benedicatur, in Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ hebdomadis, aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus, hac nostra Epistola circulari, plenariam Indulgentiam concedimus, quæ a vobis solitis formulis promulgabitur, quæque cum ad opus pium directâ sit, non impeditur alia plenaria Indulgentia, quam Ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culpæ veniam impertimus quibuslibet Christianis, qui Pœnitentiæ, & Sacra Synaxi rite muniti, singulis diebus Augustissimum Christi Corpus visiterint, Deum orantes juxta Ecclesiæ mentem, quam desuper exposuimus.

Apostolicum hoc Nostrum munus exigebat, ut Vobis hanc Epistolam conscriberemus. Vestrum exemplum, qui Nobis propinquiores estis, longinquiores impeller, ut ad Nos recurrant; qui sane eos omni, qua possumus, operam juvabimus, eademque indulgentias, ipsis, eorumque Diccelsibus, concedere non gravabimur. Et demum Vos ex animo amplectentes, & Vobis singulis, Venerabiles Fratres, & Gregi Vobis commisso, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Kal. Januarii 1748. Pontificatus Nostri Anno VIII.

*Servando in Causis super nullitate Professionis Regularis.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I .

*Ad Perpetuam Rei Memoriam .*

**S**I datam hominibus fidem frangere , conversationesque eas , quæ ab humanis legibus robor accipiunt , abrumpere , ac violare non licet , multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari , Nosque præsertim , utpote sacrarum Legum custodes a Deo constitutos , oportet earum pactationum , quæ Divino & Ecclesiastico jure indissolubiles sunt , perpetuam firmitatem & observantiam asserere . Eam ob rem jam usque ab Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. Pontificatus Nostri II. Apostolicas Literas dedimus , incipientes : *Dei miseratione* , in Bullario Nostro deinde editas Tom. I. num. 33. quibus certum præscripsimus ordinem , in Tribunalibus Ecclesiasticis servandum , quum in ipsis discuti & definiri deberent Causæ , in quibus de nullitate alicujus matrimonii contracti ageretur ; non eo quidem consilio , ut si quod forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset , de illius nullitate judicium postulari , aut fieri prohiberemus ; sed ut in hoc gravissimo judicii genere , in quo de sacro Connubiorum fœdere agitur , pleniori veritatis elucidationi consuleremus ; utque Judices , non sine certissima cognitione omnium , quæ ad rem maxime conducunt , hujusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile sententiis suis , tamquam irritum ab initio , dissolverent . Cujus quidem Constitutionis utilitas , Deo favente , ad hunc diem aperte comprobatur ; quum ex eo tempore , neque tot Causæ super prætensa Matrimonium nullitate in Tribunalibus pendeant ; nec tam frequenter , ut antea , Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super Matrimonio rato & non consummato , dum scilicet ante omnium oculos propolita sunt difficultates paulo quidem majores sed omnino justæ , quæ , ex novo ordine a Nobis statuto , cuilibet superandæ se offerent , antequam optatum finem assequatur .

Quemadmodum itaque pro Matrimoniis carnalibus a Nobis provisum fuit , ita nunc de spiritualibus animarum nexibus , de Religiosis videlicet utriusque sexus Regularium Professionibus , pari ratione statuere decrevimus : nimirum certam normam , ac methodum tradere , quam observare debeant Judices Ecclesiastici , quoties judicia super nullitate in Professionum in aliquo Ordine Regulari a Sede Apostolica approbato factarum , coram ipsis agitari contingat ; neque id quidem ad hunc finem , ut aditus intercludatur iis , qui justis de causis hujusmodi actiones intentare velint , ac postulent , Professionem a se factam ex capite nullitatis irritam declarari ; sed ut ipsi Judices rerum veritatem in specie dignoscere , suasque sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant ; ac ne unquam , ex ignorantia factorum , aliquem decernant solutum vinculo , dum is forte , valida solemnium votorum professione emissa , Religioso Ordini , cui nomen dedit , re ipsa maneat adstrictus . Qua ex methodo a Nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus , ut & rationes in posterum in Tribunalibus futuræ sint Causæ super prætensa Professionum nullitate ; & qui deinceps hujusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint , & consequenter a Religione discesserint , non amplius anxia aut male tuta conscientia vivant , ac propterea ad Nos , aut ad Officium Pœnitentiariæ No-

PONT. stræ Apostolicæ, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato, ut moris est, in precibus nomine; fatentes sententiam super Professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto iudice, vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos Testes ideoque flagitantes, ut ex gratia & dispensatione Apostolica, facultas manenti in sæculo ipsis indulgeatur. ANNO 1748

Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factæ Professionis, de illius nullitate actionem promovent; & eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum Sacræ Tridentinæ Synodi *sess. 25. de Regular. cap. 19.* in hæc verba -- *Quicumque Regularis prætetendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætetenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario.* In quo sane decreto licet in litera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam scæminæ Religionem professæ comprehenduntur, quam, ex regulis juris, masculinum genus etiam scæmininum includat, ubi una eademque causa pro scæminis æque ac pro masculis militat. Quamvis autem Decreti verba satis clara sint, variæ tamen quæstiones circa eorum sensum ac vim excitatæ fuerunt.

Quum etenim ibi sermo dumtaxat sit de Regulari Professo, qui suam Professionem nullam fuisse contendat -- *Quicumque Regularis prætetendat se per vim & metum ingressum esse Religionem &c.* nihil vero expresse statuatur de ipsa Religione, cujus aliquando interest alicujus Alumni sui Professionem irritam declarari; ut si quis, exempli causa, comperiat occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod, eo forsan existente, & non patefacto, ipsius admissio a Religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in hujusmodi casu solus Superior Regularis sine Ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset Causa coram Regulari Superiore simul & Ordinario Loci, super quo Congregatio S. R. E. Cardinalium ad ipsius Conc. Trid. Interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constanter decrevit, Causas hujusmodi super nullitate Professionis, tam a Regulari Professo, quam a Religione, intra quinquennium in iudicium deductas, & a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci simul cognoscendas esse.

Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus Professionem, Sancta Synodus computandum voluerit *a die professionis*; cumque potior, atque communior causa, quæ pro nullitate Professionis adduci solet, in metu consistat; metus aut per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret; quæsitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die Professionis emissæ, an vero a die, quo Professus liberam reclamandi facultatem habere cœpit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu, concessum quinquennii tempus a die emissæ Professionis esse computandum.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæstio, an scilicet prædicti Ordinarius & Superior Regularis cognoscere possint Causas nullitati Professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe Professus intra illius decursum reclamaverit, sed iudicium prosequi deinde neglexerit aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram præfatis Iudicibus a Concilio memoratis agendam esse Causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra præscriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

De ipsis autem Iudicibus pro hujusmodi Causarum cognitione a Sancta Synodo designatis, per ea verba -- *coram Superiore suo, & Ordinario*; complures sumi-



PCNT. similiter motæ sunt quæstiones, quæ majori eorum verborum elucidationi cau- Anno  
sam dederunt. Et primo quæsitum fuit, quisnam censendus esset Superior Re-  
A.VIII. gularis in casu, & ad effectum, de quo agitur; utrum scilicet Provinciæ Re- 1742  
ctor, an Generalis Ordinis Moderator; Congregatio autem ejusdem Concilii  
Interpres definiivit esse Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardia-  
num, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Præpositum seu  
Rectorem illius Monasterii, aut Cœnobii, in quo reclamans Professionem emi-  
sit; eum nempe, qui hujusmodi Monasterii aut Cœnobii regimen exercet, quo  
tempore Causa super nullitate Professionis in judicium deducitur. Quæsitum  
item fuit, quisnam Monialium proprius Superior dicendus sit, ad effectum ju-  
dicandi una cum Ordinario de earum Professionis nullitate. Responsum fuit,  
quod, si agatur de Monialibus Ordinario Loci immediate subjectis, tunc, quum  
nullus sit earum Superior Regularis, solus Ordinarius judicat de Professione re-  
clamantium intra quinquennium: Si vero Moniales Regularium regimini sub-  
sint, tunc hujusmodi Causæ judicandæ sunt ab Ordinario loci, simul, & a Su-  
periore Regulari, ab eo nimirum, cui conceditum est universum Monasterii  
regimen, non autem a Confessario Regulari Monialium. Dubitandum est etiam,  
utrum Superior Regularis jus suum cedere possit Ordinario Loci; eique per-  
mittere, ut in hujusmodi Causis solus procedat, & judicet; Id autem prædi-  
cta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen Superiori Regulari, ut si  
judicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel Regula-  
rem, vel etiam Ecclesiasticum sæcularem juris Canonici petiitum, qui una  
cum Ordinario Judicis partes exerceat, Denique quæsitum fuit, si forte Ordina-  
rii & Superioris Regularis judicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex  
ipsis alteri prævalere debeat. At in hoc casu responsum fuit. Causam ipsam  
ad Apostolicæ Sedis judicium devolutam censei.

Quum vero inter capita nullitatis Professionem Regularem irritantia, unum  
etiam adnumeretur, si nempe aliquis Professionem emisit in Cœnobio ad  
Novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec-  
mem. Prædecessor Noster Clemens Papa VIII. Decreta de Regularibus a se edita  
vim habere mandavit; si quis ex hoc capite Professionem a se factam intra  
quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si Religio intra idem quinquen-  
nium postulaverit alicujus Professionem ex hujusmodi capite irritam declarari;  
decretum extitit a fel. record. Urbano Papa VIII. altero Prædecessore Nostro  
justis gravibusque de causis, ac de consilio præfatæ Congregationis Concilii  
Tridentini Interpretis, editum die v. Jan. anni MDCXXXVI. incipien. *ad oc-  
currendum*, quo statutum fuit, hujusmodi Causas ad eandem Congregationem  
privative pertinere. Hæc sunt potiora in hoc genere Decreta ex Regestis præ-  
laudatæ Congregationis excerpta, quæ licet alias a Prædecessoribus Nostis Ro-  
manis Pontificibus Apostolica Auctoritate non semel approbata fuerint, & con-  
firmata; Nos tamen eadem, præsentium Literarum tenore, atque Auctoritate  
simili, novo approbationis & confirmationis Nostre robore communimus, at-  
que ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro  
regula haberi, ac plenaræ executioni demandari præcipimus.

Quibus ita constitutis, firmataque pertinentia Causarum, quæ intra quin-  
quennium a die Professionis emittæ adversus illius validitatem introducuntur;  
consequens est, ut & ea indicemus quæ de ordine ac methodo in hujusmodi  
judiciis servanda, a Majoribus sapienter constituta sunt, tum ea proferamus,  
quæ Nec ipsi opportune addenda censuimus, quæque pati auctoritate, ac præ-  
sentium literarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus &  
mandamus. Jam de ipsa hujusmodi Causarum introductione notum est decre-  
tum ejusdem Concilii Tridentini, *cit. Sess. 25. cap. 19. de Regular. ut si quis  
antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam ad-  
mittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur;*

PONT. interim vero nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Ex quo sequitur Regularem ANNO  
 postulantem iudicium fieri de suæ Professionis nullitate, ab ipso iudicii limi-  
 A.VIII. ne repelli, nisi constet eum in Religionis suæ Claustris morari, & Habitum 1748  
 Regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinariosque Locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, iudicia sua fundare in extrajudicialibus attestationibus, quantumvis juramento firmatis, quæ ad perpetuam dicuntur; hoc tamen de cætero usurari prohibemus; volentes, atque districte mandantes, ut ad destruendas probationes in huiusmodi Causis necessarias, verus & judicialis Processus omnino conficiatur; in quo & Articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus Professionem agit; & Interrogatoria dentur ab ea parte, quæ stat pro ipsius Professionis validitate; & Testes tam super Articulis, quam juxta huiusmodi Interrogatoria examinentur; utque, hæc forma non servata, Processus ipse, & Sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio corrumpi censeantur; salva etiam dispositione juris communis, quoad alia nullitatis capita, si quæ forte in ipsa Processus compilatione intervenerint.

Sub eadem pœna nullitatis, decernimus atque statuimus, ut in hoc iudicio citari & audiri debeant tum Defensores Monasterii, seu Cœnobii, in quo Professus Vota Religiosa suscepit, tum ipsius Professi Consanguinei sive alii, quibus bona sua donavit, aut cessit; uno verbo omnes quorum interest illius Professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint) qui indicati erunt tanquam Auctores aut complices metus eidem incussi, ut Votis invitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata Constitutione Nostra, quæ incipit: *Dei miseratione*, decrevimus, ut in singulis Diocœsibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cujus officium esset in Causis Matrimonialibus in iudicio stare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus & singulis Locorum Ordinariis committimus & mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus præditam in suis respective Diocœsibus eligant, cui *Defensoris Professionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, injuncta, & respective applicata esse censeantur, quæcumque Nos in præcitis Literis de Matrimonii Defensore statuimus: Nos enim eadem omnia, præsentium tenore, ad huiusmodi Professionum Defensores expresse extendimus, & respective applicamus, & quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro Defensore Professionis in præsentibus statuimus, ut scilicet quicquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione Causæ occurrentibus, eidem præstandum esse Judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a Professo renunciata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si Professus nihil renunciandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quæ temporalia bona possident, ad huiusmodi solutiones teneatur: si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis de quo agitur, quidquam possideat, tunc Defensori Professionis satisfiat ex pecuniis Multarum illius Tribunalis, in quo Causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis prædictis Literis Nostris de Matrimonii Defensore statuimus.

Lata demum Sententia a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci, si ea pro validitate Professionis pronunciata fuerit, neque Professus appellationem interponat, Causam finitam esse non dubitatur. Si vero Professus ad Judicem secundæ instantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem Causa retractanda fuerit, in omnibus hisce iudiciis volumus similiter Defensorum Professionis ex Officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata Constitutione decrevimus, Defensorem Matrimonii, in secunda & ulteriori instantia, iudicio semper adesse. Ac sicuti præterea statuimus, huiusmodi Defensoris partes esse a Sententia Judicis primæ instantiæ pro Matrimonii nullitate lata ad ulterioris instan-

PONT. instantiæ Judicem provocare ; & formam prosequendi judicium in ulterioribus ANNO  
 hujusmodi instantiis præscripsimus ; ita porro volumus ut Defensor Professionis  
 A. VIII. a Sententia in prima instantia pro nullitate Professionis edita appellare omni- 1748  
 no debeat ; atque in secunda seu ulteriori hujusmodi Causarum revisione , ea-  
 dem omnia volumus observari , quæ pro Causis Matrimonialibus in eadem Con-  
 stitutione mandavimus

Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem constituimus adversus eos ,  
 qui unicam obtenta Sententia pro prioris Matrimonii nullitate , sive  
 pendente appellatione , sive ea per incuriam aut fraudem Defensoris non in-  
 terposita , ausi fuissent novas Nuptias contrahere ; atque decrevimus nemini  
 licere ad altera Vota transire , nisi duas saltem Sententias conformes pro nulli-  
 tate prioris Matrimonii emanaverint , ita , si quis in Ordine Regulari Professus ,  
 post unicam Sententiam favore Nullitatis Professionis pronunciatam , sive pen-  
 denter , sive omnia culpabiliter appellatione , e Claustris exire , a Religione di-  
 scedere , quodque magis est , Habitum Regularem abjicere præsumpserit ; vo-  
 lumus , atque statuimus , omnibus eum pœnis atque censuris a sacris Canonibus ,  
 & a Constitutionibus Apostolicis contra Apostatas latis , atque sancitis ,  
 subjacere , & obnoxium esse : decernentes pariter , in hujusmodi causis de Pro-  
 fessionis nullitate , liberum Professo non esse a Religione migrare , nisi duas  
 saltem obtinuerit Sententias conformes , quibus ab eo emissa Professio nulla &  
 irrita declarata fuerit .

Et primæ quidem instantiæ Judices super validitate Professionum , quæ intra  
 quinquennium judicialiter impugnantur , ut supra dictum est , Superior Regu-  
 laris , simulque Ordinarius Loci esse debent . Si vero eadem Causæ in secunda  
 aut ulteriori instantia sint discutiendæ , statuimus , inhærentes antiquis qui-  
 busdam sæpeditæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum Decretis , quæ  
 pariter tenore præsentium approbamus & confirmamus , ut Causæ hujusmodi ad  
 eos Judices devolvantur , ad quos de jure aliæ omnes Causæ Ecclesiasticæ , post  
 Sententiam Ordinarii , in gradu appellationis respectively devolvuntur ; ita tamen ,  
 ut hi quoque Judices , sicut Ordinarius in prima instantia una cum Superiore  
 Regulari processit , sic & ipsi procedere , & judicare debeant una cum Superio-  
 re Regulari , non quidem illius Monasterii , in quo reclamans professus est ,  
 sed alterius & Monasterii ejusdem Ordinis in eorum Civitate & Diœcesi exi-  
 stentis , vel , eo non extante , cum Superiores vicinioris Monasterii ejusdem  
 pariter Ordinis , seu cum alia persona Ecclesiastica , cui , juxta præmissa , Su-  
 perior ille ad quem pertinet , suas vices ad hunc effectum delegaverit . Si au-  
 tem hujusmodi Causæ in secunda , aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam  
 devolvantur , & a prædicta Congregatione Concilii , sive ab altera super Con-  
 sultationibus Episcoporum , & Regularium , aut denique ab Auditorio Rotæ , ut  
 respectively assolet , discutiendæ fuerint ; nullus erit locus ad judicandum Supe-  
 riori Regulari , qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur , quam ab  
 eadem Congregatione Concilii , juxta relatum superius Urbani Prædecessoris De-  
 cretum , examinanda fuerit , etiam intra quinquennium , validitas Professionis  
 ex eo capite impugnatæ , quod facta fuisse afferatur in Monasterio aut Cœno-  
 bio Religiosis Tyronibus instituendis minime addito .

Hæcenus de Judiciis super nullitate Professionis , quæ intra quinquennium  
 a die ipsius Professionis emissæ introducuntur ; de quibus hoc etiam declarando  
 decernimus , ut quæcumque in superioribus statuta sunt , ea omnia locum ha-  
 bere & observari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis , Nostri & Roma-  
 ni Pontificis pro tempore in Urbe , ejusque Districtu Vicarii in Spiritualibus  
 Generalis ; quoties hujusmodi Causas intra idem quinquennium in ipsius Tri-  
 bunali Ordinario judicandas esse contingat . Jam vero videndum est de ejus-  
 dem generis Causis , quæ , post elapsam quinquennium hujusmodi , in judi-  
 cium adducuntur .

PONT. Porro quum Sancta Tridentina Synodus, post quinque annos ab emissâ Pro- ANNO  
 fessione transactos, omnem aditum ad reclamandum Professis interclusum esse  
 A. VIII. sanxisset, per ea aperta verba superius relata -- *Non audiatur, nisi intra quin-* 1748  
*quennium a die Professionis*; -- adeo inhærendum hujusmodi Sanctionis literæ  
 duxerunt Majores Nostri, ut sub piæ memoriæ Prædecessore Nostro Gregorio  
 Papa XIII. Decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius Causæ  
 introductionem super nullitate Professionis, elapso quinquennio, admittendam  
 esse; etiamsi professio per vim & metum facta diceretur, atque probari veller,  
 hujusmodi vim & metum toto quinquennio tempore permansibile. Verba Decre-  
 ti die v. Martii anni MDXCVIII. editi, quæ habentur *Decretorum Congrega-*  
*tionis Concilii Tom. 9. fol. 55. hæc sunt -- Gregorius XIII. ex Sententia Congrega-*  
*tionis Concilii declaravit, eos, qui per vim & metum se Religionem Professos*  
*præstenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audien-*  
*dos, tametsi allegarent, vim, & metum semper durasse.*

At vero præcedentibus temporibus, non sine iustis gravibusque causis, ut  
 plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiæ pro res-  
 titutione in integrum adversus lapsum quinquenni.

De quibus tamen iudicium facere ad Apostolicam Sedem semper privative  
 pertinuit, sive ex parte professi, sive ex parte Religionis instantiæ hujusmodi  
 proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentam per totum quin-  
 quennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis  
 in integrum, extraordinarium in jure vocatur, ejus concedendi facultas Ju-  
 dicialibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria con-  
 suetudine, etiam in memorabili, aut quolibet asserto privilegio; ut patet ex  
 compluribus in eandem Sententiam Decretis ejusdem Congregationis Tridenti-  
 ni Concilii Interpretis, quæ recensita fuerunt in Decreto edito die vigesima-  
 quarta Septembris anni MDCCXI. in Causa *Sicula Restitutionis in Integrum*,  
 quod a Nobismetipsis die xxviii. ejusdem mensis & anni approbatum & con-  
 firmatum fuit, quodque iterum præsentium tenore approbamus & confirma-  
 mus; reservato Nobis & Successoribus Nostri Romanis Pontificibus jure con-  
 cedendi Ordinariis & Superioribus Localibus, in quibusdam peculiaribus casi-  
 bus, facultatem examinandi etiam Causas restitutionis in Integrum, ac super  
 ipsis pronunciandi, antequam ad Sententiam ferendam super professionis vali-  
 ditate, aut nullitate deveniant; ut non semel ex Apostolicæ Sedis dispensa-  
 tione factum fuisse non ignoramus.

Hujus autem iudicii methodus diversa quodam fuit ab ea, quæ in præsentibus  
 observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione, seu sumo, ut  
 ajunt, Causarum restitutionis in Integrum, ea ab Apostolica Sede concedeba-  
 tur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus Professionem, ut,  
 licet elapsum esset quinquennium nihilominus de illius nullitate coram Judi-  
 cibus competentibus actionem deinceps a Superiore Regulari, & ab Ordinario  
 Loci legitimus conficiebatur Processus, atque sententia super validitate, aut  
 nullitate ferebatur. Quæ sane methodus si hoc etiam tempore in usu esset,  
 oporteret Nos eorum præcipue, quæ ad hujusmodi iudicium consequentia sunt,  
 rationem habere; ac providere, ne unius tantum Sententiæ vigore professio-  
 nes Regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in præ-  
 fatis Congregationibus, seu Tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione  
 in Integrum adversus lapsum quinquenni, observatur: nam priusquam super  
 eo quicquam decernatur, committitur Ordinario Loci, & Superiori Regulari,  
 ut Processum conficiant; eoque demum transmissio, proponitur dubium super  
 concessionis restitutionis in Integrum, idque non minus accurate ac severe  
 examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullita-  
 te professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ord-  
 inario & Superiori Locali committitur, ut Sententiam proferant super contro-  
 versa

PONT. versa professionis validitate. Sed quamvis in hujusmodi Commissionibus plena ANNO  
 A. VII. fessionis, prout ipsis justum visum fuerit; usu tamen compertum est, quod, 1748  
 quum idem satis noverint, quam diligenti & gravi judicio apud Sedem Apo-  
 stolicam discussæ fuerint causæ, propter quum restitutio in Integrum concessa  
 fuit; viso dumtaxat hujusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori institu-  
 tione dubitatione procedunt.

Accuratam hujusmodi examen Causarum restitutionis in Integrum apud Ro-  
 manæ Curie Judices in more positum, non modo immutare intendimus, ve-  
 rum etiam approbatione Nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere com-  
 mendatam, ab ipsis in posterum conservari volumus ac jubemus; hoc tamen  
 addito, ut in Commissionibus, quæ diriguntur Superioribus Regularibus & Or-  
 dinariis Locorum pro consciendis Professionibus, iisdem sub pena nullitatis  
 affectuum injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defen-  
 soris professionis; ad quem ninairum pertinebit Interrogatoria dare, juxta quæ  
 examinari debebunt Testes, aliaque ad Officium sibi impositum pertinentia di-  
 ligentissime præstare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super con-  
 cessione restitutionis in Integrum, tam in præfatis Cardinalium Congregatio-  
 nibus, Concilii Tridentini interpretationi, & Episcoporum ac Regularium  
 Consultationibus Præpositis, quam in Auditorio Rotæ, aut in quacumque Con-  
 gregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis pœna, Defensor  
 Professionis, ab eo, qui Tribunalis caput est, deputatus, expensis eorum, de  
 quibus supra, semper & in omnibus actibus in judicio stare debeat: neque so-  
 lum in prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, qua-  
 tenus reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Deni-  
 que, ut pro fruendo beneficio restitutionis in Integrum unica favorabilis reso-  
 lutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato Causæ  
 examine, auditoque semper Defensore Professionis, confirmata fuerit; quem-  
 admodum in altera Constitutione Nostra, præsentis initio allegata, de Causis  
 super nullitate Matrimonii constituimus; Nos enim præsentium tenore decer-  
 nimus, ac sub pœnis adversus Apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis  
 sub clypeo unice resolutionis pro concessione restitutionis in Integrum obten-  
 tæ e Religiosis Claustris migrare, multoque minus Habitum Regularem depo-  
 nere audeat, seu præsumat: quum ad prædictas pœnas declinandas, & altera  
 resolutione super restitutione in Integrum priori contentanea, & Sententia super  
 nullitate professionis a Superiore Regulari & ab Ordinario ferenda, expectari  
 omnino debeant; nec nisi per hujusmodi Sententiam, a prædictis Judicibus,  
 prævisis dubiis resolutionibus pro concessione restitutionis in Integrum, legi-  
 time latam, Judicium absolutum censeatur.

Quæ omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omni-  
 bus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, sedulo observanda & im-  
 plenda a Nobis præscribuntur, & enixe inculcantur; profecto non dubitamus,  
 quin multo rariores in posterum futuræ sint instantiæ & contentiones eorum,  
 qui vel intra quinquennium a die Professionis emissæ, vel etiam eo elapso,  
 susceptum Religiosæ vitæ Institutum relinquere admittantur. Ad hoc autem  
 certius obtinendum magnopere contulerit, si a Superioribus quoque Regularium  
 Ordinum in Novitiorum admissionibus ea observabuntur, quæ & in eorum  
 Constitutionibus, & in Decretis sæc. recordat. Clementis Papæ VIII. Prædeces-  
 soris Nostrî statuta sunt, quæque omnia ab ipsis plenissime observari, & im-  
 pleri, Nos pariter ipsis præcipimus ac jubemus; tum etiam si ipsi minus faci-  
 le contentum suum præbebunt, ut admittantur ad Professionem Tyrones, si-  
 ve qui ætatem quidem a Concilio præscriptam compleverint, at non ad eam  
 pertingerent, quæ a Constitutionibus Ordinis statuta est; si ve illi, qui licet  
 annum

PONT. annum Novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulterius in ANNO  
eo manere deberent, juxta præscriptum suarum peculiarium Constitutionum;

A.VIII. multoque magis illi, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex men- 1748  
fes dumtaxat Tyrocinium posuerunt; ac demum si ipsi Superiores haud se interponant, neque curabunt, ut Professores ante legitimam ætatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quæcumque enim sive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Constitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis, circa præmissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, & ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem quæ ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua Professores adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica Sedes ullas unquam dispensationes in præmissis concedere consuevit, nisi prævio assensu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium; quibus nempe æquum & necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari potest, quod tamen apud plerumque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus Professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, Superiores ipsi contradictores se se non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur; ex falsa nimirum opinione, quod Religiosorum Virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili Monacho, utilis fortasse Clericus Sæcularis existere possit. Nunquam enim licitum est justitiam deserere aut prodere, quæ jubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem, & natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum Professo, ipsa quoque Religio intervenit.

Ad prædictum finem præterea quam maxime proderit, si & Ecclesiastici Præfules, & Judices debitas officii sui partes explere non prætermittent. Ecclesiarum quidem Præfules, si anathematici subjectos declarant omnes & singulos, cujuscumque qualitatis, conditionis, & dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, seu alias quascumque Mulieres invitas, præterquam in casibus in jure expressis, coegerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum Habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam Professionem; juxta sanctionem Sacræ Tridentinæ Synodi *Sess. xxv. Cap. 13. de Regular.* ubi etiam pares censuræ statuuntur adversus eos, qui in hujusmodi factis consilium, auxilium, vel favorem dederint; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, & ad Vota profitenda, justis gravibusque pœnis afficiant. Judices vero, si falso, ante omnia deposito præjudicio, quo nonnulli arbitrantur rarissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam justitiæ lancem expendent, & numerum, & qualitatem Testium qui ad comprobendam nullitatem Professionis inducuntur; & vim majorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent; aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quæ in hoc tantum rerum genere ab Auctoribus considerari solent.

Itaque prædictis omnibus & singulis gravissimæ denunciamus, districteque præcipimus, ut in cunctis, quæ ad eorum officia pertinent, e justitiæ tramite, & e præscriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant; ac meminerint, omnium, quæcumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit, valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operæ conferre intendimus, quo planius atque facilius de Causis hujus generis ab ipsis in posterum judicari valeat. Siquidem Nobis propositum est cum consilio selectorum Virorum in Theologica & Canonica facultate præstantium, nonnullas quæstiones accurate examinare, ac dirimere, quæ variis Scriptorum opinionibus jactatæ, & varias species inducentes, juxta diversas occurrentium casuum circumstantias, anticipantes,

PONT. tes, atque sollicitos detinere solent Judicantium animos; ut Nobismetipsis in ANNO  
 A. VII. Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum 1748  
 hujusmodi Causas ad regulam Juris exigendas præ manibus haberemus. Eju-  
 modi sunt, exempli causa, quæstiones: Utrum Professio quamvis initio nulla  
 fuerit, per subseqentes tamen actus convalidetur; quinam sint actus, ex qui-  
 bus hujusmodi convalidatio, seu ratificatio inducatur; & quid momenti habeat  
 ad hunc effectum susceptio Sacrorum Ordinum ad titulum *Religiosæ Paupertatis*. Præterea, si quis forte ante legitimam ætatem ignorans Professionem emi-  
 serit, & in ea ignorantia per plures annos in Religione permanferit, sequè  
 valide Professum existimans, ea omnia, quæ Professorum sunt, una cum So-  
 ciis præstiterit, ac deinde intelligens qua ætate Vota emiserit, non obstanti-  
 bus actibus veri Professi a se gestis, adhuc, præfatæ ignorantæ præsidio, actio-  
 nem habeat ad reclamandum adversus Professionem a se factam; an vero talis  
 ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus Professionem initio nullam per  
 subseqentes actus ratam habuisse censeatur. Item, an Professus, qui in Pro-  
 fessionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occultavit de quo interro-  
 gatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quod scilicet Re-  
 ligio ipsum cum hujusmodi defectu aut impedimento forsan occultato admitte-  
 re non intendebat; an, inquam, talis Professus, qui Religioni dolum struxit,  
 ejusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suæ  
 Professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere  
 debeat in foro externo ad suadendam Judici nullitatem Professionis, quod re-  
 clamantes Professi asserere sæpe non dubitant, se in proferendis Religiosis Vo-  
 tis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Hæc omnia, aliæque  
 similia in hujusmodi judiciis frequenter occurrentia, & in utramque partem  
 hætenus disputata, tum Nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in  
 consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adjuvante, explanare  
 deliberavimus.

Interim præsentem Literas, cum omnibus, & singulis in ipsis decretis atque  
 statutis, firmas, validas, & efficaces existere ac perpetuo fore, suosque ple-  
 narios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat,  
 & pro tempore quancumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissi-  
 me & inviolabiliter observari volumus, & decernimus. Sicque & non aliter  
 per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii A-  
 postolici Auditores, prædictasque S. R. E. Cardinalium Congregationes Gene-  
 rales & Particulares, aliosque ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere  
 Legatos, & Sanctæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quarumcumque præemi-  
 nentia, auctoritate, & potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum  
 cuilibet, quamvis aliter judicandi & interpretandi facultate, ubique judicari &  
 definiri debere; ac nullum, irritum, & inane si secus super his a quoquam  
 quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, tam Causarum forsan ad hunc diem introductarum pen-  
 dentia, quas quidem causas, in quibuscumque statibus & terminis de præsen-  
 ti reperiantur, juxta superius præscripta omnino tractari, judicari, & definiri  
 debere expresse decernimus; quam Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de  
 Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provinciali-  
 bus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutioni-  
 bus, & Ordinationibus, Decretis quoque, & Resolutionibus a præfatis Car-  
 dinalium Congregationibus, sive ab Auditorio Rotæ prædicto, aut aliis qui-  
 buscumque Judicibus, & Tribunalibus, alias forsan, & aliter factis, conditis,  
 & emanatis; nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica,  
 vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis, exemptionibus, & in-  
 dultis, etiam in corpore juris clausis, & Literis Apostolicis quibusvis Per-  
 sonis,

**Pent.** nis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Socie- **ANNO**  
**A. VIII.** tatibus, & Institutis, etiam Soc. Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisve **1748**  
 quibuslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque  
 verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam clausulis & decretis,  
 etiam derogatoriis derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in specie,  
 etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistoriali-  
 ter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries  
 confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si  
 pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specia-  
 li, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda  
 foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene,  
 & sufficienter expresse, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes,  
 illis alias in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat, & ad præmis-  
 sorum effectum, plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & deroga-  
 tum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem Auctoritate prædita mandamus, ut eadem præ-  
 sentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur,  
 nec quisquam de eis ignorantiam prætere valeat, ipsas præsentibus, &  
 earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano & Basilicæ Prin-  
 cipis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Gene-  
 ralis Innocentianæ in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem  
 ex Curatoribus Nostros, ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas &  
 affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum,  
 perinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, &  
 notificatæ fuissent.

Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis,  
 manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac Sigillo alicujus Personæ in Ec-  
 clesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tum in judicio,  
 quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur,  
 si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis,  
 Approbationis, Voluntatis, Mandatorum, Statutorum, Decretorum, &  
 Derogationum infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis autem  
 hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum  
 Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini-  
 cæ millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, quarto Nonas Martii,  
 Pontificatus Nostri Anno octavo.

D. Card. Passionius.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 9. Octobris ejusdem Anni.

NUM.



*Ritus impertiendi Pontificiam benedictionem super Populum, servandus a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas huiusmodi statutis diebus a Sancta Sede indulta fuit.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**E**XEMPLIS Prædecessorum nostrorum adducti, nonnullis Familiis Regularium permisimus, ut Fideles, qui statis anni diebus ipsarum Ecclesiarum inviserent, & indictis pietatis operibus satisfacerent, Indulgentiam Plenariam consequerentur; utque Monasterii Præses, vel alius Sacerdos a Patre Provinciali designandus, populo tunc temporis congregato, Summi Pontificis nomine, Benedictionem impertiret.

Nullus unquam ritus ad hanc rem peragendam præscriptus fuit; quæ quidem extra Urbem solum contingit, cum Pontifex ipse Romæ Benedictionem populo elargiatur; etenim is ritus, qui Urbani VIII. Prædecessoris nostri auctoritate probatus alteritur, & qui post editos nonnullos Romanos Rituales typis impressus fuit, ad eam Benedictionem, de qua verba facimus, minime pertinet; sed illam complectitur; quæ, non pluries, non semel quolibet anno, sed aliqua urgente legitima causa populo & ægris tribui consuevit, & pro qua certus Delegatus Apostolicus semper constituitur, qui brevi Apostolico munitus, potestatem obtinet non solum benedicendi populo, sed illum quoque dissolvendi ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, & a cæteris Ecclesiasticis Censuris ac pœnis, si quas forte populus imprudens atque ignarus contraxerit, quamvis illæ in Bulla in Cœna Domini contineantur.

Cum hæc ita sint, tamen deprehendimus, quendam ritum temere & inconsulto excogitatum esse pro prædicta prima Benedictione Pontificia invocativa, quæ aut pluries aut semel datur quolibet anno. Quippe simplex Sacerdos in medio Altaris collocatus, Ministris circumstantibus, & sacris indumentis ornatus, trinam Benedictionem populo impertit, & alia plura, & rit, quæ enumerare hoc loco supervacaneum existimamus.

Equidem *Benedictio super populum* solemnis est, eamque in quacumque Orbis terra parte Romanus Pontifex elargiri potest: Episcopus autem in sua Diocesi locis ipsis etiam exemptus, Archiepiscopus in sua Provincia & locis ejus exemptis eandem exercere valet potestatem. Id constat Decreto Clementis V. in Viennensi Concilio, quod in *Clementina Archiepiscopo, de privilegiis*, recensetur. Porro Abbatibus ejusdem Benedictionis super populum tribuendæ facultas conceditur in Ecclesiis, quæ ipsis plene subjiciuntur, modo tamen Apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint: quo sane uti nequeunt, nisi postquam Sacrum solemne aut Vesperas in Ecclesia peregerint; nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clare in eodem privilegio declararetur, qui respondit Alexander IV. in *Cap. Abbates, de privilegiis, in sexto*.

Simplex ergo Sacerdos nequit Benedictionem super populum elargiri, juxta *Can. Ministrare 26. qu. 6. -- Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere, Presbytero penitus non licet*: quod tamen eidem Sacerdoti modo permittitur, postquam divinum Miltæ Sacrificium absolvit. Didum est, modo permitti: si etenim sacram antiquitatem inquiramus, neque id Presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus in nostro *Tractatu de Sacrificio Missæ sect. 1. num. 382.* qui primo Bononiæ anno

PONT. 1740. typis editum fuit, ac *sect. 1. n. 391.* in eodem Tractatu, qui desinde **ANNO**  
tine redditus publicam lucem iterum adipexit Patavii anno 1745. Ersi quidem  
**A. VIII.** in usu semper fuerit, ut, re Divina peracta, populus ab Ecclesia Benedictione **1748**  
dimitteretur, quemadmodum in *Can. Missæ, de Consecratione dist. 4.* continetur; id tamen, non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si præiens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero ejus jussu præstabatur, quo teniu explicatur Decretalis in *Cap. Officio Archipresbyteri*, ubi inter Archipresbyteralia munera recensetur *Benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare*; prout animadvertit Gonzalez in *idem Cap. Officium, num. 2.* idem antea plane comprobaverat Sautay in *Panoplia Sacerdotali pag. 558.*

Quibus omnibus subiequens plurimum sæculorum contraria prævaluit disciplina, quæ Sacerdoti celebranti potestatem fecit Benedictionem super populum in fine Missæ effundendi ob eam potissimum causam, quam Bellotus recenset in *Ruibus Laudunensis Ecclesiæ par. 3. pag. 136. n. 9.* -- *At, cum Benedictio ad Missæ perfectionem pertineat hodie sine qua fas non est ab incepto Sacro recedere, nec jure queat populus ante Benedictionem ipsam egredi, ex præcitata Agathensi Synodo, quatenus integræ Missæ non interesse quisquis præsumat recedere; sequitur facultatem cuilibet celebranti concessam esse, privatam illam Benedictionem ad finem Missæ populo ubique locorum impertire.* Idem inter Morales Scriptores commemorat Quartus ad *Rubricas Missalis pag. 386. in Dubiis Conscientiæ.*

In *Can. Ecce ego dist. 95.* hæc leguntur: *Nemo hinc Episcoporum invidia diabolicae temptationis inflatus irascatur in Templo, si Presbyteri interdum exuberentur plebem, si in Ecclesiis prædicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant.* Si Glossæ fidem præstemus, illud benedicere declarat Benedictionem, quæ populo traditur a Sacerdote, qui rem Divinam perficit, nempe post ea verba; *Ita missa est:* quam sane interpretationem Nos minime respiciamus, cum certo habeamus, eundem textum Sancto Hieronymo non esse tribuendum, quod nonnulli falso putaverunt, quos merito redarguit Theophilus Raynaudus *Operum tom. 16. pag. 211.* sed incerto Auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum Benedictio in fine Missæ inter Benedictiones Presbyterales jam haberetur, nusquam invaluisset, ut Sacerdos, peracto Missæ Sacrificio populum Benedictione *jure suo* dimittat, sive intersit Episcopus: ea tamen statuta lege, ut si intersit, & in sua sit Diocesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod ab eodem Sacerdote prætermittitur, si Episcopus Missæ intersit, sed extra suam Diocesim versetur, prout desumitur ex *Rubricis Missalis t. de Benedictione in fine Missæ, & Evang. S. Joan.*

Cum jam perspectum sit, quo tempore & loco simplex Sacerdos populo possit *jure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam Benedictionem super populum ab ipso impertiri licite, nisi *jure delegato.* Hujus naturæ est Benedictio, de qua nunc agimus, quæ per delegationem Apostolicam cum unice concedatur, Nostrum est omnino ritum perscribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subjiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, Monasticos, vel Clericorum Regularium, quibus Nos ipsi, vel Prædecessores nostri, vel futuri Romani Pontifices facultatem tribuendæ populis Benedictionis permiserint.

Admoneatur itaque populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de præceptis operibus pro ea lucrificanda, de die quo visitanda est Ecclesia, de hora denique qua datur Pontificia Benedictio; & admonitio hæc fieri possit, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, & consuetis locis palam affixis: licet enim id a Prædecessore nostro Clemente Papa VIII. fuit vetitum fratribus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & Fratribus Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis pariter Captivorum in communicationem Indulgentiarum & Orationum, uti habetur in ejus Constitutione quæ incipit *Cum ad uberes s. 5.*, & in alia Constitutione *Decet Romanum Pontificem*

PONT. *scem* §. 6. visum tamen Nobis est, id esse hypothese inapplicabile; cum cæ- ANNO  
 teris prætermisissis, prædicta communicatio certum genus personarum, quosdam  
 A. VIII. videlicet, ut plurimum Confratres, non autem populum universum, ut in- 1748  
 dulgentia & Benedictio, de quibus agitur, complectatur.

Postquam statutis die & hora populus ad Ecclesiam convenerit, alia voce  
 legantur Apostolicæ Literæ; seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur una  
 cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de  
 delegatione audientibus constet; & concessio ex Latino sermone in vulgarem  
 accomodatam ad populi intelligentiam conversa pronuncietur; populus ad  
 suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur: post quæ Sa-  
 cerdos, nullis circumstantibus Ministris, Stola & Superpelliceo indutus (ut  
 in Rituali Romano præscribitur, cum agitur de Benedictionibus, quæ extra  
 Missam Presbyteris permittuntur) ante Altare genuflexus sequentibus verbis  
 opem imploret:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

V. Salvum fac populum tuum Domine.

R. Et benedic hereditati tuæ.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Deinde stans, sequentem recitet Orationem.

O R A T I O N E S.

Omnipotens & Misericors Deus, da nobis auxilium de Sancto, & vota po-  
 puli hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque  
 benedictionem præstolantis & gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam su-  
 per eum benignus extende, ac plenitudinem divinæ benedictionis effunde: qua  
 bonis omnibus cumulatus, felicitatem & vitam consequamur æternam. Per  
 Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Postquam ad cornu Epistolæ accedat, ut in Actis Ecclesiæ Mediolanensis p. 4.  
*Benedicat in Ecclesia ad Altare, stans in cornu Epistolæ: & stans in cornu Epi-*  
*istolæ, non trina, hoc est triplici Signo Crucis, sed una Benedictione, unico-*  
*videlicet Signo Crucis, benedicat proferens alta voce hæc verba:*

Benedicat vos Omnipotens Deus & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.  
 R. Amen.

Trina siquidem Benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti: cumque non-  
 nulli in fine Missæ trinam usurpare cœpissent, consuetudo Clementis VIII. au-  
 thoritate sublata est, quemadmodum ostendit Meratus hæc mortali vita nuper  
 defunctus tom. I. pag. 243. Id Nos etiam advertimus in nostris Tract. de Sacrific.  
*Missæ sect. I. locis supra indicatis. In Rubrica quoque Missalis hæc habentur: In*  
*Missâ solemnî celebrans eadem voce, & modo, qua in Missis privatis, semel tan-*  
*tum benedicit populo. Insuper Cæremoniale Episcoporum trinam Benedictionem*  
*ipsis solum tribuendam decernit, quod eadem Missalis Rubrica confirmatur:*  
*Episcopus autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Cæremoniali*  
*habetur. Postremo Alexander VII. Decreto, quod die Septembris 1659. edidit-*  
*tempora iudici ac recenset, quibus Abbates usque Pontificalium præditi, ritu so-*  
*lemnî celebrantes, trinam Benedictionem impertire possunt: quod eisdem pe-*  
*nitus interdicitur, cum rem Divinam privatim conficiunt; quod Nos ipsi in-*  
*dicavimus nostra Institutione 14. §. 4. num. 19. tom. 2. si Bononiensis editionis ra-*

PONT. tio habeatur, quæ peracta fuit anno 1735. sin autem easdem Institutiones in ANNO  
 Latinam linguam converfas, & Romæ impressas anno 1747. quis inspiciat,  
 A. VIII. idem prorsus deprehendet *Institutione* 34. §. 3. *in fine pag. 174* Quo circa non sine 1748  
 animi nostri voluptate epistolam legimus encyclicam Patris Generalis Cœnobitarum  
 Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quibus in nostris Apostolicis Li-  
 teris potestas facta est dandi in certis anni Festivitatibus Pontificiam Benedi-  
 ctionem, in qua eosdem admonet, ut populo benedicant unico Signo Crucis,  
 more Sacerdotali: quod ipsum si ab aliis etiam factum esset, querelæ ad Nos  
 delatæ non fuissent de usurpatis honoribus Episcopalibus.

Hac itaque Epistola Encyclica ritum statuimus ac declaramus, quo Benedi-  
 ctio Papalis in posterum tribuetur, eumque notum facimus Ordinum Regula-  
 rium Præsidibus, ut ipsum Regularibus sibi subiectis observandum indicant.  
 Equidem Alexander VII. Prædecessor noster usum Pontificatum Abbatibus,  
 quibus id privilegio convenit, accurate perscribens, Ordinariis locorum facultatem  
 concedit, ut si quid contrarium Abbates commisissent, ipsi tanquam Sedis  
 Apostolicæ Delegati rem cognoscerent, & centuris etiam, si opus esset,  
 omnem insolentiam compescerent. At Nos aliam viam suscipiendam ducimus,  
 præcipientes, ut de illis Regularibus, qui perscriptum a Nobis antea Benedi-  
 ctionis ritum violaverint, Nos statim certiores efficiant: tunc enim neque in-  
 fensos invicem Episcopos & regulares reddemus, nec populis beneficium Papa-  
 lis Benedictionis denegabimus; sed facultatem ejusdem Benedictionis tribuendæ  
 parere recusantibus auferemus, eandem largiemur aliis, qui jussa nostra facere  
 non detrectabunt, qua in re futuros etiam Romanos Pontifices magnopere hor-  
 tamur ut idem exemplum sequatur. Postremo Tibi & universo tuo Ordini Be-  
 nedictionem Apostolicam impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Martii MDCCLVIII.  
 Pontificatus Nostri Anno Octavo.

PONT.

N U M. L X V I .

ANNO

A. VIII.

A D P O L O N I Æ

1748

*Regni Præmatem, Archiepiscopos, & Episcopos: de concessione, & executione  
 dispensationum Apostolicarum super impedimentis Matrimonii.*

B E N E D I C T U S P P. X I V .

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

MAGNÆ Nobis admirationis, nec minoris doloris causa fuit, quod ex fi-  
 de dignorum relatione, certisque gravium Virorum Literis accepimus,  
 fallam quandam in isto Poloniæ Regno opinionem, & famam  
 invaluisse; quod scilicet ab hac Apostolica Sede, cui Nos, licet immeriti, Di-  
 vina ordinatione præsidemus, aliquæ dispensationes Matrimoniales concessæ &  
 missæ fuerint, & hætenus concedi, & mitti soleant, quibus sublata sint im-  
 pedimenta Canonica Matrimonio legitime, aut valide in eundo obstantia, licet  
 contrahentium alter, vel etiam uterque, Hæreticam sectam aperte profiteatur.  
 Quod quum nonnulli per injuriam, & intolerabilem calumniam excogitatum  
 sit, atque disseminatum; Apostolici ministerii Nostri officio deesse Nos arbi-  
 traremur, nisi Vobis, Venerabiles Fratres, atque omnibus, ad quos hæ Lite-  
 ræ Nostre perventuræ sunt, testatum ac manifestum redderemus, quæ sit in  
 hoc rerum genere perpetua Apostolicæ hujus Sedis agendi regula, & constans

con-

PONT. consuetudo; simulque Vos omnes, & singulos per istud Poloniæ Regnum, sua ANNO.  
semper fide, & religione commendatum, Ordinarios Præfules constitutos, eni-  
A.VIII. xe admoneremus, & per misericordiam Dei obsecraremus, ut Literas Dispen- 1748  
sationum Matrimonialium, quæ pro ipsius Regni Incolis ab hac Sede, & Cur-  
ria mittuntur, & ipsi attente legatis, atque expendatis, & a vestris quique  
Vicariis, & Officialibus accuratissime considerari jubeatis. Nos enim pro certo  
habemus, idque mox planum facturi sumus, si quid usquam in hac parte  
peccatum est, non id factum esse Apostolicæ Sedis, ejusque Officialium culpa;  
verum aut Ordinariis Locorum, aut eorum Ministris qui transmissas  
Dispensationum Literas nec legere, nec satis pensare curarunt, omnino tri-  
buendam esse.

Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculen-  
ter demonstrari posset antiquitas ejus disciplinæ, qua semper Apostolica Sedes  
Catholicorum cum Hæreticis conjugia reprobavit: Sed aliqua dumtaxat afferre sat  
erit, quibus ostendamus, eandem disciplinam ac regulam ad Nostra usque tempora  
constanter servatam, apud Nos & Apostolicam Sedem non minus integram vigere,  
& religiose custodiri. Hoc est, quod de se ipso, suisque temporibus testatus est  
felicitis recordationis Prædecessor Noster Urbanus Papa VIII. in suis Literis Apo-  
stolicis datis die xxx. mensis Decembris Anni MDCXXIV. quæ leguntur apud  
Cardinalem Albitium in Libro, cui Titulus: *De Inconstantia in Fide cap. 37. nu-  
mum 217.* ubi ita scribit: *Licet probe teneamus Catholicorum cum Hæreticis Ma-  
trimonia omnino fugienda esse, & quantum in nobis est, a Catholica Ecclesia pro-  
cul arcere intendamus.* Nec minus aperte sententiam suam declaravit piæ me-  
morix Prædecessor pariter Noster Clemens Papa XI. in Literis die xxv Junii  
Anni MDCCVI. datis, & editis in Collectione ipsius Brevium, & Epistolarum  
Romæ vulgata Anno MDCCXXIV. ubi pag. 321. sic legitur: *Majoris momen-  
ti esse existimamus, Ecclesiæ Dei, Apostolicæ Sedis, Prædecessorum Nostrorum, &  
Sacrorum Canonum a Catholicorum cum Hæreticis conjugio abhorrentium, regulas,  
nisi id totius Christianæ Reipublicæ bonum exposcat, non transgredi, & in aliis  
Literis datis die xxiii. Julii Anni MDCCVII. in eadem Collectione relatis  
pag. 391. Ecclesia siquidem ab hujusmodi conjugiiis, quæ plurimum deformitatis,  
ut parum spirituali periculi præferunt, abhorret.*

Sed & Nostrum hac de re judicium satis patere arbitramur ex Decretali Re-  
scripto auctoritate Nostra edito die iv. Novembris Anni MDCCXLI., & im-  
presso Tom. I. Bullari Nostrum nu. XXXIV. §. 3. cujus verba sunt, quæ sequun-  
tur: *Dolens in primis quammaxime Sanctitas sua, eos esse inter Catholicos, qui  
insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus Conubiis, quæ Sancta Ma-  
ter Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, &  
prorsus sibi abstinendum non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum Anti-  
situm, qui severioribus propositis spiritualibus pœnis, Catholicos coercere student,  
ne sacrilego hoc vinculo se se Hæreticis conjungant, Episcopos omnes, & Vicarios  
Apostolicos, Parochos, Missionarios, & alios quoscumque Dei, & Ecclesiæ fideles  
Ministros in iis partibus, Hollandiæ videlicet, & Belgii, degentes, serio gravi-  
terque hortatur, & monet, ut Catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in-  
propiarum animarum perniciem adeundis, quantum possint, absterreant, easdemque  
nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satogant, &  
quæ paulo post subjecta sunt, ubi de jam contracto Catholicæ partis cum al-  
tera Hæretica connubio, hæc habentur: *Id vero debere sibi potissime in animum  
inducere Conjugem Catholicum, pro virum, sive fœminam, ut pro gravissimo sce-  
lere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, caniturque  
pro viribus alterum Conjugem a vera Fide aberrantem, ad gremium Catholicæ Ec-  
clesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato om-  
nino impetrandam opportunissimum foret, sedens de cætero, ut mox dictum est, se  
ipsius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum ire.**

His

PONT. His autem veluti fundamentalibus Apostolicæ Sedis regulis, ejusdem agendi ANNUS  
 ratio costanti usque recepta apprime respondet. Nam quoties ipsam adiri con-  
 A.VIII. tingit, sive pro obtinenda simplici facultate contrahendi Matrimonium inter 1748  
 personas, quarum altera hæresim profitetur, sive præterea pro obtinenda simul  
 dispensatione super aliquo gradu, aliove canonico impedimento, quod inter  
 Contrahentes interceditur, nisi hac expressa lege, seu conditione adjecta, ni-  
 mirum *abjurata prius Hæresi*. Quin etiam recol. mem. Prædecessor Noster Inno-  
 centius Papa X. ulterius progrediens, jussit, & cavit, ne Dispensationes hu-  
 jusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius doctum  
 esset, Hæreticam labem a contrahente Heterodoxo ejuratam fuisse; quod testa-  
 tum reliquit laudatus Cardinalis Albitius Congregationis Universalis Inquisitionis  
 tunc temporis Assessor, in supracitato Tractatu *de Inconstantia in Fide* c. 18.  
 n. 44. Præfatus vero Prædecessor Clemens XI. in Congregatione Sancti Officii  
 coram se habita die XVI. Junii Anni MDCCX. mandavit inhiberi per Litteras  
 Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias, aut dispensationes im-  
 petretur pro Matrimoniis inter contrahentem Catholicum, & alterum Hære-  
 ticum celebrandis, nisi abjuratio Hæresis reipsa præcessisset; Theologos autem,  
 qui contra hujusmodi præsumpti fuerant, acriter admonendos decrevit,  
 quemadmodum memoriæ prodidit bonæ memoriæ Vincentius hujus S. R. E. Car-  
 dinalis Petra nuncupatus in suo Commentario ad Constitutionem XII. Joannis  
 XXII. ipsius Operis Tom. 4. pag. 76. n. 14.

Quod si nonnulla inveniantur exempla Romanorum Pontificum, qui aut li-  
 centiam contrahendi Matrimonium; aut etiam dispensationem super impedi-  
 mento aliquo concesserunt, non adjecta conditione de abjuranda prius Hæresi;  
 rarissimas primum omnium dicimus hujusmodi concessionem fuisse, & quidem  
 plerasque earum pro Matrimoniis inter Supremos Principes contrahendis, nec  
 nisi gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente, facta  
 fuisse; insuper adjectas semper fuisse oportunas cautelas, tum ne Conjug Catho-  
 licus ab Hæretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc  
 pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam, ut proles utriusque sexus ex  
 eo Matrimonio procreanda, in Catholicæ Religionis sanctitate omnino educa-  
 retur. Deinde vero facile est agnoscere, in istiusmodi concessionum genere  
 nullum errandi locum Executoribus suppetere, nisi ipsi aliqua in re scienter,  
 & data opera officio deesse velint. Denique ex hætenus dictis aperte constat,  
 in omnibus casibus, quibus facultates, aut dispensationes ab Apostolica Sede  
 petantur pro Matrimoniis a Catholico Viro, aut Muliere, cum Hæretica Fœ-  
 mina, aut Viro contrahendis, eandem Apostolicam Sedem, ut supra diximus,  
 hujusmodi Matrimonia, nisi Hæresis abjuratio præcedat, & semper improballi,  
 ac damnasse, & nunc quoque abominari, ac detestari.

Quoties vero Dispensationes ex aliqua probabili causa petuntur pro Matri-  
 moniis, quæ quidem inter Hæreticos, seu cum altera parte Hæretica sunt con-  
 trahenda, sed id nequaquam in precibus palam exponitur; quum nequeunt  
 Apostolicæ Sedis Ministri, atque Officiales hoc divinando rescire; ad obstruen-  
 da obloquentium, & calumniantium ora, hoc innuisse sufficeret, quod nulla  
 conceditur dispensatio, quæ alicui certo Executori directa non sit, cui nimi-  
 rum in mandatis datur, ut de omnium expositorum veritate cognoscat, &  
 dispensationem ipsam servatis servandis effectum sortiri faciat; cumque huic  
 ignorare non liceat, Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis ab Apostolica  
 Sede improbari, & damnari, facile vero cognoscere valeat, Hæresis vitium,  
 quo contrahentium alter inficitur, & de quo nulla habetur mentio in Literis  
 Dispensationis, eidem Apostolicæ Sedi occultatum fuisse; ad ejus officium per-  
 tinet hujusmodi Literarum executionem suspendere, ejusque suspensionis cau-  
 sam Romano Pontifici, ejusve officialibus, ea, qua decet, reverentia per Li-  
 teras aperire; quemadmodum Prædecessor quondam Noster Alexander Papa III.

PONT. Ravenæ Archiepiscopo faciendum præscripsit in suis Literis, quæ ad perpetuum vigorem in Decretalium Codicem relatæ sunt *Cap. Si quando, de Rescriptis*, ubi sic legitur: *Qualitatem negotii, pro quo Tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum Nostrum reverenter adimpleas, aut per Literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam præendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava Nobis fuerit insinuatione suggestum.* ANNO 1748

Verum non hic fuit Apostolicæ Sedis, ejusque Officialium circumspectio. Si enim dispensatio, quæ pro removendo alicujus Matrimonii canonico impedimento ex aliqua rationabili causa petitur, ad ejusmodi Regiones pertinere dignoscatur, in quibus Catholici cum Hæreticis mixti habitant; nec aliunde certo constat, utrumque postulantes, seu eorum alterum Catholicæ Religionis professorem existere; præfati Officiales Pontificis mentem probe callentes, postulantes utrumque Catholicum esse semper præsumunt, ideoque eorum preces in Libello (*Supplicationem* appellant) Pontificis manu obsignando his verbis exponunt: *Cupiunt Oratores præfati, qui Orthodoxæ Fidei cultores vere existunt, & sub obedientia S. R. E. vivunt, vivereque & mori intendunt, &c.* quibus consonant alia verba, quæ in parte conditionali ad majorem cautelam apponuntur, nimirum: *Et dummodo Oratores præfati Orthodoxæ Fidei cultores vere existant, & sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivant, vivereque, & mori intendant.*

Quibus prænotatis, jam id jure optimo quærimus: quum Literæ Dispensationum Matrimonialium ejusmodi verbis conceptæ, eoque tenore expeditæ fuerint; si postmodum innotescat contrahentes Hæreticos esse, vel unum eorum Catholicum, alium vero Hæreticum; & nihilominus dispensatio executioni mandetur, cujus erit culpa, & quisnam dispensationis in indignis profuse jure accusari poterit? An is, qui bonæ fide, & opportunis cautelis adhibitis, adjectisque legitimis conditionibus illam concessit; an vero is, qui nulla conditionum hujusmodi ratione habita, aut nulla de contrahentibus disquisitione præmissa dispensationem ipsam, contra Concedentis voluntatem, indebitum effectum habere permisit?

At dicet aliquis, non omnes Dispensationum Literas istiusmodi clausulis munitas semper expediri; quum & in ipsum Poloniæ Regnum, paucis ab hinc annis, quædam Dispensatio ab Urbe missa fuerit, quæ nullam hujus generis appositam conditionem præferebat. Hujus facti speciem, quam Nos animo præsentem retinemus, non abs re erit hic explanare. Dispensatio erat super ætate, favore cujusdam Puellæ, quæ sex mensibus minor erat duodennio, quod est in Fœminis legitimum ætatis tempus ad Matrimonium ineundum. In ejus autem concessione expositum fuit, quod *malitia ita supplebat ætatem, ut de jure Matrimonium contrahere posset.* Quapropter Declaratoria hæc potius dicenda erat, quam Dispensatio; quum facultas contrahendi Matrimonium ante præscriptum ætatis tempus, quoties malitia supplet ætatem; ab ipsa Legum, & Canonum dispositione proveniat. Quin immo Episcopi ipsi, & Ordinarii Locorum jure suo pronunciare possunt super ea quæstione, quæ facti est; an scilicet malitia, ut asseritur, ætatem suppleat; & consequenter Matrimonii contrahendi licentiam impertiri valent; neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro majori actus solemnitate; & ne de contractus Matrimonii hujusmodi validitate propter minorem ætatem hæstari contingat; ut habet formula, quæ in concipiendis Literis Declaratoriis super minori ætate adhiberi consuevit. Siquidem Canonistæ docent, cumulativum jus esse inter Apostolicam Sedem, & Judices Ordinarios, cognoscendi & pronunciandi de hac re, an scilicet malitia suppleat ætatem; privativum vero Apostolicæ Sedis jus esse concedendi Dispensationem ad contrahendum Matrimonium impuberi, qui per ætatem nondum conjugali copulæ maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut Matrimonii contrahendi vim, & naturam intelligat. Etenim ad validitatem Matrimonii, quemadmodum rationis usu requiritur de jure naturali, & Divino,

PONT. ita actualis ad conjugalem copulam potentia requiritur de jure positivo Canonico. Romanus autem Pontifex est supra jus Canonicum; at quilibet Episcopus eo jure inferior est, proindeque illius legibus derogare nequit. ANNO  
1748

Verum, omnia etiam quæstione hac, an licentia contrahendi Matrimonium ante legitimum ætatis tempus, quando malitia supplet ætatem, Dispensationis propriæ dictæ, an potius Declaratoriæ vim habeat; adeoque utrum Gratiæ, an Justitiæ actibus accenseri debeat; videndum præterea est, an in Apostolicis Literis super hac re concessis, quamvis ea verba, eæque condiciones minime legantur, quæ in aliis Dispensationibus apponi solent, alia tamen adsint æquipollentia verba, quorum vigore hujusmodi Literarum Executor deputatus (ubi Contrahentium alterum, seu ambos, Hæresis labe infectos esse, neque id concedenti narratum in precibus, neque alia eidem compertum fuisse, cognoverit) ab earum executione abstinere se debeat: De hoc autem dubitari non poterit, si advertatur, quod postquam in hujusmodi Literis Executori demandatum fuit, ut se de præmissis diligenter informare, ac videat, an vere, & legitime constet, in hujusmodi impubere matritiam supplere defectum ætatis; eidem deinde committitur, ut postulanti permittat, dummodo nullum aliud ei obset canonicum impedimentum, Matrimonium cum aliquo Viro nullo sibi jure prohibito, vel ex dispensatione Apostolica permisso, servata forma Concilii Tridentini, contrahere; quibus sane verbis Executori ea lex indicitur, ut minime sinat hujusmodi impuberem, Dispensationis, seu Declaratoriæ effectu gaudere; si exploratum habuerit, ipsi in animo esse detestabiles cum Hæretico nuptias contrahere.

Jam vero longius processit oratio Nostra, quam Nobis hujus Epistolæ initio propositum fuerat; cujus rei tamen Nos minime pœnitet; Nobis enim summo opere cordi est, maximeque interest Catholicæ Religionis, & Sedis Apostolicæ, ut factorum rerumque veritas non ignoretur; neque falsi rumores adversus Sacram Petri Cathedram disseminati fidem inventiant; si quæ autem contra Sacros Canones ulibi inordinate geruntur, eorum culpa in immeritos nequaquam transferatur.

Ut autem eo redeat Epistolæ Nostræ finis, unde eadem initium desumpsit; Tibi, Venerabilis Frater, cæterisque istius Regni Ordinariis Præsulibus, iterum epixe commendamus, ut Apostolicas Dispensationum Literas, quæ Vobis pro executione diriguntur, & diligenter ipsi expendatis, & a vestris respective Officialibus attentè considerari jubeatis; neque etiam superfluum existimetis, si quid in ipsis abnorme, ac novi exempli adesse videatur, de earum veritate, aut falsitate disquirere; multa enim malitia hominum est super terram, nec Nobis rescire datum est, usque quo pertingere valeat falsariorum audacia. Porro ad aures Nostras pervenit, quemdam fuisse, qui sublato gradus impedimento, Hæreticum Virum cum Muliere Catholica Matrimonio conjunxerit; cumque deinceps factum suum reprehendi comperisset, non dubitavit asserere se hac in re Apostolicæ Dispensationis, quam ab Urbe accepit, auctoritate munitum fuisse: quum vero ad producendas hujusmodi Dispensationis Literas provocaretur, eas reipsa nunquam acceperat. Verum Nos, de inelyra Polonorum Natione, quam Paternæ charitatis affectu complectimur, deque sacri istius Regni Præsulibus, quos omnes & singulos magno in honore habemus, favorabilius judicantes, improbum hujusmodi scelus nequaquam isthic admittum fuisse credimus. Tibi autem, Venerabilis Frater, Gregique Tibi commisso Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 29. Mensis Junii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostræ Anno octavo.



## SUPER DESIGNATIONE

*Confessariorum extraordinariorum pro Monialibus.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

PASTORALIS curæ Nobis impositæ munus hanc inter alias sollicitudinem et Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione & angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiori conscientia tranquillitatem recuperare aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam Omnipotenti Deo servitutum alacri & prompta affectione exhibere: Hujusmodi angoribus, & afflictionibus confici passim constat Religiosas Mulieres in Claustris degentes, quibus certus & unicus Sacramenti Pœnitentiæ Minister a Monasterii Prælato ad tres ut minimum annos designari solet; cui si aliquando, præ pudore, vel alia quapiam de causa, non omnes conscientia suæ recessus aperire audeant, atque ideo Confessionis integritati detrudere incipiant, in barathrum perditionis æternæ se ipsas misere conjiunt. Quod sane haud raro evenire, satis Nobis exploratum atque comperitum est, tum ex iis, quæ in Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus Doctoris in Decretis in eodem officio sustinimus; tum etiam ex iis, quæ in Episcopalis Anconitanæ primum, deinde in Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ regimine, frequenti usu cognovimus, tum demum ex his, quæ sæpius ad Nos in Petri Cathedra octavum jam annum Dei miseratione residentis, deferri contingit, sive ex parte diversarum hujusmodi Monialium, quæ animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subicere coguntur, sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem Monialium in suis Diœcesibus existentium calamitates, ex præallegata causa ortas, aut viva voce, aut per Literas non semel repræsentarunt, ac super ea re Apostolicæ providentiæ opem postularunt. Hinc est, quod Nos earum spiritualibus indigentis per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem opportune prospicere volentes, non quidem intendimus consultissimam illam, & veteris disciplina auctoritate roboratam Legem tollere, aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis Monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui Sacramentales Confessiones universæ earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confessarium pro libito sibi deligere; sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis hujusmodi Legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento aut periculo, servari posse videatur, in promptu sit opportuna dispensationis & indulgentiæ remedia occurrentibus necessitatibus admoveere.

Sane jam dudum Sanctus Thomas Aquinas Scholarum Princeps, Ecclesiæque Doctor, in *Supplemento tertiæ partis, quæst. 8. art. 4. ad sextum*, sive in *quartum sententiarum*, ex quo Commentario desumptum est hujusmodi *Supplementum*, hoc Superioribus monitum dedit, ut Subditis suis, quibus certum & unicum Confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri Sacerdoti; propterea quod multi infirmi & imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare,

PONT. grare, quam ipsa peccata certo alicui Sacerdoti a Superiore designato aperire. ANNO  
 Jam vero Sacrosancti Concilii Tridentini Patres, hanc legem districte sanxerunt,  
 A. VIII. *sess. 25. Cap. 10. de Regular. ut Episcopi, alique Monasteriorum Prælati, subje-* 1748  
*ctis sibi Monialibus Confessarium extraordinarium, duabus, aut tribus vicibus*  
*in singulos annos, exhibere debeant; per hæc verba -- Præter ordinarium au-*  
*tem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, aut aliis Superioribus, bis,*  
*aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat. Quod quidem*  
*non alia de causa præscriptum fuit, quam quia satis constabat nonnullas ali-*  
*quando Moniales esse, quæ nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum*  
*suum ordinario Confessario confiteantur; adeo ut necesse omnino sit, alterius*  
*Confessarii copiam ipsis suppeteret, ut apud hunc de peccatis suis integre, ri-*  
*te, atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probe animadvertit Magnus Ec-*  
*clesiæ Dei Sacerdos S. Carolus Borromæus, qui prædicti Concilii Tridentini*  
*absolutionem, ope sua plurimum jovit, ejusque executionem & observantiam*  
*in sua Mediolanensi Civitate & Provincia non sine immensis laboribus & cu-*  
*ris invexit; Is enim hac de re ita decrevit. -- Præterea Superiores ex decreto*  
*Sacri Tridentini Concilii quotannis idoneum Confessorem extraordinarium Moniali-*  
*bus sibi subjectis exhibeant, cui curent, ut universæ confiteantur, ut quæ hujusmo-*  
*di indigent medicina, propter aliquem occultum animæ morbum; neque ipsæ eam*  
*postulare, aut accipere ab usitato Confessore unquam auderent, liberius mederi suis*  
*malis possint, ac Diaboli laqueos evadere, una cum reliquis Confessario novo sua*  
*peccata confitendo --, uti legere est in Actis Ecclesiæ Mediolanen. impresso anno*  
*1599. pag. 53. in Editione autem Lugdunensi tom. 1. pag. 46.*

Porro quicumque Conciliaris Decreti sensus penitus introspererit, non modo salutarem illius providentiam facile agnosceret; sed & circumspectam ejusdem æquitatem mirari debet. Superioribus enim tantummodo injungitur, ut duabus tribus vicibus infra annum, Confessarium extraordinarium Monialibus exhibeant; bis, aut ter in anno offeratur; Hujusmodi autem Confessarius jubetur earum omnium Confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint -- Qui omnium Confessiones audire debeat. Neque tamen omnibus & singulis Monialibus præcipitur, ut peccata sua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monasterio degentibus, tam scilicet a Superiorissa, cæterisque Monialibus Professis, atque Novitiis, quam a Sæcularibus, quæ vel educationis causa, vel alio titulo, in eodem Monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario Confessario singulæ se sistant, sive ad Sacramentalem Confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra Sacramentalem Confessionem, ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si Moniales aliquæ extraordinarium Confessarium adirent, aliæ autem coram ipso non comparerent, suspiciones atque oblocutiones excitarentur; & illæ quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ essent; aliæ vero ab hujusmodi necessitatibus & causis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatum, sanem. Prædecessor noster Clemens Papa XI. Edicto suo, (quod est XV. in secunda parte ipsius Bularii) inviolabiliter servari mandavit, eandemque omnium Dicesum consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hæc in re addendum superest, nisi, ut Venerabiles Fratres Nostros Ecclesiarum Antistites enixe hortemur, ut quamvis Tridentina Synodus de solis claustralibus Monialibus in præmissis decreto loquatur, nihilominus eandem disciplinæ formam observent, tam cum aliis Monialibus, quæ licet Clausuræ legibus minime adstrictæ sint, in communitate tamen vivunt; quam cum aliarum quarumcumque Mulierum, aut Puellarum Cœtibus, seu Conservatoriis, quoties tam illæ, quam istæ, unicum Ordinarium Pœnitentiæ Ministrum a Superioribus designatum habeant. Quæcumque enim circa Moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem

PONT. in aliis quibuscumque Mulieribus, sive Regularibus, sive Sæcularibus, in Com- ANNO  
munitate, aut Collegio degentibus, locum habere possunt; ideoque pari pro-  
A. VIII. videntia, iisdemque remediis arceri, aut emendari debent. Et nos quidem, 1748  
quum hanc consuetudinem offerendi Confessarios extraordinarios bis, aut ter  
in anno singulis tam Monialium non Claustralium Communitatibus, quam  
piis aliarum Puellarum & Mulierum Cœtibus & Communitatibus in nostra  
Civitate & Diœcesi Bononiensi induxerimus, (qua de re extat Edictum No-  
strum num. LVI. inter Pastorales Institutiones Italico primum sermone a no-  
bis vulgaris, deindeque in latinum conversas) omnibus testari possumus, vel  
potius debemus, uberem spiritualium utilitatum Messum Nos inde evidenter  
collegisse.

Quum vero super relati Conciliaris Textus intelligentia nonnullæ quæstio-  
nes alias excitatæ; eademque jam pridem per opportuna Sedis Apostolicæ de-  
creta definitæ fuerint, operæ pretium ducimus hujusmodi definitiones ab omni-  
bus, ad quos spectat, omnino tenendas, atque servandas, his nostris Aposto-  
licis Literis complecti, & auctoritatis quoque nostræ robore communitas, in  
prædictorum omnium notitiam deducere. Et primo quæsitum fuit, ad  
quem Superiorem pertineat extraordinarium Confessorem Monialibus deputa-  
re, atque offerre. Sed facilis fuit responsio, quam Nos quoque decreto nostro  
ratam habemus; hujusmodi scilicet deputationem, ad eum regulariter spectare,  
ad quem pertinet Confessarii Ordinarii electio & deputatio; ideoque  
Episcopus, sive Ordinarius Loci, qui Monialibus sibi subjectis Confessarium  
Ordinarium dare consuevit, idem Confessarium extraordinarium bis aut ter in  
anno, ad normam Tridentinæ sanctionis, eidem offerre tenetur; Prælati ve-  
ro Regularis, ad quem pertinet ordinarium Confessarium subditis sibi Monia-  
libus, servata Apostolicarum Constitutionum forma, designare & constituere,  
ipse etiam eidem extraordinarium Confessarium in vim præfati decreti, & jux-  
ta easdem Constitutiones, duobus aut tribus per annum temporibus exhibere  
potest, ac debet. Quæ tamen ideo regulariter obtinere diximus; quia si Epi-  
scopus aliquis (Quod Deus avertat) adeo hac in re negligens esset, ut Mo-  
nialibus suis, bis terve in anno, extraordinarii Confessarii copiam facere præ-  
termitteret; obtendens, ut moris est, nullam hac de re Monialibus ipsis sol-  
licitudinem, aut curam esse; tunc volumus Dil. Fil. Nostrum S. R. E. Cardi-  
nalem modernum & pro tempore existentem Majorem Pœnitentiarum, statim  
ac pro parte Monialium hujusmodi requisitus fuerit, Ordinarii Pastoris negli-  
gentiam supplere debere, earumque Monasterio extraordinarium Confessarium,  
ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confessiones ab ipso  
Ordinario Loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis, & opportunis fa-  
cultatibus, concedere, & deputare. Quod si Prælati Regularis eandem Con-  
cillii legem de Confessore extraordinario bis aut ter in anno Monialibus sibi  
subjectis exhibendo, similiter implere neglexerit, tunc locus fiet Decreto Con-  
gregationis S. R. E. Cardinalium ab ipsius Concillii interpretationem, & exe-  
cutionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congrega-  
tio ad quæstionem ab Episcopo Vercellensi proposita die 23. Augusti anni  
MDCXXXI. rescripsit, ut infra -- *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi,  
an deputatio Confessarii extraordinarii Monialium Regularibus subjectarum spectet  
ad Ordinarium Loci. Sacra Congregatio censuit, ad Episcopum non pertinere, nisi  
in casu negligentie eorundem Regularium -- ut videre licet Decretor. Lib. XIV.  
pag. 493. Nec aliter respondit quæstionibus ab Episcopis Belgii exhibitis, die  
6. Aprilis anni MDCXLVII. ut legitur Decretor. Lib. XVIII. pag. 397. Quæ  
quidem rescripta & Decreta Nos etiam præsentium tenore, & Apostolica au-  
thoritate, in omnibus & per omnia approbamus, & confirmamus.*

Quum autem Tridentina Synodus de universa quidem Monialium Communi-  
tate; ut supra, decreverit, sed nihil de singulis Monialibus statuerit, ut pa-  
tet

PONT. tet legenti Textum citati Capituli X. utque etiam jam usque ab anno MDLXXV. ANNO  
 judicatum fuit ab ipsa Congregatione Cardinalium Concilii Inrerpretum, per  
 A.VIII. subsequens Rescriptum quod extat *Decr. Lib. IV. pag. 90. -- Sacra Sc. censuit*, 1748  
*extraordinarium Confessorem offerendum non alicui Moniali singulariter, sed omnibus Monialibus univcrse, ut omnium Confessiones audire debeat; in arbitrio tamen cujusque Monialis esse, ut Confessario extraordinario velit confiteri --*; Hinc ortum habuit alterum controversiæ, seu dubitationis caput; an scilicet, ubi jam universæ Communitati bis terve infra annum Confessarii extraordinarii copia facta est, & nihilominus aliqua monialis Confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi petit, an, inquam, hujusmodi petitioni sit indulgendum. Id autem primo loco quæsitum fuit, proposito casu Monialis graviter ægrorantis, quæ in mortis periculo, pro spiritali consolatione, postulet, alium Sacerdotem, qui tunc non sit Ordinarius Monasterii Confessor suprema sibi Ecclesiasticæ pietatis officia, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrare. Huic annuendum facile esse, prædicta Congregatio pluries judicavit, ut videre est ipsius *Decretor. Lib. XVIII. pag. 322. a tergo, sub die 6. Aprilis anni MDCXLVII. & eodem Libro pag. 586. die 22. Februarii anni MDCLXIX.* quæ pariter Decreta a Nobis præsentium tenore approbantur, & confirmantur; ut scilicet Episcopi subiectis sibi Monialibus in gravi infirmitate constitutis, & id expectantibus peculiarem Confessarium concedere debeant; iidemque etiam id ipsum præstent erga Moniales Regularibus Prælati subiectas, quum aliqua ex illis a suo Superiore Regulari hujusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu nihil statuitur de Cardinali Majore Pœnitentiario, non ideo, quia nequeat is pro singulis Monialibus idem facere, quod supra diximus eundem pro toto Monasterio facere posse, sed quia tunc, ob temporis angustias, interclusa præsumitur via recurrenti ad ipsius Officium. Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus & modus suppetat; ad eum pertinebit, eadem prorsus ratione peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superius, universæ Religiosæ Communitati ab ipso consulendum esse.

Adum deinde fuit de peculiaribus quibusdam Monialibus, quæ nec corpore infirmæ, nec morti proximæ, Ordinario tamen Ministro confiteri obfirmate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est, & sublevanda; adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, Confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum Confessiones peculiariter excipiat. Id vero, circa Moniales Episcopo, seu Ordinario Loci subiectas, ab ipso Ordinario præstari debet. Quod autem ad illas pertinet, quæ Regularium Regimini subunt, ad Regularem Prælaturam pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium; vel si Sacerdos ille, cui ejusmodi Monialis confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum iplo Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius Monialis Confessione, & pro tot vicibus, quot expedire judicabitur, eundem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est) ut Regularis Superior ad concedendum hujusmodi Confessarium extraordinarium Moniali communem Confessarium recusanti nullo pacto adduci possit; jam huic casui provisum est per Decretum anno MDLXXIII. a prædicta Congregatione Concilii editum, & a sel. record. Gregorio Papa XIII. tunc Apostolicum Thronum obtinente approbatum, & confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Nostræ auctoritate roboramus. Decreti verba relata *Lib. I. Decret. ipsius Congregationis p. 66. a tergo, hæc sunt; Monialis per aliquod tempus noluit confiteri Confessariis Regularibus. Dubitatum fuit, an Episcopus Regiensis posset dare dictæ Moniali Confessorem alterius Ordinis Regularem, vel Sæcularem, cui illa semel, vel pluries confiteatur peccata sua, & a quo absolvi possit: Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Congregationis Concilii, declaravit, dictum Caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere Confessarium alterius Ordinis, vel*  
 Sacru.

PONT. *Sæcularem*. Præterea nihil obstat, quo minus ipsa Monialis recursus habeat ad ANNO  
Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra  
A. VIII. dictum est, per deputationem Confessarii ex approbatis ad Moniales, apud 1748  
quem illa confiteatur.

Quæsitum denique fuit de Monialibus illis, quæ neque ægrotant, neque recusant Ordinarium Pœnitentiæ Ministrum a Monasterii Prælato pro universa Communitate deputatum; verum pro majori animi sui quiete, atque ulteriori in via DEI progressu, facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato. Qua de re non semel Nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis, aut Regularibus Monialium Superioribus agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, quod quum Moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario Sacerdoti, qui universæ Communitati non semel eo anno jam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiæ suæ consuluisse: Quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret, neque pergeret Superiori molestiam afferre, ut peculiarem Confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem objicientibus, Monialem hujusmodi ab Apostolicæ Pœnitentiariæ Officium facile recursus habituram, ibique haud ægre impetraturam id, quod ab ipsis Superioribus ei denegatum fuisset; iterum constanter respondebant, extraordinarium hujusmodi Confessarium, post impletam ab ipsis erga universum Monasterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

At vero, neque tunc Nobis arridebat, neque profecto nunc Nobis placet rigida isthæc agendi ratio; Persuasum enim habebamus, adeoque habemus, non solum integræ Communitati, sed singulis etiam Monialibus indulgendum esse in iis rebus, quæ juste & rationabiliter petuntur, maxime quum illæ ad earum conscientiæ quietem & securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane hujusmodi postulationes aut temere exaudiri, aut sine causa rejici debere censemus; sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum Monialis, quæ Confessarium extra ordinem petit, tum Confessarii, qui ab ea requiritur, ut utriusque diligenter inspectis, deliberari possit, an illius votis annuendum sit; an non. Si enim Monialis ex una parte nullum det adversæ suspicioni locum, ex altera vero Confessarius non modo legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam commune probare possumus tam firmum hujusmodi Prælatorum in renuendo propositum; nec intelligimus, cur post Confessarium extraordinarium integræ Communitati, juxta legem Concilii Tridentini, oblatum, nulla omnino Monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem Confessarium, cujus consilio, & opera, justis fortasse de causis, indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille Animarum Rector Sanctus Franciscus Salesius, cujus doctrinæ summam ex illius Operibus, tum editis, tum manuscriptis, collectam, bon. mem. Joannes Petrus le-Camus Episcopus Bellecensis juxta volumine complexus est, cui Titulum fecit: *Spiritus Sancti Francisci Salesii*. In hujus Compendio, quod ex Gallico in Italicum sermonem conversum Venetiis anno MDCCXLV. pro quarta vice Typis editum est, par. 17. r. 6. aperte legitur, quod, quum Beat. Epif. non ita intelligeret præmissum Conc. Trid. Decret. ut vetitum existimaret, Confessarium extraordinarium, pluribus etiam quam tribus vicibus in anno, Religiosæ Communitati offerre; quæ quidem Sententia plures habet suffragatores, quos refert *Diana in Edit. coordinata tom. 7. tr. 1. resol. 348.* non solum solebat suis Monialibus Visitationis B. M. Virg. quater in anno, videlicet in singulis Hebdomadis Quatuor Temporum, Confessarium extraordinarium deputare; verum etiam earum respectivis Superioribus commendatum reliquit, ut singulis Monialibus, quæ non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, Confessarium extraordinarium peculiari-

PONT. liariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo præberent. Nec aliter se ANNO  
gerere consuevit Ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadius Episcopus Patavi-  
nus; Is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Joannes Clerica- 1748  
tus in *Tract. de Pœnit. dec. 41. n. 7.*, & Patrum Tridentinorum Decretum quoad  
omnia Monialium Monasteria in sua Civitate, & Diœcesi existentia quotannis  
reipsa exequatur, & nihilominus exorari se patiebatur a Monialibus, quæ  
aliquando rationabilibus de causis peculiarem pro se Confessarium expeterent.  
Hujusmodi regulis, & exemplis nostram quoque agendi rationem in spirituali  
Monialium regimine conformare curavimus; maximumque utilitatis, & quie-  
tis fructum Nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Ven. Fratres Eccle-  
siarum Antistites, atque Dilectos Filios quarumcumque Religiosarum Mulierum  
Rectores hortamur in Domino, & enixe monemus, ut eandem viam quoad  
fieri potest, insilire non reculent, & non adeo difficiles se præbeant peculia-  
ribus Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando expetentibus, quin  
potius, nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter  
faciendum suadeant, earum justis precibus obsecundare studeant; illud cogitan-  
tes, quod etsi liberum sit cuilibet Moniali Cardinalem Majorem Pœnitentia-  
rium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordina-  
riis a Romano Pontifice tribuitur; nihilominus ea est aliquando necessitatis  
urgens, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempe-  
stive adveniat: Et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quæ  
in Officio Pœnitentiariæ Apostolicæ fiunt, ab omni vel minima pecuniæ solu-  
tione inviolabiliter sint immunes; non omnibus tamen Monialibus facile est  
invenire, qui earum negotia in Urbe procurare velit & possit.

Jam vero postrema superest quæstio, nimirum de qualitatibus Confessarii ex-  
traordinarii, qui vel pro universa Monialium Communitate, vel pro aliqua  
Moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum  
fuit, an in hujusmodi Sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, pruden-  
tiæ lumen requiratur, quas quidem dotes in eo, qui ad hujusmodi munus ad-  
hibetur, necessarias esse, omnes fatentur. Sicut etiam minime dubitatur, quin  
idem ab Ordinario Loci specialiter pro Monialibus approbatus esse debeat,  
quum hujusmodi approbatio, ex Apostolicarum Constitutionum lege, omnino  
requiratur non solum in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis Con-  
fessariis, qui Monialibus, etiam Regularibus subjectis, ab earum respective Su-  
perioribus deputantur, sed etiam in iis, qui a Cardinali Majori Pœnitentiario  
conceduntur, etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore ampliori-  
bus is pollet facultatibus; ut videre est in Nostra Constitutione super illius fa-  
cultatibus edita, quæ est xcvi. in Tomo I. Bullarii Nostri, ubi paragrapho 54.  
eidem conceditur, ut vacante Sede, *Monialibus Confessarios extra ordinem valeat  
deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter ap-  
probatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones, eligendos.* Quamobrem  
ad id dumtaxat redacta est controversia, an scilicet e Clero Sæculari, an vero  
e Regulari, eligendus sit hujusmodi Confessarius; tum inter Regulares, an as-  
sumi possit ex quolibet Ordine alias permisso; an vero semper deputari debeat  
ex ipso Ordine Prælati Regularis, ad quem Monasterii regimen spectat.

Sane pro Monialibus Episcopo immediate subjectis, regula est, ut Ordina-  
rius earum Confessor sit Sacerdos Sæcularis. Extraordinarium vero ex Ordini-  
bus Regularibus sæpissime assumi apud plerisque Episcopos usu receptum esse  
constat; deficiente forsan per singulas Diœceses Sæcularium Presbyterorum ad  
id muneris idoneorum copia. Regulares autem Prælati Monialibus sibi subje-  
ctis Confessarium Ordinarium designant e suo ipsorum Ordine; extraordinarium  
autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt, juxta Decretum a sæ-  
pedicta Congregatione Concilii editum XXVI. Septembris anni MDXCV. ac rela-  
tum in *Lib. III. Decretor. pag. 149. a tergo*, ubi sic legitur. -- *Sacra Sc. respon-*  
*dit,*

ONT. dit, Superiores Regulares teneri offerre Confessarium extraordinarium ejusdem Ordinis, alterius vero Ordinis posse quidem, sed non teneri. Nunquam tamen, quod ANNO  
 A. VIII. meminerimus, ullum Sacerdotem Sæcularem, aut diversi Ordinis Regularem, 1748  
 vidimus a Regulari Prælaro Monialibus sibi subjectis extraordinarium Confessorium deputari. Denique quum aliquando evenire possit, ut in casu negligentia Superioris Regularis, ad Episcopum, ut supra dictum est, pertinet deputatio Confessarii extraordinarii etiam pro Monialibus Regularium regimini subjectis; nulla ipse lege tenetur ad hujusmodi Confessarium eligendum ex eo Ordine, cujus est Monasterii Prælatus; sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum Presbyterum Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem, ad audiendas eorum Monialium Confessiones deputare.

At quum superioribus annis Apostolicæ Sedi expositum fuisset, pluribus de causis, itque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum, quam plane necessarium videri, ut Monialium Monasteria Regularium regimini subjecta, semel saltem in anno Confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem, aut e Sæculari Clero Presbyterum haberent; hujus rei examen jubente sel. record. Prædecessore Nostro Innocentio Papa XIII., assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus composita, cui Nos tunc in Minoribus constituti in Secretarii munere operam præstabamus; quæque, per annum & ultra, singulis Hebdomadis cogebatur, ad discutienda, & definienda complura Ecclesiasticarum quæstionum capita, quæ deinde inserta sunt in Apostolicis Literis ab eodem Innocentio Prædecessore editis die XIII. Maji anno MDCCXXIII., quarum initium est -- *Apostolici Ministerii* --, quæ etiam a san. mem. Prædecessore quoque Nostro Benedicto Papa XIII. in forma specifica confirmatæ fuerunt, per alias similes Literas datas die 23. Septembris anni MDCCXXIV.

Cum autem negotia; quæ in ea Congregatione tractabuntur; nullius privatas rationes attingerent, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia in quibusdam Catholici Orbis Regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur: necessarium minime judicatum fuit, aliquem velut in iudicium vocare, ad deducenda jura, sibi que sibi adversus illa; quæ decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed Nostra peculiari cura erat, ad singula proposita capita totidem Dissertationes, unicuique ex præfatis Cardinalibus exhibendas, elucubrare; ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinæ, quæ in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem Congregatione, ut præfertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut Regulares Monasteriorum Prælati, una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confessarium Monialibus sibi subjectis in annos singulos exhibere debent, aliquem Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur, utque ipsis hac in re deficientibus, liberum esset Episcopis Locorum Ordinariis eorum defectum supplere & emendare.

Verum quum Regularibus innotuisset, a prædicta Congregatione conditum esse Decretum eorum intentioni contrarium, utpote qui minime adstringi volebant ad hujusmodi annuam deputationem Confessorum extraordinariorum e Clero Sæculari, vel ex aliis Ordinibus, nonnullarum Religionum. Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujusmodi Decreto obstatere putabant; Cumque id facile impetrassent, ac suam, totiusque Cœtus Regularium causam per eximios illius temporis in Romana Curia Advocatos defendi curassent; sed nihilominus prædicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset; placuit præfato Prædecessori Innocentio: antequam Decretum hujusmodi approbatione Tua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque exclusis illis omnibus qui ex ipsius Pontificis deputatione, in præcedentibus Sessionibus per annum integrum negotia discusserant;

PONT. ferant; aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secreto fecerat conscri- ANNO  
ptarum allegationum exempla; Nobis etiam adesse iussit, qui rationum mo-  
A. VIII. menta a priori Congregatione præ oculis habita, si opus esset, exponere pos- 1748  
semus; novam Cardinalium Congregationem ex improvviso coram se convoca-  
vit, in qua iterum proposita quæstio diligenter ac mature discussa fuit; ac  
demum ipse Pontifex, de ipsius Congregationis consilio & assensu, super hac  
re decrevit, ut sequitur -- *Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confessor extra-  
ordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessio-  
nes audiat; si in posterum Superiores Regulares, quoad Monasteria ipsis subjecta,  
toties prædictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam  
ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id  
munus elegerint Sacerdotem aut Sæcularem, aut Regularem alterius diversi  
Ordinis professorem, in his casibus Episcopi, pro sui arbitrio & conscientia, depu-  
tationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut prætextu, a Supe-  
rioribus Regularibus valeat impediri.*

Per scriptum sane fuit hujusmodi Decretum ea occasione qua egebatur de re-  
stituenda in certis quibusdam Regionibus Ecclesiastica disciplina ad formam Con-  
cilii Tridentini; Verum ipsius Decreti vigor ad eas dumtaxat Regiones mini-  
me restrictus fuit, quum & animarum pericula, quæ ex perpetua Confessorum  
eiusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monasteriis Regularium  
regimini subjectis locum habere possint, & quæcumque adversus Decretum ip-  
sum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum Statutis, & ex Constitutioni-  
bus Monialium Regularibus subjectarum, fuerint desumpta. Cumque judicatum  
fuerit, ea omnia nequaquam obtare, quo minus ita decerneretur, sequitur,  
ut quamvis eidem Decreto causam dederint peculiarium quorundam Regionum  
necessitates Apostolicæ Sedi eo tempore expositæ, illud tamen generale sit, &  
universos per Orbem Regulares Monasteriorum Monialium Prælatos afficere de-  
beat. Cum vero deinde alter laudatus Prædecessor Benedictus XIII. Innocentii  
Literas in forma specifica confirmaret, Nobis constat, illius mentem fuisse, ut  
hujusmodi Decretum universalis, & inviolabilis legis vim obtineret. Super quo  
nihilominus ne ulla apud aliquos super sit dubitatio; Nos ipsi, præsentium Li-  
terarum vigore, ac Motu proprio, & certa scientia, deque Apostolicæ pote-  
statis plenitudine, ipsum relatum Innocentii Prædecessoris Decretum, Statutum,  
Mandatum, atque Præceptum, ad omnia per Orbem ubique existentia, & Re-  
gularium regimini subjecta Monialium Monasteria, quatenus opus sit, expres-  
se extendentes & ampliantes; decernimus atque statuimus, ut singulis annis,  
incipiendo a proximo millesimo septingentesimo quadragesimo nono a Nativi-  
tate Domini decurrendo, Regulares Monasteriorum Prælati teneantur bis aut  
ter in anno Confessarium extraordinarium universis Monialibus in iis degen-  
tibus offerre; si vero ipsi forsitan hujusmodi Confessarii extraordinarii depu-  
tationes intra præscripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis Regu-  
larem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint; itaut præfatæ Moniales semel  
saltem in anno Confessarium extraordinarium e Clero Sæculari aut ex alio  
Ordine Regulari non habeant; ad Episcopos Diocesanos, omni appellatione  
remota, devolvatur jus supplendi eorundem Prælatorum defectum ( si nempe  
pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverint ) per deputatio-  
nem Confessarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero casu, aut  
e Clero Sæculari, aut ex alio Regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio, delige-  
re possint, & valeant.

Quocirca dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali, moderno Nostro, & pro  
tempore existenti Romani Pontificis in Urbe ejusque Districtu Vicario in Spi-  
ritualibus Generali, earundem præsentium tenore committimus, & mandamus,  
ut hæc nostra Decreta, atque Statuta, tam in omnibus ejusdem aliorum Urbis  
Monasteriis, quæ Regularium regimini subsunt, quam in aliis quibusque Re-  
gula-



PONT. gularium aut Sæcularium Mulierum, aut Puellarum Domibus, seu Collegiis, ANNO  
atque Conservatoriis, quibus unicus ordinarius Confessor a Superioribus depu-  
A. VIII. tari solet; in omnibus & per omnia, juxta earundem Literarum præscriptum, 1748  
exactissime observari & adimpleri faciat; ne forte audiri contingat, quod cum  
magna animi molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas Consti-  
tutiones Romæ quidem ferri, & publicari, sed eas minime in ipsa Urbe ad  
effectum perducere.

Eandem porro curam & sollicitudinem injungimus & demandamus Vener.  
Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis per omnes uni-  
versi Orbis Ecclesias constitutis; quibus, ut satis perspectum putamus volun-  
tatis nostræ studium, tum in eorum rationabilibus querelis, justisque peticio-  
nibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irrepsisse indicaverint, elimi-  
nandis; idque non ex ingenio nostro quidquam dummodo, nec peregrinas no-  
vitates inducendo, sed veteres ut plurimum leges & regulas, vigili Prædeces-  
sorum nostrorum providentia jam pridem constitutas, in pristinum debitum-  
que vigorem, & usum revocando; Ita eosdem meminisse volumus, proprium  
zeli Pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea, quæ contra le-  
ges sunt, inutiliter deplorando declament; sed ut illa de medio tollere cu-  
rent, adhibitis opportunis remediis in eum finem jam præstitutis; implorato  
etiam Apostolicæ Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritatis,  
& legum executioni, afferri contingat, omnesque diligentias, & curas, quas  
corrigen-  
dis abusibus ipsi fideliter impenderit, in irritum cedere videant.

Quoniam vero tam in superius allegato Clementis XI. Edicto, quam in Sy-  
nodalibus pluribus Episcoporum Constitutionibus statutum esse conspiciamus, ut  
quo tempore extraordinarius Confessor alicui communitati deputatus ministe-  
rio suo fungitur ordinarius Confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat,  
multoque minus præsumat per id temporis alicujus Monialis, sive Superioris-  
sæ, sive Novitiæ, sive Conversæ, neque demum alterius cujuscumque Personæ  
intra septa Monasterii, aut piæ Domus commorantis, Sacramentalem Con-  
fessionem audire; Nos id quoque approbatione Nostra roborantes & confirman-  
tes, statuimus, & mandamus, ut Episcopi quidem, si de Monasteriis, aut Do-  
mibus eorum regimini subjectis agatur, Regulares autem Superiores, quod ad  
illas Communitates attinet, quibus ipsi præsunt, pro hujusmodi Legis imple-  
mento advigilent, & contravenientes meritis pœnis coerceant, & afficiant.

Ac demum quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui Com-  
munitati generaliter, vel peculiariter alicui personæ in Monasterio degent,  
concessi, ac deputati fuerint, districte inhibemus, sub pœnis adversus acce-  
dentes ad Monasteria Monialium, & cum ipsis conversantes, præsertim Regu-  
lares a Prædecessoribus nostris quancumque statutis (quas etiam præsentium  
vigore confirmamus, & innovamus), ne, postquam suum officium impleve-  
rint, ad idem Monasterium alterius accedere, aut ullius generis commercium  
intra ipsum quomodocumque continuare & fovere, etiam sub spiritualis cau-  
sæ, aut necessitatis obtentu & colore, audeant, aut præsumant.

Decernentes, ipsas præsentis Literas, atque omnia & singula in eis statu-  
ta, atque præscripta, etiam si quicumque in iisdem interesse habentes, seu  
habere prætendentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, nec præmissis con-  
senserint, aut alterius cujuscumque generis defectus forsan adversus eas obji-  
ciatur, semper & perpetuo valida, & efficacia esse & fore, & ab omnibus,  
ad quos spectat, atque in futurum spectabit, inviolabiliter etiam perpetuo  
observari. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordina-  
rios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ  
Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationes ordinarias, aut peculiariter de-  
putatas, aliosque Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Vice-Legatos, &  
Apostolicæ Sedis Nuncios, judicari, & definituri debere; sublata eis, & eorum

PONT. cuilibet, aliter judicandi, definiendi, ac interpretandi facultate, & auctoritate. ANNO  
te; atque irritum, & inane decernentes, quidquid secus a quoquam scienter,  
A.VIII. vel ignoranter contigerit attentari. 1748

Non obstantibus quibuscumque etiam Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiarum, & Ordinum Regularium, seu Congregationum, aut Societatum, & Institutorum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aliorumque Militarum Ordinum, seu Monasteriorum Virorum, aut Monialium, aliarumque piarum Domuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis, cuilibet præmissorum, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, etiam hic de necessitate exprimendis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, & derogatoriis derogatoriis, quomodolibet in contrarium concessis, ac pluries confirmatis, & approbatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, illis alias in suo robore permanens, de Apostolicæ potestatis plenitudine derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus demum, ut earundem præsentium Transumptum, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini-  
nicæ MDCCXLVIII Nonis Augusti, Pontificatus Nostri Anno octavo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

V I S A D E C U R I A

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 16. Augusti ejusdem Anni.*

PONT.

N U M. LXVIII.

ANNO

A.VIII.

D E C O N C E S S I O N E.

1748

*Et executione dispensationum Matrimonialium: altera Epistola ad  
Primate[m], Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ.*

B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**A**D tuas manus pervenisse speramus Epistolam nostram Encyclicam datam die 29. superioris mensis Junii, de Dispensationibus, quas pro contrahendo Matrimonio intra gradus jure prohibitos Hæreticis Conjugibus concessisse, Apostolicæ Sedis Ministri falso insinulabantur. At tamen hanc

PONT. aliam rursus ad te mittere cogimur; cum enim res, unde falsus ille rumor ANNO  
 exortus est, in apertum eaducta sit, eamque omnibus notam fieri oporteat,  
 A. VII. ex Nostriis ad eam animadversionibus alii proficere, meliusque in posterum, 1748  
 quæ agenda sunt, constituere poterunt.

Episcopus quidam istius Poloniæ Regni duobus Lutheranis Conjugibus, qui  
 in secundo affinitatis gradu inter se conjuncti erant, contrahendi Matrimonii  
 facultatem dedit. Rogatus, quo jure id fecisset; an uti executor alicujus dis-  
 pensationis, quæ concessa fuisset vel a Nostri Dataria, vel Pœnitentiaria,  
 vel a Sanctæ Inquisitionis Officio; namque hæc viæ sunt, quibus hujusmodi  
 dispensationes a Sede Apostolica expediri consueverunt; nullas se accepisse in-  
 genue falsus est; sed fecisse ea generali potestate respondit, quam sibi, ut  
 Episcopo in remotis degenti, Sedes Apostolica elargita est; factumque suum  
 excusavit more recepto suæ Diocœsis & Prædecessorum suorum consuetudine.  
 Addidit etiam, ad id faciendum adductum fuisse spe, quam ipsi dederunt Con-  
 juges, quamprimum ad Fidem Catholicam se conversuros; quod si intra debi-  
 tum tempus minime adimplerent, se vi eos adigendi cohabitatione prohibita,  
 potestatem habere.

Ut ab hujusmodi narrationis serie minime discedamus, in primis id comper-  
 tum est, e nostris Tribunalibus dispensationem super impedimento affinitatis  
 pro contrahendo Matrimonio inter duos hæreticos nequiquam emanasse. Epi-  
 scopus est, qui concessit, affirmatque, fecisse vi generalis cujusdam facultatis,  
 quam Sedes Apostolica impertiri consuevit Episcopis, qui extra Europam,  
 vel in remotis Europæ partibus constituti sunt.

At quid dicendum esset, si facultas, de qua agitur, dispensandi in secundo  
 gradu, non comprehenderet Matrimonia inter hæreticos contrahenda? Et qui-  
 dem res ita se habet; etenim facultates, quæ dantur Europæ Episcopis, qui  
 in dominio Catholicorum Principum positi sunt, in hæc verba conceptæ sunt:  
*Dispensandi in tertio, & quarto simplici & mixto tantum cum pauperibus, in  
 contrahendis: in contractis vero, cum Hæreticis, conversis, etiam in secundo sim-  
 plici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, & in his casi-  
 bus prolem susceptam declarandi legitimam.*

Prætereundum ducimus, in dispensatione, de qua agimus, & quæ ab Epi-  
 scopo concessa, & a Nobis lecta est; nullibi ab ipso impressum fuisse, quod  
 dispensationem impertiebatur ex vi Apostolicæ facultatis; hac enim declara-  
 tione omissa, actus nullus ac irritus efficitur; ut in earundem facultatum for-  
 mula aperte statuitur: *Et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas  
 concedi tamquam a Sedis Apostolicæ Delegato: ad quem effectum etiam tenor hu-  
 jusmodi facultatum inferatur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ;  
 alias nullæ sint.* Sed id solum sciscitabimur, ubinam contineatur facultas dis-  
 pensandi in secundo gradu? Certe Nobis respondebitur; in verbis illis paulo  
 ante laudatis: *etiam in secundo simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat  
 primum gradum.* Nos statim reponemus, ante ea verba hæc alia occurre-  
 re: *In contractis vero, cum hæreticis conversis &c.* Et ideo, cum facultates li-  
 mitatæ sint ad Matrimonia contracta, non autem contrahenda; ad hæreticos  
 conversos, non autem ad eos, qui se convertendi spem faciunt: Sane unus-  
 quisque facili negotio, istaque, uti dicitur, oculi, dignoscere poterit facultatis  
 abusum in concessione dispensationis, quæ ut diximus, in causa fuit, cur  
 sinister rumor, & popularis obrestatio adversus Apostolicæ Sedis Ministros  
 suscitaretur.

Degunt quibusdam in locis istarum Regionum Catholici cum Hæreticis mix-  
 ti palam inter se Matrimonia contrahunt; & nemo est, qui contrahentes cor-  
 rumpat, & puniat, aut illis adversetur. Hoc autem posito, qui fieri potest ut  
 hinc colligatur Dispensationis concessio super aliquo impedimento in hujusmodi  
 Matrimoniis inter Catholicum, & Hæreticum, & multo magis inter duos

PONT. Hæreticos, ut in specie, de qua agitur, contigit? Tolerat quidem in Anno aliquibus locis Apostolica Sedes Matrimonia inter Catholicum & Hæreticam, vel Hæreticum, & Catholicam, cum nequeat impedire; & Ecclesiastica quadam prudentia, ne majora mala enascantur, dissimulat, at tacet. At, quod Apostolicæ Sedis auctoritate gratiosa in hisce Matrimoniis dispensatio super gradu, aut alio impedimento concedatur, fieri nunquam potest, nisi præcedat hæresis abjuratio, juxta ejusdem Sedis Apostolicæ disciplinam a Nobis in præcedenti Epistola expositam, & juxta recensita concessæ facultatis verba.


Sed respondetur: ab anterioribus Episcopis, qui easdem facultates iisdem verbis conscriptas habebant, quibus conceptæ sunt illæ, de quibus quæritio est, id peractum fuisse. Nos ignoramus, quid egerint Episcopi Prædecessores; id solum Nobis compertum est, quod, si dispenserunt in Matrimonio non contracto, sed contrahendo, in Matrimonio inter duos adhuc in hæresi permanentes; perperam ac male egerunt, grave admiserunt peccatum, multorumque malorum reos se fecerunt, quia facultates eis concessas attento animo non considerarunt, ex quibus, veluti ex fonte, omnis delegata auctoritas dimanat.

At Nobis reponitur: quidquid factum est, idoneo factum, quia Conjuges suam conversionem polliciti sunt. Id autem, an verum sit, paulo post videbimus. Intera ponatur, revera Conjuges id promississe: quæritur, cum facultas a Sede Apostolica concessa præscribat, ut dispensetur in secundo gradu cum Hæreticis jam conversis, quomodo Episcopus arbitratus sit, ea se uti posse in dispensando non cum Hæreticis jam conversis, sed cum iis, qui solummodo conversionem promiserant? cumque Sedes Apostolica hujusmodi dispensationes, nisi conversione jam facta, ut late in Nostra prima Epistola Encyclica demonstratum est, concedere non solent; quæritur iterum, quomodo ejus Delegatus in tantum ausum devenerit, ut cum iis, qui nudam promissionem se convertendi fecerant; dispensare non dubitaverit?

Additur demum: si fidei datæ Conjuges Hæretici defuerint, acriter puniuntur, eisque simul habitare interdicitur. Nos minime latet, discrimen, quod inter infidelem, & hæreticum intercedit: primum quidem ad amplectendam Eisdem Catholicam, ad quam se per Baptismum minime obligavit, cogi non posse: e diverso hæreticum, qui jam Baptismum suscepit. At vero Nobis ignotum est, an usu & consuetudine receptum sit, ut Hæretici ad Catholicam veritatem profitendam constringi possint in iis regionibus, in quibus a Principibus permissum est, ut commixti cum Catholicis vivant, eademque juris æqualitate, & civili consuetudine fruantur. Sed quidquid de hoc sit, illud necessarium esset ostendere, quibus argumentis, ac probationibus Hæreticorum Conjugum promissio demonstratur. In Dispensatione enim hæc verba leguntur: *ob spem, quod ad Fidem Orthodoxam convertentur*. Spes autem a promissione omnino diversa, & distincta est. Si quando autem de separatione, ob frustratam spem a Conjugibus datam, agi vellet; cum res sit de Matrimonio contracto, non inter unum Hæreticum, & alterum Catholicum, absque alio impedimento, quem illo Religionis; sed de Matrimonio inito inter duos Hæreticos in secundo affinitatis gradu conjunctos; locus non esset separationi tantum *quoad thorum*, sed etiam alteri *quoad vinculum*; quæ injungenda esset a Dispensante, publice protestatione emissa, se nullo jure, atque auctoritate dispensasse, ac proinde dispensationem irritam, ac nullam fuisse.

In priori Epistola nostra Encyclica scripta die 29. Junii admonuimus, ut iis, quibus executio Dispensationum Matrimonialium, quæ in Urbe conceduntur, committitur, eas attente legant, & bene ac diligenter perpendant. Nunc autem eadem repetimus, & insuper addimus, ut legantur, & considerentur etiam facultates, quæ a Sede Apostolica conceduntur, priusquam aliquis illis utatur; cum minime deceat, ut aliorum culpa vel Sedi Apostolicæ, vel ejus Mini-

PONT. Ministris vicio vertatur, & quod ab aliis peccatum est, crimen eis detur. In- ANNO  
 terea autem Tibi, Venerabilis Frater, & Christiano Gregi tuæ curæ commif-  
 A. VIII. fo, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. 1748  
 Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die VII. Augusti MDCCXL-  
 VIII. Pontificatus Nostri anno octavo.



PONT.

N U M . L X I X .

ANNO

A. IX.

D E C R E T U M

1748

*Quo prohibetur cuilibet in posterum Libros, Scripturas, aliaque Opera quæcumque  
 Typis imprimere, seu aliter in lucem edere, in quibus de imminutione dierum  
 Fæstorum de Præcepto, sive pro, sive contra eam agatur.*

## B E N E D I C T U S P P . X I V .

**N**ON multi menses effluxerant, ex quo placuit Omnipotenti Deo humi-  
 litatem Nostram, nullis suffultam meritis, ad universalis Ecclesiæ regi-  
 men assumere, quum plurium, & pietate, & Doctrina insignium Viro-  
 rum, necnon Episcoporum per Ecclesias tam circa, quam ultra Montes consti-  
 tutorum, instantiæ ad Nos deferri cœperunt, ut numerus dierum Fæstorum de  
 Præcepto in satis nota Constitutione rec. mem. Prædecessoris Nostri Urbani  
 Papæ VIII. præfinitus, auctoritate Nostra minueretur. Quam quidem ob rem,  
 Nobis exponebant, & nimis grave detrimentum humilioris sortis hominibus,  
 qui manuum suarum laboribus se ipsos, sualque familias sustentare coguntur;  
 ex hujusmodi Fæstorum dierum numero, quibus operari prohibentur; inferri;  
 Et simul arduum vel potius impossibile esse, debitam, exactamque eorum ob-  
 servantiam & sanctificationem a populis obtinere; siquidem post innumeras  
 districtasque leges ea de re latas, & curas adhibitas, numquam sæpius caupo-  
 næ atque popinæ frequentari dignoscuntur, quam ipsis diebus Fæstis, prome-  
 ridianis potissimum horis, non sine scandalo, & rixarum, aliorumque crimi-  
 num sequela. Cunque Carissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque  
 Siciliæ Rex Illustris post aliquot annos Urbem ingressus ad Nos comiter ac-  
 cessisset, non omisit summo zeli studio pro hujusmodi Fæstorum dierum in suis  
 Regnis imminutione Nobiscum agere.

Nos autem cum primum illæ, quas supra diximus, instantiæ ad Nos per-  
 venerunt, minime labori percipimus, ac rem ipsam in suis fontibus inspicere-  
 mus; quin etiam satis amplam Dissertationem ea de re exaravimus, & publi-  
 cari curavimus, in qua pleraque a Nobis demonstrata sunt, ad hanc minuen-  
 dorum Fæstorum materiam pertinentia, pluresque hujusmodi imminutionis viæ  
 indicatæ fuerunt; sed nihil definitum, aut pro auctoritate statutum fuit; quum  
 id Nobis unice propositum tunc fuisset, ut aliorum sententias intelligeremus,  
 non solum circa rationem peragendæ Fæstorum dierum reductionis, sed etiam  
 super ipsius imminutionis substantia, an eam fieri, vel potius rem in priori  
 statu relinqui præstaret; itaut, qui reductionem nequaquam faciendam existi-  
 maret, minime necesse haberet de illius executionis modo inquirere, aut No-  
 bis consilium præstare.

Quadraginta porro fuerunt, quorum consilium requisivimus inter quos non-  
 nulli hujus S. R. E. Cardinales, Episcopi plures tam Itali, quam Ultramor-  
 tani, reliqui Theologiæ aut Sacrorum Canonum Professores, vel in Ec-  
 clesiasticæ Disciplinæ rationibus tum Romæ, tum alibi, agendo potissimum  
 experiendoque versati. Horum omnium responsa, juxta mandatam Nostrum,  
 scripto concepta, quæ adhuc apud Nos asservantur, cum accepissemus; ex  
 prædi-

PONT. prædicto numero, tres supra triginta invenimus, qui Fæstorum dierum immi- ANNO  
 A. IX. nationem vel necessariam, vel utilem omnino fore affirmabant; ex his vero, 1748  
 quindecim Nobis suadebant, ut edita generali Apostolica Constitutione, hujus-  
 modi imminutionem in univèrsa Ecclesia stateremus; alii autem numero octo-  
 decim, audiendas esse censabant instantias Ecclesiarum; atque Diœcesum, ea-  
 rum peculiaribus necessitatibus diversa atque opportuna ratione consulendum.  
 Quod vero pertinet ad ipsius reductionis modum; quum in Concilio Provin-  
 ciali Tarraconensi, habito sub san. mem. Prædecessore Nostro Benedicto XIII.  
 Pontifice de Nobis optime merito, conditum fuerit Decretum, ut accedente  
 Apostolicæ Sedis approbatione & auctoritate, ac salva obligatione sanctifican-  
 di, ut prius, omnes dies Dominicos, & solemniore quædam Fæstivitates,  
 quibus nimirum & assistendum foret Sacrificio Missæ, & abstinendum ab ope-  
 ribus servilibus, in aliis quibusdam Fæstis minus principalibus, tenerentur  
 quidem Fideles ex præcepto Missam audire, sed reliquum diei tempus operi-  
 bus & laboribus quibusque exercendis, etiam servilibus nuncupatis, licite im-  
 pendere possent; cumque ipsius Concilii Patres Anno Domini MDCCXXVII.  
 hujusmodi Decreti approbationem & confirmationem a præfato Benedicto Præ-  
 decessore petissent, idemque Prædecessor Anno sequenti MDCCXXVIII. De-  
 cretum ipsum per suas Apostolicas Literas in forma Brevis approbasset & con-  
 firmasset; ex præfatis XXXIII. consulentibus, viginti tres in eo concordés  
 fuerunt, ut Fæstorum dierum redutio juxta formam & methodum Decreti Con-  
 ciliaris Tarraconensis fieri deberet, reliquis decem in diversas sententias abeun-  
 tibus; aliis nempe tollendas omnino censentibus Fæstivitates aliquot ex his,  
 quas Urbanus VIII. servari mandaverat, aliis proponentibus plurium Fæstivi-  
 tatum conjunctionem in unam diem de præcepto sanctificandam; aliis vero  
 complura Sanctorum Fæsta in dies Dominicos transferentibus.

Nos autem, horum omnium consiliis perlectis, matureque perpen-  
 sa, nequaquam expedire judicavimus generalem hac de re Constitutionem edere,  
 quum Nobis animo obversarentur multimodæ difficultates olim adversus præ-  
 dictam Urbani Prædecessoris Constitutionem excitatæ ab iis ipsis, qui pro il-  
 lius promulgatione consilium dederant, & preces obtulerant. Quapropter, ut  
 & Apostolicæ Sedis auctoritati ac dignitati prospiceremus, & simul ostendere-  
 mus, quanto in honore apud Nos habeantur Ven. Fratres Nostri Ecclesiarum  
 Antistites, quos quidem suarum Diœcesum necessitates optime intelligere, ma-  
 ximoque zelo pro Dei cultu & gloria flagrare non dubitamus, id Nobis servan-  
 dum proposuimus, & re ipsa servavimus, ut nihil hac in re decerneremus,  
 nisi postquam Episcopi pro suis Provinciis, peculiare Ecclesiarum & Populo-  
 rum necessitates Nobis demonstrantes, Fæstorum dierum imminutionem postu-  
 lassent. In quo tamen non cuilibet angustæ Diœcesis Episcopo id optanti an-  
 nuendum censuimus, nisi simul finitimi alii Præsules id ipsum expeterent;  
 quo scilicet ritus & disciplinæ uniformitas, quantum fas esset, in vicinis, at-  
 que conterminis Diœcesibus conservaretur. Præterea nihil innovari voluimus,  
 non solum in hac Nostra Romana Urbe, pro qua peculiare quædam circum-  
 stantiæ ponderandæ sunt, quæ aliis Civitatibus ac Diœcesibus aptari nequeunt;  
 sed nec in Nostra Bononiensi Civitate ac Diœcesi, cujus Pastorale regimen  
 una cum Supremo Pontificatu retinemus, ne scilicet aliis exemplo & judicio  
 Nostro præire voluisse videremur, ut pro suis Diœcesibus licet inviti, id fa-  
 cerent, quod Nos ipsi Bononiæ fecissemus; aut hominum censuram adversus  
 illos excitarem, qui non idem egissent, quod Nos statuisse viderent in Diœ-  
 cesi regimini Nostro immediate subiecta.

Hanc igitur agendi normam constanter sequentes, oblatis Nobis multorum  
 Episcoporum petitionibus, præceptum observandi dies Fæstos in pluribus Diœ-  
 cesibus atque Regionibus, juxta modum inferius dicendum, benigne relaxavi-  
 mus; Nec aliquid invenire est hac in re ullibi a Nobis fuisse statutum, sive  
 præ-

PONT. præcedentibus instantiis, & causarum expositionibus, pro singulis Civitatibus, ANNO  
 & Diœcesibus, ex parte earundem Antistitum, ad Nos & Apostolicam Sedem  
 A. IX. delatis. Quod vero spectat ad modum relaxandi hujusmodi præceptum, quum 1748  
 adverterimus, legem audiendi Missam, ab alia feriandi ab operibus servilibus,  
 distinctam plane, & separabilem esse; ipsosque etiam Episcopos non solum fre-  
 quenter agrorum cultoribus, sed & urbanis quandoque Operariis, haud diffi-  
 cent, de cætero autem laboriosis operibus incumbere valeant; quin etiam a  
 quibusdam Moralis Theologiæ Scriptoribus, licet audacter, assertum fuisse vi-  
 derimus, immunes esse a peccato pauperes, & inopes, qui Festis diebus etiam  
 solemnioribus, quo valeant egenas familias suas sustentare, audito Sacro, la-  
 boribus manuum suarum, quantumvis servilibus, per plures horas occulte, &  
 sine scandalo occupantur: cumque potissimum Tarraconensis Decreti ab Apo-  
 stolica Sede, ut supra dictum est, approbati, illustre exemplum præ oculis ha-  
 beremus: In admittendis Episcoporum Instantiis, hanc observavimus metho-  
 dum, ut, firmam & ratam relinquentes utramque legem de audienda Missa,  
 & de abstinendo ab operibus servilibus in omnibus diebus Dominicis, & in  
 præcipuis quibusdam anni Festivitatibus; aliarum minus solemnium sanctifica-  
 tionem ita deinceps fieri permitteremus, ut, audita Missa, reliquum diei tem-  
 pus pauperibus liberum esset ad laboriosa quæque opera exercenda. Neque  
 vero facile aditum apud Nos invenerunt aliquorum Antistitum preces, qui  
 Festorum dierum imminutionem alia via & ratione in suis Diœcesibus fieri  
 optabant, translatis nimirum in dies Dominicos Sanctorum Festivitatibus per  
 hebdomadas occurrentibus.

Per hæc autem minime detractum censei debet providæ Constitutioni Præ-  
 decessoris Nostri Urb. Papæ VIII. quam & Apostolico illius zelo dignam, & eo-  
 rum temporum rationibus maxime aptam fuisse agnoscimus, & profitemur.  
 Nec aliter profecto de illa Nos judicare dicendum esset, etiam si (prout fert  
 earum legum natura, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam, mutationibus merito  
 subjectam, unice pertinent), ex novis, non levibus, neque pro ingenio ex-  
 cogitatis causis, sed tot insignium Ecclesiæ Præsulum judicio comprobatis,  
 plures dies Festi de præcepto in Urbani Catalogo descripti, ex observando-  
 rum dierum numero exempti omnino fuissent. Ideoque minus hoc dici potest,  
 ubi nulla ex Festivitatibus in ea Constitutione designatis peculiari cultu & san-  
 ctificatione privata est; sed in aliquibus dumtaxat permissum fuit, ut Divinis  
 Mysteriis religiosa saltem præsentia celebratis, cuilibet licitum esset operibus,  
 & laboribus humanæ vitæ utilibus, & necessariis intendere.

Quod enim Ecclesiastica disciplina, salvo honore præcedentibus Constitutio-  
 nibus, earumque auctoribus debito, & sine eorum reprehensione atque injuria,  
 immutari valeat, innumeris possemus exemplis apertissime comprobare, a qui-  
 bus, cum in re minime dubia versemur, recensendis superfedemus; illudque  
 solum monuisse sufficiat, tunc demum innocuam esse antiquæ disciplinæ mu-  
 tationem, dum non temere atque inconsulto, sed a legitimis Superioribus, &  
 iustis de causis fiat, quas Innocentius III. Prædecessor Noster in Concilio La-  
 teranensi quarto *Can. 50.* commemorat.

Et Nos quidem jure Nobis polliceri posse videbamus, dum circa propositam  
 dierum Festorum imminutionem adeo caute, adeo ex aliorum potius sententia,  
 quam ex auctoritate, qua fungimur, omnia ad hunc diem agere studuimus,  
 nec nostram agendi rationem in aliorum censuram & offensionem incidere de-  
 bere, nec Ecclesiæ pacem, quæ Nobis summopere cordi est, ullo modo tur-  
 bandam fore. Verum nonnulla intervenerunt, quorum causa eam Nobis spem  
 in irritum cessisse dubitamus. Quum enim inter Viros doctos disputari cœpe-  
 rit, recte ne, an secus, Episcopi faciant, qui ab Apostolica Sede postulant,  
 ut liceat in suis Diœcesibus aliquos dies Festos de præcepto minus principales  
 sola

**FONT.** sola Missarum auditione sanctificare, non interdicto in reliquis horis negotiorum & operum etiam servilium exercitio, quamvis facile intelligamus, hujusmodi dissidia ex diversa hominum judicandi & opinandi ratione ortum habere, humanaeque res omnes similibus dissensionibus plerumque subjectas esse; nihilominus ab aliquibus doctis probisque Viris demonstratum Nobis est, in hac controversia, Scribentium stilum intra innocuae disceptationis terminos non constituisse; dubitarique posse, ne ab improbandis postulantiis studiis, ad ipsius concessionis reprehensionem sensim disputatio transferretur; adeoque incaluisse concertationis aestum, ut in publicis Libris & Scripturis graviore accusationes & censuræ in contrariæ sententiæ defensores utrimque conjectæ fuerint; ex quo sane novarum turbarum occasio, cum Ecclesiasticæ pacis detrimento, existere posset.

In hoc statu rerum, Nos unam ab altera consultationis causa sejunximus. Quæcumque circa Nostram agendi rationem dicta & conscripta palam, Nobis observanda offerebantur, ea nec audire volumus; sed testimonio conscientiæ Nostræ contenti, illa omnia vel negleximus, vel nimio contententium ardorâ condonavimus. Quod vero spectat ad ipsam ferventis disputationis naturam, illius examen primum demandavimus nonnullis in Theologica facultate præstantibus Viris; qui sane, omnibus visis atque perpensis, retulerunt, neutra ex parte ullum catholici dogmatis caput adductum fuisse, nihil adversus Urbani VIII. Constitutionem contumeliose aut irriventer esse dictum, nullum esse locum in contendendum scriptis, quantumvis adversariorum censura notatis, cui genuinus Catholicus sensus revera non subsit. Approbato Theologorum iudicio, quod luculentissimis Scriptis ediderunt, quid facto opus esset, ut ulterioribus perturbationibus occurreremus, exquisivimus; & aliquot Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque Ecclesiasticæ Disciplinæ peritorum consilium fuit, ut universæ quæstioni, auctoritate Nostra Apostolica, silentium imponeretur, publicandisque in posterum super ea Libris & Scriptis aditus intercluderetur; id quod a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, ad alias extinguendas controversias similiter exardescentes, non semel factum fuisse constaret. Horum consilium Nos, matura deliberatione præhabita, & probavimus, & exequendum statuimus, eo maxime, quod, si Scribentibus pro una aut altera sententia, hic fias propositus est, ut Ecclesiarum Antistites vel a petendo minuendorum Festorum Indulto retrahantur, vel ad illud postulandum incitentur, tot sunt, quæ ad hunc diem in utramque partem scripta & dicta fuerunt, ut quilibet Episcopus satis in illis habeat, quo suum denique consilium capere possit, prout ad optimum Diocæsis suæ statum, & ad Dei gloriam, magis expedire judicaverit.

Quapropter Nos hujusmodi consilio adherentes, de Apostolicæ Potestatis plenitudine, præsentis nostri Decreti vigore, omnibus & singulis infrascriptis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis infra statuendis, prohibemus primo, ne ullam hujus Decreti explicationem, interpretationem, aut commentarium, nec multo minus ullum Librum, Dissertationem, Epistolam seu, alterius generis opus, quo Decretum ipsum sive directe, sive indirecte oppugnetur, edere aut publicare audeant. Secundo vetamus & interdicens ne ullos in posterum Libros, Libellos, Relationes, Theses, Folia, Epistolas, vel alterius cuiuscumque generis Opera & Scripta, in quibus de imminutione dierum Festorum de præcepto, aut de facultate concedenda, vel deneganda, ut audita Missa in nonnullis minus principalibus anni Festis fas sit operibus servilibus vacare, sive ex professo, sive incidenter agatur, sive cum vero, sive cum ficto Auctoris nomine, sive sub alieno, vel etiam sine alicujus nomine, Typis imprimere, vulgare, seu alia quacumque ratione in lucem edere præsumant. Tertio quæcumque ad hunc diem hac super re edita fuerunt Opera & Scripta iterum prælo subjici, & reduci, multoque magis nova Folia, Opera, Epistolæ,



PONT. las, Dissertationes, aliaque præmissa, post hæc sub anteriori data, fraudulenter imprimi, aut publicari, similiter prohibemus; Decernentes, quæcumque ANNO  
 A. IX. hujusmodi Opera & Scripta in spretum & fraudem præsentis Decreti, imprimi de cætero forsan, vel alias, ut supra dictum est, in lucem prodire contingat, ea omnia & singula, absque alio examine, & in pœnam inobedienciæ & contumaciæ, in Indicem Librorum prohibitorum quamprimum referri. 1748  
 Hujus autem Decreti lege omnes & singulas cujuscumque status, gradus, conditionis, & dignitatis Personas Ecclesiasticas & Sæculares, & cujuscumque Ordinis, seu Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliorumque etiam specialem, & individuam mentionem requirentium Ordinum, Regulares, aliosque Ecclesiasticos quoscumque, etiam Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate fulgentes, & S. R. E. Cardinales, æqualiter teneri, & expresse comprehendi, decernimus, & declaramus. Contravenientes vero, præter Librorum & Operum prohibitionem, ut præfertur, si quidem Laici fuerint, in excommunicationem majorem latæ sententiæ, a qua nemo, præter Nos & Successores Nostros Romanos Pontifices, nisi in mortis articulo, ipsos absolvere valeat, Ecclesiasticos autem usque ad Sacerdotalem gradum inclusive, pœna suspensionis a Divinis, in Superioribus vero gradibus constitutos, suspensionis ab exercitio Pontificalium, & a perceptione fructuum suorum Beneficiorum, Pensionum Ecclesiasticarum, Monasteriorum, Episcopatum, & Archiepiscopatum, aliorumque Ecclesiasticorum reddituum quorumcumque, quarum pœnarum relaxationem, & respectivam rehabilitationem, Nobis, & Successoribus Nostri Romanis Pontificibus privative reservamus, ipso facto, absque alia declaratione, incurrere decernimus & sancimus. Præterea Typographos & Bibliopolas, qui Libros, Scripta, aut Folia hujusmodi, contra Decreti Nostri legem, Typis imprimere, aut recudere, seu vulgare & venundare ausi fuerint, omnibus & singulis pœnis tam pecuniariis, quam corporis afflictivis, quæcumque statuti sunt adversus eos, qui Libros prohibitos imprimunt, aut evulgant, sive venales proponunt, subjacere, & re ipsa multari & plecti, volumus & mandamus.

Ut autem nemo de præmissis ignorantiam allegare aut prætereendere possit, volumus & mandamus, hoc ipsum Decretum, seu illius exempla, ad valvas Basilicarum Urbis, & Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ, & in aliis solitis locis ipsius Urbis, per Cursos Nostros publicari & affigi, atque ita publicatum & affixum, omnes & singulos perinde afficere, ac si unicusque personaliter intimatum & notificatum fuisset; Ac præterea ipsius transumptis, seu exemplis, etiam impressis, cujuscumque Notarii publici manu subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, parem omnino fidem ubique locorum ab omnibus haberi, ac si Decretum ipsum manu Nostra subscriptum ipsis foret exhibitum, vel ostensum.

Datum Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die xv. Nov. MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno nono.

*Validitate inter virum Judæum, & mulierem Hæreticam. Expenduntur Leges Hebræorum, & Leges Imperiales quoad Virum, Canones, & Ecclesiastica consuetudo, ejusque vis, quoad Mulierem.*

*Dilecto Filio Nostro Henrico Sanctæ Mariæ in Porticu S. R. E. Presbytero Cardinali Duci Eboracensi nuncupato.*

### BENEDICTUS PP. XIV.

*Dilectæ Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**S**INGULARI Nobis consolationi, & universi totius Urbis Ordinibus exemplo est illa tua, quam assiduam cernimus, & audimus, exercitatis in pietatis numeribus; iisque in primis, quæ decent Ordinem Sacerdotalem, quo Tute a Nobis fuit in privato Sacello Nostro initiatus. Judæum autem ad Catholicam Fidem accedere cupientem, cum sis propediem Sacro Baptismatis Lavacro expiaturus, mirifice huic ostendis ea verba te semper in mente gerere, quæ juxta Pontificale Romanum, in tui Consecratione protulimus: *Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare.*

At exorta, uti accipimus, hæc controversia est, utrum scilicet, cum Hebræus e secta Protestantium uxorem duxerit, quæ aut hæresim ejuravit, aut ejurandæ parata est, utrum, inquam, initum antea Matrimonium, post susceptum ab Hebræo baptisma, sit iterandum. Te igitur hac Nostra epistola certiore facimus, ambos, postquam Catholicæ Fidei nomen dederint, per Baptismum alter, altera per hæresis detestationem, rursus esse matrimonii vinculo conjungendos. Nam quod ante inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur *disparitatis cultus*: In qua re declaranda, sermonem primo de Viro, tum de muliere instituemus, diligenter investigantes, an eorum uterque, dum contubium iniiit, illius esset impedimenti vinculo irretitus.

Initium igitur a viro sumimus, ac breviter indicamus quidquid hac in re tum Hebræica Lege sancitum, tum Principum decretis constitutum sit; ommissis Sacris Ecclesiæ Canonibus, cum nullo modo possint iis accomodari, qui nunquam in ejus finem admissi sunt. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Sic S. Paulus epistola 1. ad Corinth. cap. v. scripsit, cujus verba apta ab Urbano III. Prædecessore Nostro ad rem nostram accomodata sunt cap. *Gaudemus, de divortio.*

Deuteronomii cap. 7. cautum est, ne Hebræis liceret cum iis scæminis, quarum religio non esset eadem, matrimonio copulari. *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis eorum, neque socialis cum eis conjugia; filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et lib. 1. Esdræ cap. 10. habetur, *Secheniam cum eodem Esdra publice conquestum de Hebræis esse, qui uxores duxerant infideles, ibique legitur consilium ab eo captum, quod his verbis exprimitur. Vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super Dentum Israel, & nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum ejus, & separamini a populis terræ, & ab uxoribus alienigenis.*

Verum non videtur his sacrarum Literarum testimoniis adniti posse impedimentum *disparitatis cultus*, matrimonia dirimens Hebræorum cum mulieribus alienigenis. Primum quidem supradictus Deuteronomii locus ad cap. 7. explicari commode de interdicto potest, quo illicita quidem sint hujusmodi matrimonia,

PONT. monia, non infecta, ac irrita. Hoc magis magisque confirmat, quod *lib. 3. Anno*  
*Regum cap. xi.* legitur, jam lata scilicet Deuteronomii lege, Salomonein pi-  
 A. IX. res uxores duxisse ex iis gentibus, cum quibus connubia habere prohibitum 1749  
 Hebræis a Deo fuerat; quæ quidem non Concubinarum loco ab ipso habitas  
 fuisse Sacer Textus indicat, cum septingentas Reginas a trecentis Concubinis  
 omnino distinguat. Accedit præterea Sampsonis exemplum, qui Dalilam uxorem  
 habuit ex Gigantum progenie ortam: Et sexcenta alia prætermittimus,  
 quorum vim ingenue fatetur celeberrimus Theologus Domin. Sotus *in 4. dist.*  
*39. qu. unic. art. 1.*, licet is sentire videatur, illa Deuteronomii verba de im-  
 pedimento agere non impediunt, ut inquirunt, sed diriment.

Deinde vero etsi Soti sententia vera esset, tamen impedimentum dirimens  
 non ad universos omnino populos pertineret, sed ad septem Nationes tantum,  
 idest Hethæos, Gergezæos, Amorrhæos, Cananæos, Pherezæos, Hevæos, Je-  
 busæos, quæ scilicet Deuter. cap. 3. exprimuntur: id vero nullo pacto sufficit,  
 ut impedimentum disparitatis cultus in Hebræica lege inter Hebræos, & mu-  
 lieres alterius cultus, & cujuscumque Nationis, stabiliatur; juxta egregiam  
 S. Thomæ doctrinam, qui *in 4. sent. dist. 36. qu. 1. art. 1. Ad primum* sic scripsit:  
*Diendum, quod in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permixtum, ut cum*  
*iis possent inire conjugia, & de aliquibus prohibitum, specialiter quidem erat pro-*  
*hibitum de infidelibus habitantibus in terra Canaan, qui memoratas paulo ante*  
*gentes comprehendunt. Quod vero prædicta lege Deuteronomii ad cap. 7. dum-*  
*taxat tenerentur terræ Canaan habitatores, non autem cæteri, licet additi*  
*diversæ penitus Religioni, id clare perspicitur ex Cap. 21. ejusdem Deutero-*  
*nomi, ubi victoribus Hebræis conceditur, eam captivam uxorem ducere, cu-*  
*jus forma ipsis egregia videtur. Et videris in numero Captivorum mulierem put-*  
*thram, & adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, dormias cum illa, &*  
*erit uxor tua: quod quidem S. Th. animadvertit loc. cit. in resp. ad secundum.*

Cum autem Esdras filios Israel a mulieribus alienigenis separaverit, non il-  
 lud hinc sequatur necesse est, quod is nimirum Deuteronomii caput leptimum  
 ita interpretatus sit, ut ob disparitatem cultus, irrita, infectaque matrimonia  
 esse jussit; quinimo illud in eam partem accipi potest, ut manente eodem  
 matrimonii vinculo, separatio quoad thorum fieret; ita tamen ut polygamie  
 nubere liceret viris, nefas esset mulieribus de thalamo cogitare, donec aut vi-  
 ri occumberent, aut ipsæ ad Judaicam accederent Religionem; ut sapienter  
 animadvertit insignis Theologus Gulielmus Estius *lib. 4. sent. dist. 39. §. 3. vers.*  
*Quod si dicas Esdras.* Id etiam S. Augustini auctoritate confirmatur, qui *in*  
*lib. de adulterinis conjugis cap. 18. de Matrimoniis ab Esdra separatis, tan-*  
*quam de veris loquitur, licet non legitimis, utpote contractis Dei præcepto*  
*non suffragante.*

Ex dictis liquet, incertum esse, ex lege Mosaica, Matrimonia Hebræorum  
 unita cum mulieribus exteris, & Religionis alienæ, haberi irrita oportere.  
 Neque hinc argui potest, eadem lege certum fuisse, ut viri hujusmodi Matri-  
 monia ineuntes, ob disparitatem cultus, dirimenti teneantur impedimento.  
 Idem quoque sentiendum de Principum legibus arbitramur. Lex enim unica,  
 quæ ad hanc rem pertineat, Theodosii est, quæ incipit, *Ne quis sub titulo*  
*Codicis de Judæis, cujus hæc sunt verba: Ne quis Christianorum mulierem in*  
*Matrimonium Judæus accipiat, neque Judæus Christianus Conjugium sortiatur: Nam*  
*si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vice commissi hujusmodi crimen ob-*  
*tincent.* Verum duæ hic occurrunt difficultates: prima, quod hæc Lex utpo-  
 te a laico Principe condita nullam habere vim in Matrimoniis debet: *Leges*  
*illæ quomodocumque intellectæ, non possunt præscribere Ecclesiæ.* Sic Estius cit-  
 loco ad §. *Si quis obiciat.* Gravior altera est. Nam Theodosii lege Hebræi cum  
 Christiana Matrimonium, ob sceleris indignitatem, non quidem ut irritum,  
 sed ut adulterium, severissime damnabatur. *Leges autem Imperatoris dicendum*

PONT. est, dicta Matrimonia, ut adulteria punire, propter gravitatem peccati, non propter nullitatem Matrimonii. Idem Estius. ANNO

A. IX. Quamobrem, si in Matrimonio, de quo nunc agimus, impedimentum disparitatis cultus intercesserit, inspiciendum erit, an illi mulier obnoxia fuerit; quod ut cognoscatur, diligenter est perferendum, nam jure Canonico tale impedimentum decretum fuerit, aut communi Ecclesie Catholice consuetudine stabilitum; præterea an mulier Protestantium hæresi infecta hac consuetudine teneatur. Nam si mulier cum fœdus iniit, dirimenti hoc impedimento detinebatur, hoc satis est, ut Matrimonium irritum habeatur; directe quoad mulierem, oblique quoad virum; licet hic Superioris auctoritati, qui legem tulit non sit obnoxius: eo ferme pacto, quo si Princeps aliquis subditorum cum esteris commercium sustulisset, atque irrita declarasset, ea si forte fierent, inania haberentur; licet non uterque negotiatorum, sed unus tantum esset subditus Legislatori.

1749

Nunc, ut proposuimus, an impedimentum illud disparitatis cultus jure Canonico decretum fuerit investigemus. Verum facilis explicatio: Canones quippe a Gratiano collecti in *causa 28. qu. 1.* revera fidelium cum infidelibus Matrimonia prohibent, non ita tamen, ut eadem faciant irrita: Et quamquam facerent, tamen quum Canones illi a Conciliis Provincialibus conditi fuerint, eantam vim obtinere minime possunt, ut iis Universalis Ecclesia obligetur; quamvis prædicti Canones in Gratiani decreto locum habeant, & illud opus jussu Gregorii III. emendatum fuerit; ut in quibusdam Nostris Operibus jam in publicam lucem editis satis superque a Nobis probatum est.

Sequitur modo, ut cum impedimentum illud jure Canonico statutum non fuerit, perquiramus, an communi Ecclesie Catholice consuetudine susceptum, atque firmatum inveniatur. Qua quidem in re omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita Matrimonia esse, non quidem jure sacrorum Canonum, sed generali Ecclesie more, qui pluribus abhinc sæculis viget, ac vim legis obtinet. Consultatur Cardinalis Bellarminus *tom. 3. controvers. de Sacr. Matr. lib. 1. cap. 23. vers. Tertia propositio.* Estius *loc. cit. §. si quis objiciat,* & Natalis Alexander in *Theolog. Dogmat. & moral. lib. 2. de Sacram. Matrim. art. 8. §. Certum est,* recens Herminier *Tract. de Sacram. tom. 3. pag. 477.*, item etiam *tom. 3. Conventum Ecclesiasticorum*, qui Parisiis habebantur, cum ejusdem Ecclesie Archiepiscopus esset Cardinalis de Noailles *lib. 1. convent 1. §. 3.*, ubi hæc scripta sunt: *Omnes ferme Theologi sentiunt, nunquam Ecclesiam Matrimonia Christianorum cum infidelibus aliquo Canone vetuisse, quo ea declaret irrita; impedimentum vero, quod a Religionis diversitate procedit, ab usu consuetudineque Ecclesie vim legis habente statutum fuisse.*

Restat denique expendendum, an mulier ex hæresi Protestantium, dum Hebræo nupsit, hac lege universali, ut diximus, Ecclesie consuetudine inducta obligaretur, quæ Christianorum cum Ethnicis, aut Hebræis Matrimonia propter disparitatem cultus irrita esse jubet. Hac vero in questione non alio modo responderi posse arbitramur, nisi videlicet, eam fuisse id temporis obligatam. Hoc siquidem impedimentum non habet locum in Matrimoniis eorum, qui non sunt baptisate initiati, licet fallam ambo religionem sectentur; vim ullam habet in Matrimoniis eorum, qui Baptisma susceperunt, etsi alter Catholicus, hæreticus, fuerit, quum plane constet, illicita illa quidem, sed rata esse. Illud autem vigere compertum est, in eorum conjugii, quorum alter Baptismi est particeps, expers omnino alter, quamvis adhuc Cathecumenus esset, atque ad Catholicam fidem accedere statuisset. Id confirmatur Textu in *Can. Caræ 28. qu. 1.*, ubi hæc habentur: *Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis: & præter S. Thomam loc. cit. in responsione ad quintum, & præter Sorum loco superius laudato §. Hinc fit, id etiam decernunt Pontas in cas. 7. ad verbum impedimentum disparitatis cultus, Iuvenin. de Sacram. dist. 10.*

PONT. *disf. 10. p. 2. s. 2. vers. Quæres utrum Cathecumeni*, Sanchez de *Matrim. lib. 9. ANNO*  
*cap. 12. num. 66. & seqq. Clericat. de Matrim. dec. 26. nu. 3.* Cum vero hæc Com- 1749  
 A. IX. munis Ecclesiæ disciplina tunc vigeat, eique, ut innuimus, mulier Protestan-  
 tum erroribus addita subiciatur, necesse erit, ut Matrimonii fœdus, quod  
 cum Hebræo inicit, cum hic Baptismate ablutus minime fuerit, per impedi-  
 mentum *disparitatis cultus* irritum, infectumque habeatur.

At objicere quis forte posset, Baptismum, de quo nunc agimus, non qui-  
 dem a Catholico, sed a Ministro Protestantium collatum fuisse; mulierem ve-  
 ro, utpote hæresi mancipatam, post susceptum Baptisma, extra sinum Eccle-  
 siæ Catholicæ fuisse, nec ideo ejus legibus obligatam. Sed hæc diluere facile  
 possumus, si primo consideremus, quod apud omnes constat: Hæreticus aliquem  
 baptizando, si formam adhibeat, & materiam legitimam, ut in mulierem, de  
 qua sermo est, peractum existimamus, is Sacramenti caractere insignitur. Hac  
 enim ratione, tamquam fundamento, & S. Augustinus, & veteres Patres in-  
 nitebantur, ut Donatistas refellerent, qui contendebant, ab Hæreticis bap-  
 tizatos rursus esse baptismate initiandos.

Deinde id etiam compertum est, eum, qui baptismum ab Hæretico rite susce-  
 pit, illius vi Ecclesiæ Catholicæ membrum effici; privatus siquidem baptizan-  
 tis error hac eum felicitate privare nequit, si Sacramentum conferat in Fide  
 veræ Ecclesiæ, atque ejus instituta servet in his, quæ pertinent ad validita-  
 tem baptismi. Egregie hoc confirmat Suarez in sua Fidei Catholicæ defensione  
 contra errores sectæ Anglicanæ *lib. 1. cap. 14.*, ubi probat Baptizatum Ecclesiæ  
 membrum fieri; hoc etiam addens, quod si hæreticus, ut læpius accidit, infan-  
 tem lustret impotem ad fidei actum eliciendum, hoc impedimento non est, quo  
 minus ille habitum fidei cum baptismum accipiat.

Postremo exploratum habemus, ab Hæreticis baptizatos, si ad eam ætatem  
 venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus bap-  
 tizantis adhæreant, illos quidem ab Ecclesiæ unitate repelli, iisque bonis orbari  
 omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes: non tamen ab ejus auctorita-  
 te, & legibus liberari; ut sapienter Gonzalez differit *ex cap. sicut num. 12.*  
*de hæreticis.*

Hoc quidem in transfugis, ac perduellibus observatum videmus, quos leges  
 civiles a Fidelium subditorum privilegiis omnino excludunt. Leges quoque  
 Ecclesiasticæ privilegia Clericalia iis Clericis non concedunt, qui Sacrorum  
 Canonum jussa negligunt. Nemo autem sentit, aut perduelles, aut Clericos  
 Canonum violatores, suorum Principum, aut Prælatorum auctoritati non  
 subjacere.

Hæc exempla, ni fallimur, pertinent ad quæstionem: ut enim illi, sic hæ-  
 retici Ecclesiæ subditi sunt, & legibus Ecclesiasticis tenentur. Cum vero inter  
 Ecclesiæ leges illa quoque recensetur, quæ Matrimonia illorum, quorum al-  
 ter rite baptismum acceperit, secus alter, rata non habet; in nostrâ etiam  
 quæstione statuendum erit, cum hæretica mulier baptismum initiata Hebræo  
 nupsit, Matrimonium illud pro irritum habendum esse. Consulatur Anacletus  
*lib. 4. Decret. cit. 3. de Clandestina desponsatione s. 3. n. 142. & seq. 3.* qui prædi-  
 ctæ sententiæ inhærens, Matrimonia ab Hæreticis inita statuit esse invalida,  
 si impedimentum dirimens ab Ecclesia sancitum, aut universali lege, aut com-  
 muni consuetudine, quæ vim legis obtinet, intercedat.

At vero ne silentio aliquid dissimulemus, scitemur allatas rationes sufficere  
 non potuisse, ut Matrimonia, quæ in Belgio, absente Parocho Catholico, aut  
 inter Hæreticos, aut inter Catholicos & Hæreticos contracta fuerant, rescin-  
 derentur, cum Nosmetipsi Decretum fecerimus die 4. Novembris 1741., quo  
 statuimus prima ene valida, secunda illicita, sed non irrita; quamvis Conci-  
 lium Tridentinum impedimentum dirimens pro iis Matrimoniis statuerit, quæ  
 post ejus promulgationem non coram Parocho Catholico, & duobus testibus  
 con-

PONT. contrahuntur. Nam ut ambiguitas omnis tollatur, ignorandum non est, in ANNO  
 hujus controversiæ investigatione, quam *an. 1741.* explicavimus; Nos ipsos,  
 A. IX. & Nostra, & multorum, quos consulimus, sententia existimasse, firmas cer- 1749  
 tasque manere prædictas antea rationes; sed ad rem, de qua agebamus, mini-  
 me aptas esse. Ex verissimis siquidem argumentis, conjecturisque probatum est,  
 Conc. Trid. quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum  
 suum ad ea Matrimonia non extendisse, quæ disceptationi a Nobis *an. 1741.* so-  
 lutæ occasionem dedere; ut commode colligi potest ex suffragiis Theologorum,  
 & Canonistarum, qui hac de re scripserunt, quæ Romæ in publicam lucem  
 edita sunt in Tomo unico foliorum Congr. Conc. *an. 1741.* Quo quidem veritas  
 superioribus fundamentis fulta non infirmatur, ut eo plane modo, quo Episcopus,  
 si nolit aliquando corrigere, aut punire, Clericum, qui Canonum sanctionibus  
 non obtemperat, nec privilegiis fruitur; Episcopus, inquam, non dubitatur,  
 quin alias, si velit, eum libere possit aut arguere, aut punire.

At objici adhuc posse cognoscimus existimandum esse, Ecclesiam noluisse im-  
 pedimento disparitatis cultus ea Matrimonia subjicere, quæ ab hæreticis Pro-  
 testantibus cum Hebræis contracta sunt, in iis præcipue regionibus, ubi illud,  
 de quo sermo est, initium fuit; cum hoc impedimentum vim ex consuetudine  
 obtineat, nullamque in illis regionibus consuetudinem hujusmodi vigere com-  
 pertum sit.

Répondemus autem veterem hanc esse quæstionem, atque a Patre Lessio  
 tam excitatam, cum primum Japonenses, & Sinenses a falsorum Deorum cul-  
 tu ad veri Numinis Religionem transierunt: cum enim idem Lessius assereret,  
 nullam apud eos hujusmodi esse consuetudinem, idcirco Matrimonia ibidem in-  
 ter baptizatos inita esse rata existimabat. Eadem contro-  
 versia disceptata fuit ab illis, qui in Seminario Missionum Parisiis degunt.  
 Perlegere etiam fas est dubium a Patre Lessio excitatum apud Verricellum *de*  
*Missionibus lib. 3. de legibus qu. 79. nu. 1.* apud Dianam *in Edit. coord. tom. 6. tract. 1.*  
*resolut. 13. sub s. 2.* apud Clericat. *decis. 26. n. 23.* Quod vero ab his, qui in Se-  
 minario Parisiis degunt, discussum est, legi potest in citato *Conventu 1. de*  
*Matrimonio*, cum Ecclesiam illam regeret Cardinalis de Noailles, s. 4 Verum  
 controversiæ finis cum constitutus deinde fuerit, decernendo, consuetudinem  
 non susceptam posse id efficere, ut Sancta Sedes, cum cœperunt Sinenses, Ja-  
 ponensesque Catholicam Fidem amplecti, Vicariis Apostolicis facultatem daret,  
 qua super impedimento disparitatis cultus cum iis dispensarent, quemadmo-  
 dum in prædicto s. 4. indicatur, & quemadmodum factum legibus in documen-  
 to, quod est inter Constitutiones Apostolicas ad Missiones Sinarum, & Tun-  
 kini spectantes, Parisiis editas *an. 1676. pag. 38.* inter Epistolas Card. d'Osat  
 Parisiis typis mandatas *anno 1627. ep. 311.* ubi refertur amplissima facultas Mis-  
 sionariis a Gregorio XIII. concessa, ut novos Christi-fideles Provinciarum,  
 Insularumque Japoniæ impedimento illo solverent, & liberarent: Cumque hu-  
 jusmodi remissio, nisi lex obset, non concedatur, satis sperque id est, ut  
 clarissime innotescat, nullius momenti esse, quod de consuetudine impedimenti  
 disparitatis cultus non adhuc suscepta objiciebatur; Cum potissimum peculiaris  
 asserta consuetudo universali contrariæ consuetudini cedere debeat.

Quamobrem ad propositum redeunt, compertum habes, quod postquam  
 mulier hæresim more solito in idoneo Tribunali ejuraverit; Tu vero Hebræum  
 Sacro Baptismate initiaveris, inter illos coram Parocho Matrimonium erit ite-  
 randum, a Concilio Tridentino præscripta forma servata; quum Baptismi Sa-  
 cramentum sit janua cæterorum. Hic autem Nos finem imponentes Tibi, Di-  
 lecte Filii Noster, Tuæque Regiæ Domui, ex animo Apostolicam Benedictio-  
 nem impertimur.

Datum apud S. Mariam Majorem die 9. Februarii 1749. Pontificatus Nostri  
 Anno IX.

PONT.

NUM. LXXI.

A. IX.

## DE ECCLESIARUM CULTU

1749

*Et nitore; de Officiorum Ecclesiasticorum, & Musices ratione, Epistola Encyclica, occasione imminenti Anni Sancti, ad Episcopos per Ditionem Ecclesiasticam constitutas scripta.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**A**NNUS, qui hunc vertentem annum insequitur, ut Fraternalitas Tua cognitum & compertum habet, Jubilæus est. Et quoniam, bello confecto & penitus sublato, summa Dei miseratione, pax inter Principes, qui decertabant, inita est, fas est sperare in Domino, magnos exterarum nationum, etiam longe distitarum, ad hanc almam Urbem fore concursus. Nos quidem enixe Deum deprecamur, atque etiam ab aliis orari cupimus, ut omnes, qui ad hanc Urbem se conferunt, spirituales fructus Sanctarum Indulgentiarum consequantur, idque, ut eveniat, pro virili Nostra quam diligenter curabimus. Optamus etiam, ut omnes, qui Romam veniunt, ne moribus nostris offensi recedant; sed potius ex iis, quæ in hac Urbe, atque in aliis Civitatibus Ditionis Nostræ, per quas iter eos facere contigerit, conspexerint, ad eorum patrias redeuntes, incitamenta referant atque exempla virtutum. Quod autem ad Romam attinet, jam ex parte a Nobis provisum est, & uberius etiam in posterum providebitur: pro iis vero, quæ ad Diocesim, quæ a Te recte, prudenterque regitur, pertinent, Nobis opus est pastoralis tuo zelo; probataque sollicitudine: quod si adjutricem manum, ut certo confidimus, admoveere velis, minime dubitamus, non solum Nos assecuturos id, quod in votis est, sed insuper fore, ut Ecclesiastica disciplina, ex iis, quæ a Nobis præcepta fuerint, composita, non modo per totum Annum Sanctum, sed per plures deinceps annos integra, immotaque permaneat. Id enim ipsum continget, quod usu venire compereris in Sacris Pastoralibus visitationibus; cum enim Ecclesiastici Pastoris adventum Clerici, Sæcularesque homines apperiantur, & ante & postquam Episcopus advenit, studiose satagunt, ut quæ prava sunt, corrigantur; quæ infirma, curentur; quæ mala, amoveantur; adeo ut earum fructus non solo visitationis tempore, sed longe post perseveret.

§. I. Sed ut ad rem propositam veniamus, quod in primis Tibi enixe commendamus, illud est, ut Ecclesiæ optimo in statu sint, nitidæ, mundæ, sacraque Suppellectili instructæ; facile enim quisque intelligit; si advenæ per hanc nostram Ecclesiasticam Ditionem iter agentes, intueantur Ecclesias Civitatum, ac Diocesum ruinosas, illuvie & squallore deformes, sacris vestibus indigentes, vel habentes laceras, sordidas, & ejus conditionis, ac status, ut dignæ sint, qua interdantur, certe nostris moribus offensæ, atque indignatæ ad suas regiones revertentur. Hic autem adverti volumus, nos verba facere non de sumptuositate, & sacrorum Templorum magnificentia, nec de divite, ac pretiosa suppellectili; non enim Nos latet hæc non omnibus in locis haberi posse; sed decentiam & munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire, & componi possunt. Inter cætera mala, quibus Ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat Ven. Card. Bellarminus: *Omitto, inquiens, quod alicubi vasa sacra, & vestes quibus mysteria celebrantur, vilia, & sordida inveniantur, indigna prorsus, quæ ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui hæc adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest; sed si pretiosa non possunt, saltem munda, & nitida procurarent. Quamobrem*

PONT. obrem Prædecessor Noster rec. mem. Benedictus XIII. cujus labores pro Eccle- ANNO  
 siastica disciplina vel servanda, vel restituenda, Ecclesiarumque decore procu-  
 A. IX. rando notissimi sunt, proponere solebat in exemplum Patrum Capuccinorum 1749  
 Ecclesias, in quibus est summa paupertas, æqualisque munditias omnium oculis spe-  
 ctanda se offert. Drexelius tom. 17. suorum Operum, quæ Monachii impressæ  
 sunt, in Tractatu, qui inscribitur *Gazophilacium Crisi part. 2. c. 2. pag. 153.*  
 ita scribit: *Primum, ac potissimum, quod Templis debetur, est mundities. Non  
 tantum adsint, quæ in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest,  
 mundissima sint, Et jure merito contra eos invehitur, qui domos bene orna-  
 tas, & cultas habent, Ecclesias vero in squallore, & sordibus relinquunt.  
 Sunt etiam qui domos habent instructissimas, & ornatissimas: in eorum Templis,  
 ac Sacellis squalent omnia: Aræ a frontalibus nudæ vix lateis, & sordidis  
 pannis infernuntur: in cæteris omnibus confusio, & squalor. Magnus Ecclesiæ  
 Doct. Hierony. in Ep. ad Demetriadem parum se curare haud obscure indicavit,  
 pauperes ne, an divites sint Ecclesiæ. Alii ædificant Ecclesias, vestiant parietes  
 marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurant copita, præ-  
 tiosum ornamentum non sentientia; ebore, argentoque valvas, & gemmis aurata di-  
 stinguant Altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet:  
 meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare. At vero Ecclesiarum mundi-  
 ciem maximi facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit,  
 quia diligens, ac sollicitus fuit in nitore, & munditia Eccles. atque Altarium cu-  
 randa, ut videre licet in ejusdem Nepotiani Epitaphio, quod S. ad Heliodorum  
 misit. Erat ergo, ait, sollicitus, si niteret Altare, si parietes absque fuligine,  
 si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in hostiis, si  
 sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes Cæremonias pia sollicitudo dis-  
 posita; non minus, non majus negligebat officium. Profecto sedulo, ac diligenter,  
 cavendum est, ne illud sine maxima Ecclesiastici Ordinis infamia contingat,  
 quod sibi evenisse narrat laudatus Cardinalis Bellarminus: Ego, ait, cum ali-  
 quando ex itinere apud Episcopum nobilem, & prædivitem hospitarer, vidi au-  
 lam vasis argenteis splendidam, & mensam omnium generum præstantium ciborum re-  
 fertam; mappas quoque, & reliqua omnia nitida, & odorem suavem spirantia.  
 Sed cum die sequente summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem,  
 ut sacris operarer, inveni omnia contraria, id est vilia, & sordida, ut vix au-  
 derem in tali loco, & cum tali apparatu Divina mysteria celebrare.*

§. 2. Altera res est, ad quam curam tuam, & sollicitudinem excitamus, ut  
 horæ Canonice, pro more & instituto cujusque Ecclesiæ, canantur, seu reci-  
 tentur, pro ut decet, ac convenit, ab iis, qui ad eas tenentur; nihil enim  
 est magis Ecclesiasticæ disciplinæ inimicum, aut perniciosum, quam Divinam  
 Psalmodium in Ecclesiis Dei contemptim, aut negligenter obire. Certe haud  
 ignota tibi est obligatio, qua Canonici, alique Ecclesiarum Metropolitanarum,  
 Cathedralium, & Collegiatarum ad quotidie Horas Canonicas in Choro can-  
 tandas tenentur: cui obligationi satis ille utique non facit, qui Ecclesiasticæ  
 Psalmodiæ munere, nulla animi attentione, oscitanter, indiligenterque per-  
 fungitur. Sum. Pont. Innocentius III. in Concilio Lateran. relato in cap. Do-  
 lentes de celebrat. Miss. de eadem obligatione loquitur in hunc modum: *Distri-  
 cte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, &  
 diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent, pariter & devote. Ubi  
 Glossa explicans verbum illud studiose, hæc subjicit: Quantum ad Officium oris,  
 id est sine synopa: & ad verbum devote talia adnotat. Quantum ad Officium cor-  
 dis. Clemens V. Prædecessor Noster in Concilio Viennensi in sua Constituc-  
 tione, quæ inter Clementinas reperitur, & cujus initium est: *Gravi, sub ti-  
 tulo de celebratione Missarum, eodem modo loquitur: ut in Cathedralibus, Re-  
 gularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur. Et Concilium Tri-  
 dentinum cap. XII. sess. 24. de Reformatione tractans de obligationibus Canonica-**



PONT. rum Sæcularium: Omnes vero, inquit, Divina per se, & non per substitutos, ANNO  
 compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alio Pontificalia exercenti,  
 assistere & inferuire; atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis  
 Dei nomen reverenter Distincte, devoteque laudare. Hinc autem necessario sequitur,  
 diligentem invigilandum, ut cantus præceps minime sit, aut citior  
 quam decet, utque suis locis pausæ fiant, & ut altera pars Chori versiculum  
 Psalmsi subsequenter non exordiat, priusquam altera antecedentem absolverit:  
 Nec prius Psalmi pars Chori versiculum incipiat, quam ex altera præcedentes  
 Psalmi & versiculi finiantur. Sunt verba Concilii Salmutiensis an. 1253. De-  
 mum ut cantus vocibus unisonis peragatur, & Chorus a peritis in cantu Ec-  
 clestiastico (qui cantus planus, seu firmus dicitur) regatur. Hujusmodi cantus  
 ille est, quem ad musicæ artis regulas dirigendum, efformandumque multum  
 elaboravit S. Gregorius Magnus Prædecessor Noster, ut testatur Joannes Dia-  
 conus in ejus vita lib. 2. cap. 7. Hoc autem loco plura addere, quæ ad Eccle-  
 siasticam eruditionem pertinent, de Ecclesiastici cantus origine, de Cantorum  
 Schola, & Primicerio, qui ei præsidebat, haud difficile nobis esset; sed præ-  
 termissis, quæ minus necessaria videntur, eo, unde paulo digressi sumus, rem  
 propositam exequentes revertamur. Cantus iste ille est, qui fidelium animos  
 ad devotionem & pietatem excitat; denique ille est, qui si recte decenterque  
 peragatur in Dei Ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur; & alteri, qui  
 cantus harmonicus, seu musicus dicitur, merito præferatur. Hunc quidem Mo-  
 nachi a Presbyteris Sæcularibus didicerunt, & cum ab ipsis accurate, diligen-  
 terque tractetur, sacrisque iu functionibus adhibeatur, contra autem negligat-  
 ur a nonnullis Clericis, oscitanterque persolvatur; hæc potissima causa est,  
 qua a Christiano populo frequentius Regularium Ecclesiæ, quam Sæcularium  
 adeantur; ut bene advertit Jacobus Eveillon in suo Tractatu de recta ratione  
 psallendi ad cap. 9. art. 9. pag. 99. Sordescit quippe sanctis auribus omnis musici  
 concentus titillatio præ hac plani cantus, & simplicis psalmodiæ armonia, si recta  
 fuerit. Atque eo fit, ut, relicta hodie Ecclesiæ Collegiatis, & Parochialibus, tam  
 libenter, & avidè concurrat populus Fidelis ad Ecclesias Monachorum, qui magi-  
 stram habentes in colendo Deo pietatem, sanctè, moderate, & ut Psalmistarum  
 Princeps olim dixit, sapienter psallunt, & Domino suo ut Domino, & Deo, cum  
 summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse Ecclesiis primariis, &  
 majoribus, a quibus Monachi & canendi, & psallendi artem omnem, ac regulam  
 didicerunt. Et ideo Sacrum Concil. Trident. quod nihil eorum, quæ ad refor-  
 mationem Cleri conferre poterant, prætermisit cap. 18. sess. 23. de Reform., ubi  
 agit de Seminariis instituendis, inter cætera, quæ Seminariorum alumnos edo-  
 cendos præcipit etiam cantum recenset his verbis: Ut vero in disciplina Eccle-  
 siastica commodius instituantur, Tonsura statim, atque habitu Clericali semper uten-  
 tur, Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium  
 disciplinam discant.

§. 3. Tertia res est, de qua Nos Te admonere opus est, ut musicus can-  
 tus, qui nunc in Ecclesiis usus receptus est, & qui Organi, aliarumque In-  
 strumentorum harmoniæ conjungi solet, ita instituat, ut nihil profanum,  
 nihil mundanum, aut theatrale resonet. Universus quidem Orbis Christianus  
 Organi, aliorumque musicorum instrumentorum usum adhuc non recepit; præ-  
 ter enim Ruthenos Ritus Græci, qui in suis Ecclesiis neque Organum, neque  
 aliæ musicæ instrumenta habent, teste Patre le Brun tom. 2. explicat. Miss. pag.  
 215. Nostra Pontificia Capella, ut omnibus notum est, cantum, musicum, sed  
 gravem, decorum, piisque admittit, nunquam autem organum recepit, quod  
 etiam notatur a Patre Mabillone in suo Musica Italico tom. 1. pag. 47. §. 17.  
 Dominica Trinitatis, Capellæ, ut vocant, Pontificiæ interfuimus &c. Nullus or-  
 ganorum musicorum usus in hujusmodi sacris, sed sola vocum musica, eaque gra-  
 vis cum plano cantu admittitur. Refert Græcolas in Commentario historico

Font. de Breviario Romano cap. 17. etiamnum in Gallis aliquas insignes Ecclesias ANNO  
 A. IX. reperiri, quæ organum, cantumque musicum, seu harmonicum in sacris fun-  
 ctionibus non adhibent: *Sunt tamen ad hanc diem insignes in Gallia Ecclesie, 1749*  
*organorum, & musices usum ignorant. Illustris Ecclesie Lugdunensis, quæ quidem*  
*novitatibus semper averfata est, usque ad hunc diem exemplum Pontificie Ca-*  
*pellæ secuta, nunquam organo uti voluit: Constat igitur ex dictis, nec statim*  
*ab initio, nec ulique recepta fuisse muscialia Instrumenta: Nam etiam nunc Ro-*  
*ma in Sacello Summi Pontificis semper sine instrumentis Officiorum solemnia cele-*  
*brantur, & Ecclesia Lugdunensis, quæ novitates nescit, semper ipsa constantissima*  
*organa repudiavit, neque in hunc diem ascivit. Sunt verba Cardinalis Bona in*  
*Tractatu de Divina Psalmodia capite decimo septimo, §. 2. numero quinto per*  
*totum. Quamnam igitur opinionem de Nobis accepturi sint, qui ex illis regio-*  
*nibus, ubi nullus musicorum instrumentorum usus est, ad Nos, nostraque*  
*Urbes proficiscuntur, in quorum Ecclesiis concentus musicos audiat, non se-*  
*cus, ac in theatris aliisque profanis locis, facili quisque per se conjectura af-*  
*sequi potest, Venient etiam, haud dubium est, cæteri ex illis regionibus, in*  
*quarum Ecclesiis cantus, & musica instrumenta adhibentur, perinde ac in ali-*  
*quibus nostris fieri solet. Sed si isti homines prudentes, & pii sint, dolebunt*  
*quidem in cantu, & sono Nostrarum Ecclesiarum, remedium illud, quod ma-*  
*lo suarum Ecclesiarum curando asserri optabant non invenisse. Etenim, omis-*  
*sa controversia illa, qua nonnulli inter se decertant, quorum alii cantum*  
*musicum, & musicorum instrumentorum usum in Ecclesiis reprobant, ac vitu-*  
*perant; alii vero probant, ac laudant: nullus certe est, qui inter cantum Ec-*  
*clesiasticum, & scenicas modulationes aliquod non desideret, & thea-*  
*trales, profanosque cantus in Ecclesiis tollerari non condemnet.*

§. 4. Diximus reperiri, qui cantum harmonicum cum musicis instrumentis  
 in Ecclesiis adhiberi minime probant. Horum princeps quodammodo dici po-  
 test Abbas Ælredus, cœvus, & discipulus S. Bernardi, qui *lib. 2. ejus Operis,*  
*quod inscribitur Speculum Charitatis cap. 23. tom. 23. Biblioth. Patrum pag. 118.*  
*ita scribit: Unde, cessantibus jam typis, & figuris, unde in Ecclesia tot organa,*  
*tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille solium, status, tornituri potius frago-*  
*rem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio, & in-*  
*fractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas*  
*dividit, & incidit. Affererò quidem non audemus, ætate S. Thomæ Aquina-*  
*tis, nullis in Ecclesiis utum musici cantus cum musicis instrumentis fuisse; il-*  
*lud utique affirmare licet in Ecclesiis minime fuisse, quæ Sancto Doctori no-*  
*tæ, & cognitæ erant; ideoque hujusmodi cantui ipse nequaquam favisse vi-*  
*detur. Tractat enim 2. 2. qu. 91. art. 2. quæstionem illam, utrum in Divinis*  
*Laudibus sint cantus assumendi; respondet assumendos esse; sed cum sibi quarto*  
*loco opponat: Instrumenta musica, sicut cytharas, & psalteria, non assumere*  
*Ecclesiam in Divinas laudes, ne videatur judaizare: cum in Psalmo xxxi. Con-*  
*stemni Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Respon-*  
*det: hujusmodi musica instrumenta magis movere ad delectationem, quam in-*  
*terius disponere ad pietatem; in veteri autem Testamento ideo adhibita fuis-*  
*se, quia populus erat magis durus, & carnalis, unde erat per hujusmodi instru-*  
*menta provocandus, sicut & per promissiones terrenas: Addit insuper, instru-*  
*ta in veteri Testamento typos, seu figuras aliquarum rerum fuisse: Tum etiam,*  
*ait, quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant. De Summo Pon-*  
*tifice Marcello II. literis traditum est, secum deliberasse musicam in Ecclesiis*  
*abolere, cantumque Ecclesiasticum ad cantum planum redigere, ut cuique com-*  
*pertum fieri potest ex ejus vita, quam scripsit Petrus Polidori nuperime de-*  
*functus Beneficiatus Basilicæ S. Petri, vir inter Literatos non ignotus. Ætate*  
*nostra vidimus Cardinalem Thomasi, virum sanctitate vitæ, eximieque in Li-*  
*turgicis rebus eruditione insignem in Ecclesia sua Titulari S. Martini ad Mon-*

PONT. tes die festo ejusdem Sancti, in cujus honorem Ecclesia dedicata est, in Missa, ANNO  
& Vespertinis Officiis concentus musicos haberi noluisse; sed ut a viris Reli-  
A. IX. giosis, in sacris peragendis, cantus planus adhiberetur præcepisse. II749

§. 5. Diximus esse aliquos, qui usum musici cantus cum instrumentis in Divinis Officiis approbant. Nam eodem sæculo, quo vixit laudatus Abbas Ælredus, floruit etiam Joannes Sariberiensis Episcopus Carnotensis, qui *lib. 1. Politicæ cap. 6.* Musicam organicam, seu concentum vocum, & instrumentorum laudat: *Ad mores itaque instruendos, & animos exultatione virtutis trahendos, in cultum Domini, non modo concentum hominum, sed & instrumentorum modus, censuerunt Sancti Patres Domino applicandos, cum Templi reverentiam dilatarent.* S. Antoninus in *ejus summa part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 12.* non respicit tantum harmonicum in Divinis Officiis: *Cantus quidem firmus in Divinis Officiis a Sanctis Doctoribus institutus est, ut Gregorio Magno, Ambrosio, & aliis. Biscantus autem in officiis Ecclesiasticis, quis adinvenerit, ignoro: pruritui aurium videtur magis deservire, quam devotioni; quamvis pia mens etiam in his fructum referat audiendo.* Et paulo post admittit in Divinis Officiis non solum organum, sed etiam alia instrumenta musica; *Sed & pulsatio organorum, vel aliorum instrumentorum ad Divinam laudem initium virtutis habuisse a Propheta David: Constat quidem Marcellus II. Pontifex ab Ecclesiis cantus musicos, & musica instrumenta remove; sed Joannes Petrus Aloysius Prænestinus Magister Cappellæ Basilicæ Vaticanæ musicos cantus in sacris Missarum solemnibus per olvendis composuit, tam excellenti arte, ut ad pietatem animos, & devotionem moveret.* Itaque illis auditis a Summo Pontifice, qui Missæ interfuit, mutata voluntate, ab eo, quod sibi proposuerat, recessit, quemadmodum ex antiquis monumentis tradidit Andreas Adami in suis observationibus ad Capellam Pontificiam in *præfat. histor. pag. 11.* In Concilio Tridentino actum est de eliminanda musica ab Ecclesiis; sed cum ab Imperatore Ferdinando per suos Legatos expositum fuisset, tantum musicum, seu figuratum, fidelium animis incitamento ad devotionem, & pietatem esse; Decretum, quod jam adornatum fuerat, moderari placuit, uti legitur in *sess. 22. in Decreto de observ. & evit. in celebr. Missæ.* In eo autem ab Ecclesiis solum rejectæ fuerunt musicæ illæ, *ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut imparum aliquod miscetur.* Hæc narrantur a Grancolas in *laudato Commentaria pag. 56.*, & a Cardinali Pallavicino in *hist. Concilii lib. 22. cap. 5. num. 14.* Profecto Ecclesiastici Scriptores magnum nominis libenti animo eandem sententiam sequuntur. Ven. Cardin. Belarminus *tom. 4. controv. lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 17. in fine* docet, retinendum esse in Ecclesiis usum organorum, sed alia instrumenta musica non facile admittenda: *Ex quibus illud efficitur, ut organa propter infirmos retinenda sunt in Ecclesiis, ita non facile alia instrumenta esse introducenda.* Eadem sententia insillit Cardinalis Cajetanus in *summa ad Verbum organum*, ubi talia habentur: *Organorum usus in Ecclesia licet sit novus, in cujus signum Ecclesia Romana adhuc non utitur eis coram Pontifice, licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus imperfectis.* Ven. Cardinalis Baronius ad annum Christi LX. ita scribit: *Verum post multa sæcula usu receptum sit; ut in Ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul junctis confecta, haud jure quis poterit improbare.* Cardinalis Bona de *Divina Psalmodia cap. 17.* agens de organis quæ in Ecclesiis pulsantur: *non tamen, inquit, damnari debet moderatus eorum usus &c. lætificat organorum concentus tristes hominum mentes, & superba Civitatis insinuat jucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem.* Suarez *tom. 2. de Religione lib. 4. de Horis Canonicis cap. 8. num. 5.* animadvertit, organi nomine comprehendendi non solum illud instrumentum musicum, quod hodie vulgo organum vocari solet, sed alia etiam instrumenta harmonica (quod jam ante notatum fuit a S. Isidoro *lib. 2. orig. cap. 10.* *Organum vocabulum est generale vasorum omnium*

PONT. omnium musicorum); ideoque concludit recepto in Ecclesiis organo, etiam alia ANNO  
 instrumenta musica admittenda esse. Et Sylvius tom. 3. suorum Operum super 2.  
 A. IX. 2. S. Thomæ qu. 91. art. 2. Cantum harmonicum, seu figuratum ab Ecclesiis non 1749  
 repellit: Ideoque ait, magna cura habenda est cantus Ecclesiastici, tum ejus, qui  
 planus, seu Gregorianus dicitur, qui proprie est Ecclesiasticus, tum ejus, qui po-  
 stea in Ecclesiam est introductus, & vocatur figuratus, sive harmonicus. Et pau-  
 lo post: Nihilominus, quod post multa sæcula usu receptum sit, ut in Ecclesia-  
 sticis Officiis Instrumenta musica adhiberentur; illo modo est improbandum. Bello-  
 to in Lib. de Ritibus Ecclesiæ Lugdunensis pag. 209. sub num. 8. posteaquam de  
 musicis instrumentis ample, & fulse locutus est, quæ in Divinis Officiis non-  
 nunquam adhibentur, & posteaquam ostendit antiquitus in Ecclesiis usui mi-  
 nime fuisse, nullam aliam causam veteris hujus moris, diversæque consuetu-  
 dinis fuisse existimat, quam necessitatem, qua tum adstringebantur Christiani,  
 ut quoad fieri posset, recederent a profanis Ritibus Gentilium, qui in thea-  
 tris, in conviviiis, in sacrificiis, instrumentis musicis utebantur. Proinde ne-  
 quaquam instrumentorum musicorum vitio vertendum est, quod posterioribus tantum  
 sæculis usa sit Ecclesia musicis cantoribus, & musicalibus instrumentis, sed quod a  
 Gentilibus ejusmodi musica instrumenta in turpibus ac sordidis usibus, nimirum in  
 theatris, conviviiis, ac sacrificiis consueverint adhiberi. Persicus in suo Tractatu  
 de Divino & Ecclesiastico Officio dub. 5. n. 7. ita loquitur de cantu figurato  
 in Ecclesiis: Dico secundo, quamvis in cantu organico, seu figurato, multi pos-  
 sint abusus obrepere, sicut in omnibus aliis Ecclesiasticis cæremoniis accidit; ipsam  
 tamen per se, si debite, religiose, decenti moderatione fiat, licitum esse, nec ul-  
 lo jure prohibitum. Et ad dub. 6. num. 3. tenet, quod organorum, & aliorum  
 instrumentorum universalis usus in Divinis Officiis secundum se laudabilis est, &  
 ad imperfectorum animos ad Dei contemplationem elevandos valde utilis. Et qui-  
 dem usus cantus harmonici, seu figurati, & musicorum instrumentorum in  
 Missis, Vesperis, aliisque Ecclesiasticis functionibus adeo longe processit, ut ad  
 Paraguajam usque Regionem pervenerit. Etenim cum novi illi Fideles Ameri-  
 cani optimam indolem, & ingenium habeant ad musicos cantus, & ad organica  
 instrumenta pullanda, & facillime, quæ ad musicam artem pertinent,  
 ediscant; ex inde occasione capta Missionarii eorum animorum propensione ob-  
 sequendo, piis devotisque cantibus ad eos deducendos ad Christi Fidem usi  
 sunt; adeo ut in præsentem nullum fere discrimen, neque quoad cantum, neque  
 quoad sonos, in Missis & Vesperis nostrarum regionum, & illarum intercedat,  
 juxta ea, quæ ex veridicis relationibus refert Abbas Muratori in Descriptione  
 Missionum Paraguai cap. 12.

§. 6. Denique diximus neminem esse, qui theatrales cantus in Ecclesiis non  
 detestetur, & qui diversitatem aliquam non requirat inter sacros Ecclesiæ, &  
 profanos scænarum concertus. Celebris est locus S. Hieronymi relatus in Can-  
 Cantantes dist. 92. Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant  
 hæc adolescentuli: audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non  
 voce, sed corde cantandum; nec in tragædorum morem guttur & fauces dulci me-  
 dicamine liniendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica.  
 Cujus auctoritate abutebantur illi, qui audacter nimis omnes genus cantus ab  
 Ecclesiis summoveri volebant; sed S. Thomas loco laudato respondens, iis, quæ  
 secundo loco ex verbis S. Doctoris mox allatis sibi opponit: Ad secundum,  
 inquit, dicendum quod Hieronymus non simpliciter vituperat cantum sed reprehendit  
 eos, qui in Ecclesia cantant more theatrico. S. Nicetus lib. de Psalmidæ bo-  
 no cap. 3. tom. 1. Spicilegii, cantum in Ecclesiis adhibendum his verbis descri-  
 bit: Sonus cuius am vel melodia consentiens sanctæ Religioni psallatur; non quæ  
 tragicas difficultates exclamet, sed quæ in vobis veram Christianitatem demonstret;  
 non quæ aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat, Patres  
 in Toletano Concilio congregati anno 1766. act. 3. cap. 11. tom. 10. Collect.

Con-

PONT. Conciliorum Harduini, posteaquam plura locuti sunt de qualitate cantus in Anno  
 Ecclesiis adhibendo, hoc modo concludunt. *Sed & illud maxime cavendum e-*  
 A. IX. *rit, ne ipsius musicæ sonus quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumque* 1749  
*classicos modulos referens, in Dei laudibus decantandis imitetur.* Non desunt plu-

res eruditi Scriptores, qui acriter reprehendunt scænicos sonos, & cantus in Ecclesiis patienter tolerari, precanturque ut hujusmodi abusus ab Ecclesiis ablegentur. Videatur Cafalio *de veteribus sacris Christianorum Ritibus cap. 34.* & Abbas Ludovicus Antonius Muratori *tom. 1. antiquæ Romanæ Liturgiæ in Dissertatione de rebus Liturgicis cap. 22. in fine.* Et tandem ut sermonem hac de re absolvamus, nempe de abusu theatralium concentuum in Ecclesiis, qui adeo per se manifestus est, ut nullis indigeat verbis & probationibus; satis erit indicare, omnes eos, qui superius a Nobis citati sunt, tamquam qui usui cantus figurati seu harmonici, & musicorum instrumentorum in Ecclesiis faverent, palam profiteri, ac testari, seu quæcumque scripserunt, ea mente & concilio fecisse, ut nequaquam intelligenda sint de cantu, & sono, scenarum, ac theatrorum proprio, quam ipsi æque, ac alii reprobant atque execrantur, sed de cantu & sono, qui Ecclesiis decet, & qui populos ad devotionem excitat, quod ex illorum lectione quique cognoscere poterit.

§. 7. Hoc autem posito, quod in Ecclesiasticis officiis cantus harmonici, seu figurati, & musicorum instrumentorum usus receptus sit & solummodo abusus reprobetur; quod etiam considerat Binghamus, licet Auctor heterodoxus, *tom. 6. orig. Eccl. l. 14. §. 16.* sequitur, ut diligenter inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus. Sed ut quod propositum est, exequi recteque obire possimus, opus Nobis foret peritia artis musicæ, qua præditi fuerunt aliqui ex Nostriis Sanctis & præclaris Prædecessoribus, Gregorius Magnus, Leo II. & Leo IX. & Victor III. At vero quia hanc artem ediscendi nec tempus Nobis, neque occasio fuit, aliqua tantum indicare contenti erimus, quæ ex Constitutionibus Nostrorum Prædecessorum, & piorum doctorumque hominum scriptis collegimus. Ut autem ordine procedamus, primum verba faciemus de iis, quæ in Ecclesiis canenda sunt: deinde de modo, ac ratione, qua cantus institui debet; denique de Instrumentis mulcis Ecclesiarum propriis, quibus in sacris Templis cani debet.

§. 8. Guillelmus Durendus, qui Apostolicam Sedem gubernante Nicolao III. vixit, usum cantilenarum vulgo *motetorum*, qui ejus ætate vigeat, aperte improbat in *tractatu de modo Generalis Concilii celebrandi cap. 19.* *Videtur valde honestum esse, quod cantus indevoti, & inordinati motetorum, & similium non fierent in Ecclesia.* Postea Joannes XXII. Pontifex Prædecessor Noster promulgavit suam Decretalem, quæ incipit *Doctam Sanctorum*, & inter Extravagantes communes reperitur: in ea *motetorum* cantum lingua vulgari se abominari ostendit: *Motetis*, inquit, *vulgaribus non nunquam inculcant.* Cum itaque examen cantus hujusmodi cantilenarum seu motetorum in Ecclesiis Theologi aggressi fuissent; ex horum numero Paludanus in *4. sentent. dist. 15. quæst. 5. art. 2.* motetorum cantus perinde habuit ac cantationes scænicas, redarguens eos, qui illis utuntur: *qui canunt*, ait, *moteta in festis, quia cantus non debet esse tragædicus.* Favisse videtur motetis Suarez *tomo 2. de Religi. lib. 4. de Horis Canonicis cap. 13. num. 16.* etiam si scripta fuerint lingua vulgari, dummodo gravia sint, ac devota. Ad suadendum autem id, quod affirmat, assert morem ac usum nonnullarum Ecclesiarum, quæ licet a Sapientibus Prælatibus regantur, in eis tamen cantilenæ, seu modulata carmina non improbantur. Addit insuper, quoniam primis Ecclesiæ temporibus quisque Fidelium in Ecclesia pios ac devotos hymnos, quos composuerat, cantabat, ex veteri hæc consuetudine usum motetorum quodammodo approbati. Antevertens autem id, quod obicere posset, hujusmodi modulatis carminibus, quæ moteta vocantur, Ecclesiasticam Psalmodyam interrumpi, ita respondet: *Nec interruptio illa, vel mora, quæ tunc fit inter partes alicujus horæ,*

PONT. reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione, quæ per cantum Anno  
illum excitari intenditur, & ita cantus ille potest censerī veluti dispositio ad se-  
A. IX. quentia, & sollemnis, ac congrua terminatio præcedentium, & ornatus totius horæ. 1749

Vertente ann. 1657. Summus Pontifex Alexander VII. Constitutionem edidit, cujus initium est: *Piæ sollicitudinis*, inter alias autem ejusdem Pontificis num. 36. In hac autem præcepit, ut per id tempus, quo Divina persolvuntur officia, & quo publicæ Fidelium venerationi in Ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario, vel Missali Romano; quæ in officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cujusque divi festo, vel Sancti solemnitate, præscribuntur; vel ex Sacra Scriptura, aut ex Sanctorum Patrum operibus: ita tamen ut antea a Sacra Rituum Congregatione recensenda, & approbanda sint. Porro ex hujusmodi Pontificia Constitutione videtur, cantus motetorum, quæ servata ratione ab eodem Alexandro Prædecessore Nostro præscripta, composita, & a Sacra Congregatione recensita, & probata sunt, procul dubio approbatus fuisse. Alexandri Constitutionem Venerabilis Servus Dei Innocentius XI. Decreto suo die 3. Decemb. 1678. confirmavit. Aliqua tamen dubitatione exorta in intelligenda, atque interpretanda Constitutione Alexandri, & Decreti Innocentii XI., fel. rec. Innocentius XII. Prædecessor Noster die 20. Augusti 1692. aliud Decretum promulgavit, quod est n. 76. in ejus Bullario; In eo autem, offusis variarum interpretationum tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum, seu motetorum cantum prohibuit: In sacrarum autem Missarum solemnibus solummodo permisit ultra cantum Gloriæ, & Symboli, ut cani posset Introitus, Graduale, & Offertorium; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, Antiphonæ, quæ initio cujusque Psalmi, vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit & iussit, ut cantores Musici omnino legem Chori sequerentur, & cum eo prorsus convenirent, & quemadmodum in Choro fas non est aliquid addere Officio, vel Missæ, ita etiam Musicis noluit id licere; & illud dumtaxat concessit, ut ex Officio, & Missa, quæ in solemnitate Sanctissimi Sacramenti Corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomæ, vel ex Antiphonis, aliisque relatis in Breviario ex Missali Romano, carmen aliquod, seu motetum, nulla verborum varietate, desumi & cantari posset ad fidelium devotionem excitandam, dum Sacra Hostia elevatur, vel publice veneranda, & colenda exhibentur.

§. 9. Lege autem Ecclesiasticis cantiunculis, seu modulatis carminibus, aut motetis posita, negari nequit, non parum momenti ad removendos ab Ecclesiis theatrales cantus allatum esse, sed necesse est fateri, ad finem propositum assequendum id non sufficere. Fieri enim potest, & nimis etiam non sine nostro dolore fit, ut cantus Gloriæ, Symboli, Introitus, Gradualis, Offertorii, & cæterorum omnium, quæ rite, ac de more in Missis, & Vesperis, ut supra dictum est, cantari solent, theatriali more, & scænico strepitu peragatur. Magnus Episcopus Gulielmus Lindanus in sua Panoplia Evangelica lib. 4. cap. 78. cantu musico in Ecclesiis non adversatur; sed frequentes repetitiones, & vocum confusiones improbat, proponitque, ut in Ecclesiis ea musica adhibeatur, quæ consentanea sit rebus, quæ canuntur. *Quamquam non me fugiat quibusdam musicam cum organis & musicis rectius videri retinendam, quibus equalem perlibenter assentiar, si una pro isto musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, & gravius, & rebus ipsis convenientius, & si non, ut oportet, pronuntiationi, quam cantui vicinius, saltem rebus, quæ canuntur, aptius atque accomodatius.* Drexellius in sup. Opere Rethoricæ cœlestis lib. 1. cap. 5. opportune ad rem nostram ita exclamat: *Hic pace vestra, dixerim, o Musici, nunc Templis cantandi genus dominatur novum, sed exorbitans, concisum, saltatorium, & parum profecto religiosum, theatro aut chorcis convenientius, quam Templo.*  
Arti-

PONT. *Artificium quærimus, & perdimus præcandi, ac cantandi studium. Curio-* ANNO  
*stati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia hæc, & tri-*  
A. IX. *pudians cantandi ratio, nisi comædia est, in qua cantores, velut actores sunt,* 1749  
*quorum modo unus prodit, modo duo, modo simul procedunt omnes, & modulatis*  
*vocibus colloquuntur, mox iterum unus triumphat solus, cæteris brevi secuturis.*  
 Recens Scriptor Benedictus Feijoo Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in  
 Hispaniis in suo *Theatro critico universalis sermo 14.* peritia & scientia notarum  
 mulicarum innixus, rationem indicat, qua redigi possent Theatrorum mu-  
 sicis concentibus dissimilis. At vero Nobis satis erit, præ oculis habitis Sacro-  
 rum Conciliorum regulis, & probatorum Scriptorum sententiis illud admone-  
 re, quod si musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut, quemadmodum No-  
 bis relatum est, populus spectator, & auditor harmonicis quidem cantorum  
 modulationibus oblectetur, artificio musicæ artis gaudeat, numerisque musicis  
 delectetur, melodia, & suavitate vocum fruatur, verba autem plerumque non  
 recte percipiat: Diversum utique, & contrarium omnino in Ecclesiastico cantu  
 servari debet, in quo illud in primis curandum est, ut verba perfecte, plane-  
 que intelligantur. Nam cum in Ecclesiis concentus musicus receptus sit ad eri-  
 gendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus *lib. 1. d. Eccl. Offic. c. 5.*  
*Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suarum ab Ecclesia frequenter*,  
*quo facilius animi ad compunctionem flectantur. Id certe obtineri difficile potest,*  
*si verba non audiantur. In Concilio Cameracensi an. 1565. tit. 6. cap. 4. tom. 10.*  
*collect. Hard. pag. 582. ita constituitur. Cæterum quæ in Choro cani debent ad*  
*instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente. Et in Concilio Colo-*  
*niensi, quod congregatum est an. 1536. cap. 12. tit. de offic. priv. talia leguntur:*  
*Jam & illud non recte fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum, & organorum*  
*concentum, omittantur, aut decurrantur ea, quæ sunt præcipua. Cujus generis*  
*sunt recitatio verborum Prophetiarum, aut Apostolicarum, quam Epistolam voca-*  
*mus, Symbelum Fidei, Præfatio, quæ & gratiarum actio, atque præcatio Domi-*  
*nica. Quamobrem hæc tota distinctissime, ac intelligibilius, uti cætera omnia,*  
*decantentur. In Concilio autem Mediolan. primo habito an. 1565. part. 2. n. 51.*  
*in prædicta Harduini collect. pag. 687. talia leguntur: In Divinis Officiis, aut*  
*omnino in Ecclesiis, nec profana cantica, sonitve, nec in sacris canticis moles fle-*  
*xiones, voces magis gutture oppressæ, quam ore expressæ, aut denique lasciva ulla*  
*canendi ratio adhibeatur. Cantus, & soni graves sint, pii, ac distincti, ac do-*  
*miui Dei, ac Divinis laudibus accommodati, ut simul & verba intelligantur, &*  
*ad pietatem auditores excitentur. In hac re, de qua agitur, gravis est sermo*  
*Patrum, qui in Concilio Toletano convenerunt an. 1566. act. 3. cap. 2. in lau-*  
*data Collectione pag. 1064. Cum ea, ajunt, quæ in Ecclesiis cantantur ad Dei*  
*laudem celebrandam, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentia, quantum*  
*feri possit, crudiri valeat, & Religiosa pietatis, ac devotionis moderatione, pio-*  
*rum auditorum mentes ad Divinæ Majestatis cultum, & cælestia desideria excita-*  
*ri queant; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis*  
*generis discrimine confusos admittunt, psalmodiarum, & aliorum, quæ cantari so-*  
*lent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique*  
*musicam, qua organica dicitur, retineant, ut eorum, quæ cantantur, verba &*  
*intelligi possint, & potius pronuntiatione, quam curiosis modulis audientium ani-*  
*mi Divinis laudibus afficiantur. Ex his autem aperte comperitur, quam meri-*  
*to his verbis questus sit Episcopus Lindanus loco citato; Non enim nunc suo*  
*cantu Musici auditorum animos tam ad pietatis cultum, cælestiaque excitant desi-*  
*deria, quam avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando Divinis me in-*  
*terfuisse laudibus, cum vel attentissimus ascultarem, eo quid forte psalleretur, ne-*  
*unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repetitio-*  
*bus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, & incondito boatu,*  
 quam

TCNT. *quam cantu observata* : Tum etiam , quam pium fuerit desiderium , & quam ANNO  
 prudens sit exhortatio , qua musicos ad pietatem incitavit Drexellius loco pa-  
 A. IX. riter citato : *Reviviscat , obsecro , saltem aliquid prisce Religiositatis in sacra musica* . 1749

*Quod si cordi est , & curæ Divinus honor , hoc agite viri , hoc laborate , ut quæ cantantur verba , simul etiam intelligantur . Quid enim mihi varius in Templo sonus , quid multiplex concentus , si desit ei nucleus , si sensum , & verba , quæ concentu sunt insillanda , percipere nequeam ?* Et demum ostenditur non sine causa Cardinalem Dominicum Capranicam , cum sacre cuidam functioni , Divinisque Officiis interfuisset , quæ cantu musico peracta fuerant , ita tamen ut verba non audirentur , rogatum a Summo Pontifice Nicolao V. quid de musicis illis cantionibus ei videretur , ea respondisse , quæ legi possunt apud Poggium in vita ejusdem Cardinalis , edita a Balutio *lib. 3. Miscellaneorum §. 18. pag. 289.* Magnus Pater Augustinus *lib. 9. Confess. cap. 6.* de se ipse testatur , cum in Ecclesia suavis hymnorum cantus audiret ; in lacrymas effundi consuevissent : *Quantum fieri in hymnis , & canticis tuis , suave sonantis Ecclesie tuæ vocibus commotus acriter . Voces ille infuebant auribus meis , & eliquebatur veritas tua in cor meum , & ex ea asualar . Inde affectus pietatis , & currelant lacryma , & bene mihi erat cum eis .* Cum autem ea magna delectatio , quam in audiendis Ecclesiasticis hymnis percipiebat , in religionem ei venisset , & ideo quadam reverentate morum , Deique offensæ metu , cantum illum , quo sensibilis illa oblectatio ipsis creabatur , improbandum esse censeret ; postea re melius expensa , sententiam mutavit , eo quia animus ejus commoveretur , non solo cantu , sed verbis cantui conjunctis , ut ipse aperte declarat *lib. 10. Confess. cap. 33.* Flebat igitur Augustinus tenerissimo pietatis sensu , cum audiret in Ecclesiis sacrarum rerum cantus , probe audiens , & intelligens verba , quæ cantu efferebant : Fleret forsan etiamnum ipse , si nonnullarum Ecclesiarum musicos cantus audiret , non pietatis sensu , sed doloris , quod cantum perciperet , verba autem non intelligeret .

§. 10. Hactenus de cantu musico : consequens est , ut de sono organi musici , aliorumque instrumentorum , quorum usus , ut supra diximus , in aliquibus Ecclesiis admissus est , verba faciamus . Siquidem & de eo agere necesse est , quia si cantum minime decet esse theatralem , utique neque sonum . Profecto Hebræis hac de re omnis dubitatio longe aberat , an scilicet dissimilis esse deberet cantus in Templo a profanis cantionibus theatrorum . Nam e Sacris Scripturis comperitur , cantus , & musicorum Instrumentorum sonos usui fuisse in Templo , non autem in Theatris , ut bene advertit Calmet *in sua dissertatione de musica Hebræorum* . At vero Nobis est limites cantui , & sono Ecclesiarum , & Theatrorum præscribere ; & discrimen inter utrumque definire , cum per id tempus cantus figuratus , seu harmonicus , cum sono instrumentorum , in theatris æque ac in Ecclesiis locum obtinuerit . Et quoniam de cantu jam satis verba fecimus , superest , ut etiam de sono idem agamus . Ut vero sermo ordine suo , ac via progrediatur , primum de instrumentis Musicis , quorum usus in Ecclesiis tollerari potest , deinde de illorum instrumentorum sono , qui cantui sociari solet ; & demum de sono separatim a cantu , hoc est de instrumentorum symphonia Nobis differendum erit .

§. 11. Et quidem quod ad Instrumenta attinet , quæ in Ecclesiis permitti possunt , Benedictus Hieronymus Feijoo *in allegato sermone 14. §. 11. num. 43.* Organa , aliæque instrumenta admittit , amoveri autem vellet lyteras , retractoras ; quoniam cum illæ plectro tanguntur , armonicos quidem modos edunt , sed adeo acutos , ut puerilem in nobis potius hilaritatem , quam gravem erga Sacra Mysteria venerationem , animorumque intencionem excitent . Bauldry *in Manual. Sacrar. Cærem. part. 1. cap. 8. num. 14.* , vellet , ut caneretur in Ecclesiis organo tantum pneumatico , tubis , cæterisque instrumentis inflatilibus , seu pneumaticis : *nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsantur , nisi tubæ ,*  
*ibia ,*



PONT. *tibiæ, aut cornua.* E diverso Patres primi Concilii Provincialis Mediolanensis sub Sancto Carolo Borromæo *tit. de musc. & cantor.* nominatim rejiciunt ab Ecclesiis instrumenta inflatilia: organo tantum in Ecclesia locus sit: *tibiæ, cornua, & reliquæ musicæ instrumenta excludantur.* Hominum prudentum, & illustrium magistrorum artis musicæ consilium exposcere Nobis curæ fuit; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut Fraternalitas tua, si tuis in Ecclesiis Instrumentorum usus introductus est cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton, retracordon majus, retracordon minus, monaulon pneumaticum, fidulas, lyras retracordas: hæc enim instrumenta inferviunt ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces. Verabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria sinfoniaca, cheles, aliaque id genus, quæ musicam theatralem efficiunt.

§. 12. Præter hæc autem, de usu instrumentorum, quæ in Ecclesiasticis musicis permitti possunt, nihilque monebimus, nisi ut illa adhibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque Fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, & erga Deum, divinarumque rerum amorem incitentur, ut apposite expendit Valentia tom. 3. 2. 2. S. Thomæ *disp. 6. qu. 9. punct. 1.* ubi tractans de utilitate musicæ, & musicorum instrumentorum in Ecclesiis: *ad excitandum, inquit, interiorum affectum tum proprium, tum etiam aliorum, præsertim vulgariarum, qui interdum adeo infirmi sunt, ut non modo vocum cantu, sed etiam organis, & musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint.* At vero si instrumenta continenter personent, & solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua inquiscant, ut liberum spatium audiendis harmonicis modulationibus, crispatisque jaculationibus vocum, vulgo *trilli* præbeant; cæterum opprimant, sepeliantque Cantantium vocem, sonumque verborum, frustraneus est, & inutilis hujusmodi instrumentorum usus, imo vetitus, atque interdictus. Pontifex Joannes XXII. in laudata Extravagan. *Docta Sanctorum* inter musicæ abusus enumerat illum, quem his verbis exprimit: *Melodiam hocquetis intersecant; id est singultibus: quemadmodum explicat Carolus Dutresne in suo Glossario; hoc nomen dedit concisis illis modulationibus, vulgo trilli.* Magnus Episcopus Lindanus loco laudato invehitur contra abusum opprimendi instrumentorum sono verba cantantium: *Tubarum clangore, cornuorum stridore, alioque strepitu vario, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, seu sumque sepeliat, & obruat.* Pius, & doctus Cardinalis Bona in pluribus laudato tractatu de Divina Psalmodia cap. 17. §. 2. num. 5. apposite ad rem nostram: *Desino, ait; si prius admonuero Ecclesiasticos Cantores, ne ad usum illicitæ voluptatis assumant, quod SS. Patres ad effectum pietatis instituerunt.* Talis enim debet esse sonus tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum, quæ cantantur, sensui, & pietatis affectui, majorem relinquant portionem.

§. 13. Demum, quo ad Symphonias attinet, tollerari poterunt, ubi earum usus jam receptus est, dummodo graves sint, & earum prolixitudine, aut diuturnitate tædium, & fastidium non afferant iis, qui adsint in Choro, vel Altari, in Vesperis, aut in Missis intersunt. De hujusmodi symphonias agit Suarez lib. 4. cap. 13. num. 17. Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum intermiscendi in Divinis Officiis sonum organorum sine ullo cantu, solum cum suavitate musicæ instrumentorum, ut fit interdum in Missa solemni, vel in Horis Canonicis inter Psalmos; quia tunc ille sonus non est pars Officii, & fit ad sollemnitatem, & reverentiam ipsius Officii, & ad levandos animos Fidelium, ut facilius ad devotionem assurgant, seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet, ut sonus ipse gravis sit, & aptus ad

PONT. *excitandam devotionem.* Hoc autem loco silentio prætereundum non est, rem Anno  
maxime indecoram esse, & minime ferendam, quibusdam anni diebus sum-  
A. IX. ptuosas, personantesque symphonias, musicosque cantus in sacris Templis ce- 1749  
lebrari, quæ minime conveniunt sacris Mysteriis, quæ Ecclesiæ Fidelibus per  
id tempus recolenda proponit. Exclamat ardenti zelo motus sæpe laudatus Ma-  
gister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis *in laudato serm. 14. s. 9.* con-  
tra modulus, & cantilenas heu nimium adhibitas in canendis lamentationibus  
Jeremiæ Prophetæ, quæ ab Ecclesia dicendæ præseribuntur diebus majoris heb-  
domadæ, in quibus modo eversio Urbis Hierosolymæ per Chaldæos, modo  
mundi excidium per peccata, modo Ecclesiæ militantis afflictiones in persecu-  
tionibus, modo Redemptoris Nostri angustia in suis passionibus deplorantur.  
Lucensis Ecclesia, sedente in Apostolica Cathedra Sancto Prædecessore Nostro  
Pio V., regebatur ab Alexandro zelantissimo Ecclesiasticæ disciplinæ Pastore,  
qui cum animadvertisset, diebus majoris hebdomadæ, exquisitissimo omnis vo-  
cum, instrumentorumque generis concentus in Ecclesiis consuevisse, cum sa-  
crarum functionum, quæ illis diebus celebrantur, mœstitia minime consen-  
tientes, ad illos autem audiendos homines utriusque sexus magna frequentia  
cupidissime consuere, & gravia inde peccata, & scandala committi, promul-  
gato edicto, eos hebdomada Sancta, & tribus subsequentibus Paschatis diebus  
fieri prohibuit. Cum autem quidam exempti ab Episcopi jurisdictione se Epi-  
scopali lege minime teneri prætenderent, Episcopus rem detulit ad summum  
Pontificem Pium V., qui in ejus Brevi dato die 4. April. 1571. deplorata pri-  
mum humanarum mentium, & carnalium hominum cœcitate, qui non solum  
in diebus sacris, sed potissimum in illis, qui memoriæ passionis Christi Domi-  
ni recolendæ speciatim ab Ecclesia assignati sunt, posthabita pietate, & sincera  
mentis puritate, mundanarum oblectationum illecebris, & sensuum volu-  
ptatibus se regendos, ferendosque tradunt, *Quod, inquit, cum in omnibus  
sacris temporibus, tum in eo præcipue cavendum, vitandumque est, quod Domi-  
nicæ Passionis memoria recolendæ ab eadem Ecclesiastica statutum, assignatumque  
fuit, in quo ipso tempore maxime debent omnes Christifideles tota mente ad con-  
templandum tale, tantumque Redemptoris Nostri beneficium conversos, se ipsos ab  
omni cordis, sensusque impuritate immunes liberosque præstare.* Refert post hæc  
abusum, qui in Ecclesiam Lucensem irrepsit, exquisitos seligendi per Heb-  
domadam Sanctam, excellentesque musicos, & colligendi omnis generis instru-  
menta ad omnes concentus musicos celebrandos; *Nuper non sine magno animi  
nostri dolore intelleximus, in ista Civitate, cujus Episcopatum geris, abusum quem-  
dam valde detestabilem irrepsisse, exquisitissimas omnes vocum, instrumentorumque  
generis musicas in Ecclesiis per Hebdomadam Sanctam adhibendi, ad quas potius,  
quam ad Divina Officia audienda, omni utriusque sexus juventute magna fre-  
quentia cupidissime consuevit, gravia peccata, nec vinora scandala committi ex-  
perientia comprobatum est.* Demum laudat Edictum Episcopi, & Decretis sacro-  
sancti Tridentini Concilii inhærens, declarat, eodem edicto comprehendi, at-  
que obligari etiam Ecclesias, quæ ab auctoritate Ordinaria, privilegio Apo-  
stolico, vel alio quocumque jure exemptas se esse contendunt. In Concilio  
Romano, quod novissime habitum est *an. 1725. n. 6.* varia leguntur Decreta de  
usu musici cantus, instrumentorumque in Adventu, in Dominicis Quadragesi-  
ma, & in exequiis mortuorum; quæ satis sit indicasse.

§. 14. Legisse Nos meminimus, cum Imperator Carolus Magnus secum pro-  
posuisset Ecclesiasticum cantum in Ecclesiis Galliæ incompte atque incite ha-  
bitum, ad regulas artis redigere, impetrasse a Pontifice Adriano I. ut homi-  
nes sibi Ecclesiasticæ musicæ periti ab Urbe mitterentur, a quibus in Galliarum  
Regnum Romanus cantus facile introductus est, ut quisque per se agnoscere  
potest ex Paulo Diacono *lib. 2. Vit. S. Greg. cap. 9.* & ex Rodulpho Tunprensensi *de  
Can. obscr. prop. 12. S. Antonin. in sum. Hist. part. 2. tit. 12. cap. 3.* Monachus En-  
golit-

PONT. golismensis in Vita Caroli Magni cap. 8. addit, Cantores, qui Roma advenerunt, ANNO  
 docuisse in Gallis artem etiam pulsandi organum musicum, quod regnante Pi-  
 IA.X. pino in Galliarum Regnum delatum fuerat. Itaque cum solemne, & regula- 1748  
 re sit, ut hæc Romana Urbs aliisque omnibus Civitatibus in sacris ritibus, cæ-  
 terisque Ecclesiasticis rebus, præire debeat exemplo, & documento esse; Insu-  
 per accedunt & ea, quæ mox a Nobis narrata sunt de Carolo Magno, qui  
 Ecclesiasticum cantum e Romana Urbe tanquam e suis sedibus in suum Re-  
 gnum evocavit; quæ quidem acrius Nos urgent, atque extimulant, ut abusus  
 omnes, qui in cantu Eccles. irreperunt, & a Nobis reprobati sunt in omnibus,  
 quoad fieri potest, sed præcipue in Romanæ Urbis Ecclesiis penitus aboleantur. Sed  
 quemadmodum Nos nostro Cardinali in Urbe Vicario, quæ necessaria sunt, at-  
 que opportuna, præcipere non ommittimus; ita Fraternitas tua publicare non  
 negligat, si opus fuerit, edicta & leges, quæ cum hisce Nostri circularibus  
 Literis consentaneæ sint, & quibus Ecclesiasticus cantus convenienter ad regu-  
 las in iisdem Literis præscriptas, & stabilitas dirigatur, ut tandem musicis  
 Ecclesiarum reformandis initium præbeatur. Nam id ipsum maxime optatum,  
 ac desideratum est, cum a pluribus, tunc centum ab hinc annis a Joanne Ba-  
 ptista Doni Patritio Florentino in ejus Tractatu de præstantia Musicæ veteris  
 lib. 1. pag. 49. Nunc vero ea redacta est res, ut nec quisnam reperitur, qui ef-  
 fœminatam quemdam, ac leviusculum, qui jam passim invaluit, canendi modum  
 severa lege cohibeat, nec affectata illa proluxaque, ac sæpe hiulca melismata ad  
 certam normam redigenda existimet, aut dies solemnes, ædesque sacras suam cele-  
 britatem, ac frequentiam habituras putet, nisi mollioribus, ac sæpe parum decoris  
 cantibus, magnaque vocum, ac instrumentorum confusione certatim omnia per-  
 sonent.

§. 15. Diximus, si opus fuerit; probe enim Nobis compertum est, in Sta-  
 tu Ecclesiastico aliquas esse Urbes, in quibus Ecclesiarum musicas reformari  
 oporteat, in aliis vero hujusmodi necessitatem minime adesse. Timemus qui-  
 dem, vehementerque timemus, ne in aliquibus Civitatibus Ecclesiæ, sacraque  
 Altaria convenienti munditie, ac necessario nitore indigeant; in multis ne  
 Cathedralium, & Collegiatarum Chori cantu plano bene, ac probe ad regulas  
 artis directo juxta ea, quæ a Nobis superius dicta sunt destituantur, quas in  
 res, si in Ecclesia tua necesse sit, omnes diligentia tuæ, & sollicitudinis ner-  
 vos intendere decet; & utinam in omnibus totius Status Nostri Diœcesibus  
 Sacerdotes ea, qua par est, decencia sacrosanctum Missæ Sacrificium facerent,  
 & præterea clericalibus vestibus induti, & decenti habitu, corporis incessu,  
 modestia, omnique alio Ecclesiastico decore in publicum prodirent, quibus su-  
 per rebus nihil aliud hic Nos adjungemus, cum fusc de his tractaverimus in  
 Nostra Notificatione XIV. §. 4. & 6. lib. 2. edit. Ital. quæ est XXXIV. in edit. Latin.;  
 & in Notific. XV. tom. 4. edit. similiter Ital. quæ est LXXI. edit. Latin. ad quas Eccle-  
 siasticæ disciplinæ studiosos remittimus. Itaque Sacerdotalem tuum zelum ex-  
 citantes finem scribendi faciemus, posteaquam id unum tibi significabimus,  
 nulla alia re magis hominibus declarari Ecclesias male atque improvide ab E-  
 piscopis regi, & gubernari, quam si spectentur Sacerdotes sacra, Ecclesiasticis  
 cæremoniis perperam adhibitis, aut omissis, vestibus indecoris, aut minime  
 Sacerdotalis dignitatis propriis, præcipitanter ac negligenter obire. Hæc enim  
 in omnium oculos incidunt, & incolarum, & alienigenarum judicio subjiciun-  
 tur, & præsertim eos offendunt, qui ex illis Regionibus adveniunt, ubi, &  
 Præsbyteri convenientibus vestibus induuntur, & Missæ debita devotione cele-  
 brantur. Hæc secum reputans, & non sine fletu cogitans ita quærebatur pius,  
 ac doctus Cardinalis Bellarminus: Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum,  
 quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impietatem sacrosancta Mysteria  
 tam indecore tractentur, ut qui illa tractant, videntur non credere Majestatem  
 Domini esse præsentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, &

PONT. tremore, festinatione incredibili Sacrum perficiunt, quasi Fide Christum Dominum ANNO  
non viderent, aut ab eo se videri non crederent. Et post hæc, nonnullis inter-  
A. IX. jectis, prosequitur in hunc modum: Scio non deesse in Ecclesia Dei multos opti- 1749  
mos, & religiosissimos Sacerdotes, qui corde mundo, & nitidissimo apparatu Di-  
vina Mysteria celebrant; pro quibus gratia Deo ab omnibus agenda sunt; sed si-  
mul etiam fontibus lacrymarum plangendi sunt non pauciores, qui exteriore turpi-  
tudine, & sordibus animi sui impuritatem, sordesque testantur. Et Nos interea  
in Visceribus Christi Fraternitatem tuam complectentes & Tibi, & Gregi curæ  
tuæ commisso Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.  
Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Februarii 1749.  
Pontificatus Nostri Anno. nono.

PONT.

N U M. LXXII.

ANNO

A. IX.

A D M O N A S T E R I A

1748

Monialium, ne quis etiam exemptus, & Ecclesiastica Dignitate præful-  
gens accedat, sine Ordinarii Localis permisso.

Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios per Ecclesia-  
sticam Ditionem constitutos.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

GRAVISSIMO animi dolore affecti fuimus, dum a certis viris renunciatum  
Nobis est, aliquos Præsules, qui regimen Civitatum Ditionis Nostræ  
obtinentes, nec habita, immo nec petita quidem ab Episcopis, Loco-  
rumque Ordinariis facultate, ad monialium Monasteria se conferunt, & libere  
cum iis colloquantur; Synodorum decreta, & Episcoporum Constitutiones omni-  
no infringentes, in quibus hujusmodi licentia dignis poenis prohibetur: Sed  
non solum in iis Civitatibus, in quibus sunt cum imperio, eos ita se gerere  
audivimus; verum in cæteris per quas casu transeunt, ea ratione innixi, quod  
a peculiaribus Episcoporum, aliorumque Ordinariorum Constitutionibus sese  
exceptos esse contendunt. Hæc, quæ ad Nos delata sunt, excipere, ac crede-  
re non dubitavimus; quum id Nobis etiam Anconitanam, & Bononiensem  
Ecclesiam regentibus coram contigerit, quamvis ægre id ferentes, acriter, sed  
frustra, quos decebat, admonere non prætermiserimus.

Nihil, aut parum negotii res faceret, si ante oculos ponerent Tribunalium  
Urbis Decreta confirmata a Prædecessoribus Nostriis, qui res omnes præter-  
itis temporibus non providerant solum, verum etiam iis sapientissime con-  
sulerunt. Sed quoniam aut illa ignorant, aut si sciunt, arbitrato suo vive-  
re contendunt, ad eum, qui Ecclesiæ præest, omnino spectat illa ad memoriam  
revocare, tum jubere eadem observari.

Præteritis temporibus Sacræ Congregationes, annuentibus summis Pontifici-  
bus Prædecessoribus Nostriis, opportune statuerunt quæ sibi necessaria visa sunt,  
quoad Regulares, qui suis fulti legibus, sive immunitatibus, putabant injusti  
Episcopi libere se adire posse sibi addicta Monialium claustra, ut videre licet  
in nostro Tractatu de Synodo lib. 7. cap. 41. nu. 7. ubi eadem decreta indican-  
tur; sed providentes etiam non tam Gubernatoribus, quam Episcopis, qui aut  
in Civitates, aut Oppida alterius Episcopi juri subjecta veniunt, aut ibi  
commorantur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario Monasteria addiret, aut  
Monia-

PONT. Moniales alloqueretur; cujusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ANNO ut legitur apud Pellizarium *de Monialibus cap. 5. sect. 5. num. 210.* apud Gratianum *discept. 392. num. 1.* apud Tamburinum *de Jure Abbatissarum disp. 25. qu. 1749* 2. & apud Ferrar. *in sua Bibliotheca in verbo Moniales art. 4. num. 34.*

Canonice sanctionibus Monialium custodia Juri Ordinario Episcopi, si Monasteria ejus potestati subiecta fuerint, delegato, si exempta, committitur; quemadmodum statutum fuit a Pontifice Prædecessore Nostro Bonifacio VIII. *in cap. periculoso de statu Monachor. in sexto*, atque a Sacro Tridentino Concilio renovatum *in cap. 6. sess. 25. de Regularibus, & Monialibus*. Hinc porro omnino sequitur, Monasteria adire, Monialesque invisere sine Custodis jussu licere nemini; ac propterea debere omnes hujusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivæ interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores, & argui facile potest ex præteritis Congregationum Decretis.

Quæ quidem confirmata omnino volumus, ac si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus, imperamusque, ne Episcopi alienæ Diœcesis Monasteria convenient, atque cum Monialibus colloquantur, infcio Ordinario Locici; eademque omnia firma, rataque esse jubemus, etiam quoad Vicelegatos, & Gubernatores licet Præsules quibus ad Monasteria accessum sine debita venia, in iis quoque Civitatibus, in quibus cum imperio fuerint interdicimus.

Jam dictum est hœc omnes directivæ Episcoporum auctoritati, eorumque Constitutionibus subiacere, quæ omnino accessum vetint ad Monialium Claustra sine debita facultate. Cum vero iidem Ordinariæ Episcoporum jurisdictioni minime subint; ideo sunt immunes a vi coactiva, idest a pœnis contra transgressores statutis, ut ex responso patet Clementis III. Prædecessoris nostri *in cap. A N. bis 21. de sententia excommunicationis*. Ne vero ab hujusmodi immunitate aliquid mali exoriat, volumus, & mandamus, ut si aliquando contigerit; quod futurum non credimus, ut eorum aliqui, quos supra memoravimus, ad Monasteria Monialium se conferant, & cum iis sine Episcopi jussu agant, infringentes Synodorum sanctiones, atque Episcoporum edicta; volumus; inquam, & imperamus, ut Episcopi Nos, aut Congregationem Episcoporum, & Regularium certiores faciant, ut aliqua ratione contempta Episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius hujusmodi consilium amplectimur, quod idem a Prædecessoribus Nostri Decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes, & Sedi Apostolicæ immediatæ subiectas, procedendum sit: Joannes XXII. *in cap. Cum Mattheus, de hereticis, in Extravagant. com.*, Eugenius IV. *in cap. Divino, de Privileg. in Extravagant. com.*

Hæc sunt, quæ a Nobis facienda esse duximus. Tuum nunc est Venerabilis Frater, Hanc Epistolam nostram in Cancellaria tua diligenter servare, eamque meliori, qua decet, forma promulgare, iisque ad quos pertinet, indicere, ejusque executionem procurare: ac Fraternitatem tuam in Domino amplectentes, Tibi, & gregi tibi credito Apostolicam Benedictionem impertinam.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die trigesima prima Octobris, Anno Domini MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

*Et controversiis olim excitatis circa opera injuncta pro Jubilæi acquisitione, & circa Facultates concessas, earumque usum; quæ per præcedentes Constitutiones sublata fuerunt: Epistola Encyclica ad Pœnitentiarios, & Confessarios pro Anno Sancto in urbe deputatos.*

### BENEDICTUS PP. XIV.

*Dilectæ Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**I**NTER præteritos, ac præsentis labores nostros in eum potissimum finem a Nobis susceptos, ut imminens jam magni Jubilæi Annus ea, qua par est, pietate celebretur, & Fideles Christi spiritualem Sanctæ Indulgentiæ fructum consequantur, non postremo loco habenda est ea, quam adhibuimus, cura, ut libros de Anni Sancti Jubilæo pertractantes, qui numero pauci non sunt, consideremus. In hisce vero Libris perlegendis illud animadvertum a Nobis est, quod inter eorum Auctores, alii quidem sunt, qui in controversiarum tractatione ita se gerunt, ut in iisdem discutiendis, ac resolvendis, vel ad eorum scripta tantummodo attendant, qui ætate præcesserunt, vel de propositis quæstionibus ex eo, quod sibi ac propriæ intelligentiæ magis conveniens videatur, pronuncient, nulla interim attentione ad Summorum Pontificum Constitutiones, quibus Anni Sancti Jubilæum Christifidelibus indicitur, & in quibus inserta quædam verba reperiuntur, quorum beneficio quæstiones ante exortæ commode & opportune explanantur. Alii contra, eorundem Constitutionum verba accurate considerantes, dum illa rite ponderare non prætermittunt, ex iisdem quæstionum ipsarum solutiones deducunt, atque eas difficultates de medio tollunt, quæ ab illis excitatæ fuerunt, qui vel ante scripserunt, quam Constitutiones ipsæ prodirent, in quibus opportuna verba inserta sunt, quorum vigore excitatæ jam difficultates evanescent; vel qui si posterius scripserunt, nullam in scribendo, ut par erat, adhibuerunt ad Pontificiarum Constitutionum verba mentis applicationem. Hunc, qui prope jam inflat Magni Jubilæi Annum, si Divinæ Majestati placuerit vitam nostram ad illud usque tempus perducere, tertium numerabimus ex iis, quos Nos in hac Urbe celebratos vidimus: nec immemores sumus disputationum, & quæstionum; quæ non sine aliqua contentione agitabantur inter Confessarios, Romæ primum, deinde etiam foris, postquam, peracta hic Anni Sancti celebratione, Jubilæum ad alia loca transmittitur. Ea igitur de causâ Nos opportunam operam dedimus, primum ut in Constitutionibus, quas de Anni Sancti Jubilæo publicavimus, ea verba insereremus, quæ non minus a Nobis, quam ab iis Doctoribus, qui ante Nos scripserunt, talia reputantur, quæ excitatas prius difficultates vi sua dissolvant, deinde vero, cum quæstiones aliquæ adhuc indecisæ remanerent, quæ a solis verbis in Constitutionibus insertis solutæ dici non poterant: aliquot etiam pro hisce Declarationes facere non prætermisimus. Non tamen idcirco Nobis certo pollicemur, omnia Nos omnino dubia diluisse, quæ suboriri possunt hominibus ingenio nimis ad Metaphysicas subtilitates pronis, quæ quidem quantum in speculativis rebus afferunt usum, tam magno sunt in Moralibus Disciplinis incommodo. Illud tamen speramus, tantum Nos hac via profecisse, ut per eam aliis, quibus plusquam Nobis otii sit, liberior ac latior ad iter prosequendum semite recludatur. Ut vero hæc quæcumque egimus, ac meditati sumus, in cæterorum commodum, & in præcipuam Confessariorum præsertim, & eorum, qui anima-

PONT. animarum curam gerunt, utilitatem evadant; ad Vos, Dilecti Filii, Encycli- ANNO  
 cas hæc nostras Litteras dirigimus, adimplentes hoc modo, quod polliciti  
 A. IX. sumus in Consistoriali die v. Maii vertentis anni 1749. a Nobis habito 1749  
 nuntiavimus. Atque ut etiam confusio omnis removeatur, & debito ordine  
 procedatur, de qualibet Constitutione super Anni Jubilæi Sancti per Nos ad  
 præsentem usque diem publicata singillatim agemus.

I.

*De Apostolica Constitutione, quæ incipit Peregrinantes, in qua indicitur  
 Universale Jubilæum Anni Sancti, publicata die 15. Maji in Fæsto Dominicæ  
 Ascensionis 1749.*

§. 1. In hac Constitutione nostra hæc, quæ subjicimus, verba leguntur:  
*Vero pœnitentibus, & Confessis, sacraque Communionem refectis, Primi Nos omnium  
 sumus, qui Confessione Communionem adjecimus, eam inter opera illa com-  
 prehendentem, quæ ad consequendas Anni Sancti Indulgentias injuncta sunt,  
 atque præscripta. Quæ vero Nos causæ moverint, ut prædicta verba adjun-  
 geremus, eas in Consistorio die 5. Maji Anni 1748. habito a Nobis pronun-  
 ciata fuit. Neminem autem arbitramur futurum, qui eam in medium quæ-  
 sionem adducat, num videlicet sub nomine Sacræ Communionis, Sacramen-  
 talis Communio, an vero Communio spiritualis intelligatur; quoniam Sacrum  
 Tridentinum Concilium Sess. 13. cap. 8. trium Communionum mentionem facit,  
 videlicet, solius Sacramentalis. quæ Communio est illorum, qui eam in  
 peccato lethali recipiunt: solius Spiritualis, quæ illorum est, qui summopere  
 cupientes Panem Eucharisticum gustare, viva fide, quæ per dilectionem opera-  
 tur, spiritualis illius fructus atque utilitatis participes fiunt; & Sacramentalis  
 simul ac Spiritualis, quæ est illorum, qui prius ita se præbent, & instruunt,  
 ut vestem nuptialem induti ad Divinam Mensam accedant. Nos sub Sacræ Com-  
 munionis nomine Sacramentalem simul ac Spiritualem Communionem intelle-  
 ximus, atque intelligimus, cum sensus verborum obvius hic plane sit; neuti-  
 quam rati, rem tam absurdam cuiquam in mentem venire posse, ut sub no-  
 mine Sacræ Communionis, sola Sacramentalis Communio intelligi possit;  
 quemadmodum etiam opportune a Patre Pasterino de indulgentiis qu. 43. & 44.  
 animadversum fuit; licet ipse scriberet quidem post damnationem ab Alexan-  
 dro VII. die 7. Septembris 1665. prolatam illius propositionis: Qui facit Con-  
 fessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ: sed scriberet ante da-  
 mnationem promulgatam a Venerabili Servo Dei Innocentio XI. die 2. Maji  
 1679. in alteram propositionem: Præcepto Communionis annua satisfacit per Sa-  
 crilegam Domini manducationem.*

§. 3. In celebri illa Bonifacii VIII. Constitutione, quæ incipit *Antiquorum*  
 sub titulo de pœnitentiis, & remissionibus, in Extravag. communi; ubi indicit  
 Jubilæum Anni Sancti, hæc verba leguntur: *vere pœnitentibus, confessis, vel  
 qui vere pœnitebunt, & confitebuntur: &* in Extravaganti *Unigenitus* Clementis  
 VI. eodem libro, & sub eodem titulo hæc alia leguntur verba *vere pœniten-  
 tibus, & confessis.* Ex hisce autem verbis gravis est controversia quædam tem-  
 pore excitata, num ad Indulgentiæ consecutionem confessio in voto sufficiens  
 sit, an vero confessio in re requiratur; quod idem est ac si diceretur, utrum  
 ad consequendam Indulgentiam peccata Sacerdoti actualiter confiteri neces-  
 sarium sit, an vero satis sit ea cum intimo doloris sensu, & sincero contritio-  
 nis actu detestari, cum confitendi proposito, confessionem interim in aliud tem-  
 pus differendo, ac in Pascha præsertim, quo tempore unusquisque Fidelium,  
 lege ab Ecclesia præscripta, sacram recipere Communionem obligatur.

§. 4. Indicata tantum, verum non decisa hujusmodi quæstio est a Cardinali  
 de

IONY. de Lugo de *Pœnit. disp. 27. sect. 6. n. 94.* Nos eam rite ac secundum leges discussam reperimus. Ludovicus Bologninus Canonici Juris Doctor illustris famæ, in suo de *Indulgentiis* Tractatu, in eam inclinat sententiam, quod contritionis actus cum prædicto proposito conjunctus, sufficiens sit, Felinus Sandeus, vir suis supra Jus Canonicum scriptis item insignis, in eo, quem scripsit de *Indulgentia plenaria* Tractatu, in eandem pariter sententiam propendit; verum contrariam tutiorem esse affirmat, Bolognini, & Felini opera in Tractatibus, qui vulgo *Magni* dicuntur, sunt impressa tom. 14. edit. Venet. anni 1584. pag. 145. a tergo, & pag. 158. a tergo. Sylvester vir in Theologica Facultate præclarus in Summa in verbo *Indulgentia* n. 20. postquam propriam in eam sententiam propensionem ostendit, quod sufficiat confessio in voto; eos qui Indulgentias consequi volunt ad actualem Confessionem consilio suo excitat, atque in ea pariter sententia est Vener. Card. Bellarm. tom. 2. *Controversiarum lib. 1. de Indulg. cap. 13. §. Tertia quæstio*, Sanctarellus *Variat. resolut. qu. 76. a num. 7. usque ad num. 23.*, auctores, qui pro utraque stant opinione, diligenter colligit, & accurate ipse tamen ad consecutionem Indulgentiæ Anni Sancti actualem Confessionem requirit, Nos ad Auctores ab ipso collectos Johannem Baptistam Pauliani lib. 3. cap. 2. pag. 147., & seqq. addemus, qui super Jubilæo Anni Sancti a Julio III. publicato scripsit; qui quidem Auctor ex vi verborum *vere pœnitentibus, & confessis* actualem Confessionem requiri contendit.

§. 5. Navarrus tam celebris, qui olim opinionem, quæ sufficientem esse vult Confessionem in voto, secutus fuerat, Cardinalis Cajetani auctoritate permotus, in suo de Jubilæo Tractatu *Notab. 18. n. 1 & seqq. & n. 6.* eam prorsus abiecit, & alterius opinionis sectator evasit, quæ requirit Confessionem actualem, quamque Fidelibus magnæ spiritualis utilitatis occasionem dedisse cognoverat. Pater Viva de Jubilæo qu. 8. art. 3., qui per occasionem Jubilæi Anni Sancti ab Innocentio XII. publicati scripsit, & Pater Constantini in suo Tractatu part. 2. art. 5. de Anno Jubilæi a Benedicto XIII. indicti, considerant, quod sub verbo *vere pœnitentibus* comprehenduntur peccatores contriti; verum quoniam ad verba *vere pœnitentibus* adduntur hæc alia, & *confessis*, in hisce ultimis actualis Confessio exprimitur, atque præscribitur.

§. 6. Dicitur autem potest, quod hujusmodi opinio facta jam sit sententia Sanctæ Sedis; nam cum in Congregatione Indulgentiarum propositum, & quæsitum esset, num videlicet, quemadmodum Missionarii, qui in regionibus Infidelium morantur, licite Sanctam Missam celebrant, præmissis contritionis actu ob grave aliquod, quod admiserint, peccatum; cum non adsit Confessarius, nec debeant die Festo Fideles Missa privari; ita consequendi Indulgentias, quæ conceduntur *vere pœnitentibus, & confessis* capaces dicendi sint facientes actum contritionis, nec præmittentes Confessionem; Congregatio prædicta respondit, nequaquam eos esse capaces, verum Summo Pontifici supplicare debere, ut nova gratia capaces reddat, ut, non facta actuali Confessione propter deficientiam Confessarii, solo contritionis actu ad consequendas Indulgentias habiles evadant. Hanc vero resolutionem Clemens XII. Prædecessor Noster approbavit, & gratiam impertitus fuit. Documenta referuntur in Opere P. Theodori ejusdem Congregationis Indulgentiarum Consultoris de *Indulg. part. 1. cap. 11. art. 5. in fine.*

§. 7. Nos hac formula *vere pœnitentibus, & confessis*, Confessionem actualem intelleximus, semperque intelligemus, quam inter præscripta, & adimplenda opera ad consequendas Indulgentias necessaria reponimus. Dicere, quod sic intelleximus, & intelligimus, sufficiens fortasse fuisset; verum quæ ante exposuimus, ea de causa exponere opportunum existimavimus, ut fundamenta agnoscantur, quibus nostra innixa sententia est.

§. 8. Prosequitur Constitutio *Peregrinantes*, atque in ipsa post præscriptas qua-



PONT. quatuor Basilicarum, videlicet S. Petri, S. Pauli, S. Johannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris visitationes, subjungitur; quod dicta visitatio fiat *semel* ANNO  
 A. IX. *saltem in die, per viginta continuos, aut interpolatos dies, sive naturales, sive* 1749  
*etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis vesperis unius diei usque ad integrum ipsius*  
*subsequentium die vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel incolæ*  
*Urbis, si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujus-*  
*modi dies: quibus verbis, rite, & ut Nos intelligimus, intellectis, quæstiones*  
*duæ alias excitatæ de medio tolluntur.*

§. 9. Prima, num, quemadmodum quatuor Basilicarum visitatio vigore Con-  
 stitutionis interpolatis diebus fieri potest, velut, exempli gratia, fieri potest  
 una visitatio quatuor Basilicarum decima die Mensis Januarii, alia vero visi-  
 tatio quatuor Basilicarum die 15.; ita fieri possit, exempli gratia visitatio  
 duarum Basilicarum in uno die, & visitatio duarum aliarum Basilicarum in  
 altero die, usque ad completum triginta, vel quindecim respective visitatio-  
 num pro unaquaque Basilica numerum.

§. 10. Verba *saltem semel in die* etiam in citata Bonifacii VIII. Decretali  
*Antiquorum* leguntur: Glossator autem ad prædicta verba, ea commentans,  
 attestatur, quod dictus Pontifex in Consistorio declaravit, prædictarum Basili-  
 carum visitationes per modum nuper indicatum fieri posse, dummodo nume-  
 rus visitationum uniuscujusque Basilicæ trigessimus sit quoad Romanos, & de-  
 cimus quintus quoad Exteros. Si ponamus, quod factum a Glossatore relatum  
 subsistat, dicere debere putamus, Pontificem Bonifacium non quidem declaras-  
 se, quod talis esset verborum sensus *saltem semel in die*, verum pro speciali  
 gratia concessisse, ut non obstante contraria Decretalis iux dispositione, Ec-  
 clesiarum visitationes modo ante indicato fieri possent. Et sane quotquot sub-  
 sequentibus temporibus super Bullis de Anni Sancti Jubilæo scripserunt, in  
 quibus semper verba *saltem semel in die*, reperiuntur, vim locutionis expen-  
 dentes, quod dicitur *in die* in singulari, & non *in diebus* in plurali, fieri  
 debere visitationes quatuor Basilicarum in uno die dixerunt. Videri possunt  
*Navarrus de Jubilæo, & Indulg. notat. 32. n. 41., & Benzonius de Anno Ju-*  
*bilæo lib. 5. dub. 5. Ita pariter dixerunt Sandellus var. Resolut. qu. 75. n. 1. &*  
*seq. Lavorius de Jubil., & Indulg. part. 1. cap. 17. num. 5., Quartus Trattato*  
*del Giubileo part. 2. dub. 1., Passerinus de Indulg. qu. 49. n. 63., Patqualigo de*  
*Jubilæo qu. 45., Riccius Trattato del Giubileo cap. 117. qui ulterius adjunxit,*  
 quod quando a Summis Pontificibus Basilicæ per Annum Sanctum visitantur,  
 quatuor simul in uno die visitantur.

§. 11. Nihilominus per occasionem Anni Sancti 1700. a Pontifice Innocen-  
 tio XII. promulgati opportunum factum visum fuit, in particulari Congrega-  
 tione ex variis Cardinalibus, & Prælati composita, iterum examini supradit-  
 tum dubium committere, num videlicet visitatio quatuor Basilicarum in uni-  
 co tantum die fieri debeat, an vero fieri diebus interpolatis posset, duas exem-  
 pli gratia Ecclesias uno die, alteras vero duas alia die visitando. Concordi  
 sententia decisum fuit, quod omnes in uno die fieri deberent. Atque ita pa-  
 riter in Notificatione a Cardinali Gaspare de Carpineo tunc temporis Urbis  
 Vicario publicata indictum fuit. Tam nomina eorum, qui Congregationis in-  
 terfuerunt, quam ipsa resolutio registrata sunt a Joanne Baptista Rigani Com-  
 ment. ad Regulas Cancel. Tom. 4. ad Reg. 53. a n. 22. usque ad finem, & Declara-  
 tio ipsa a P. Viva de Indulg. pag. 663. edit. Patav. an. 1715. typis impressa,  
 atque etiam a P. Vanraust. Opuscul. de Indulg. & Jub. qu. 7. n. 10. indicata re-  
 peritur. Nos demum, communi, atque obvio verborum sensui *saltem semel in*  
*die*, communi Doctorum opinioni, ac præcedentibus Resolutionibus adhæren-  
 tes, protestamur, Nos in Constitutione nostra, *Peregrinantes*, visitationem  
 quatuor Basilicarum in uno die fieri debere intellexisse.

§. 12. Altera autem controversia est, quæ respicit mensuram diei, in quo,  
 quemad-

PONT. quemadmodum dictum est, quatuor Basilicarum visitatio fieri debet. Quidam ANNO  
 A. IX. a media præcedenti nocte ad alteram mediam noctem diei subsequæntis metien- 1749  
 dum esse existimarunt; exempli gratia, a media nocte diei Jovis usque ad me-  
 diam noctem diei Veneris subsequæntis. Alii porro crediderunt diem metien-  
 dum esse a Vesperis diei præcedentis ad Vesperas diei subsequæntis, exempli  
 gratia, a Vesperis diei Jovis usque ad alteras Vesperas diei Veneris subsequen-  
 tis, quod idem est ac si dicatur, u'que ad principium noctis, sive ad vigesi-  
 mam quartam horam diei Veneris, quoniam Completorium orationum diei  
 complementum est.

§. 13. Hæc controversia per occasionem Anni Sancti a Clemente X. cele-  
 brati examinata, at non decisa fuit, quemadmodum Phœbæus *de Anno Jubilæi*  
*part. 2. cap. 5. pag. 241.* testatur. Iterum postea per Annum Sanctum ab Inno-  
 centio XII. indictum novo examini commissa est. Rigant. *loc. cit.* ei adhæsit  
 opinioni, quod dies illis a primis Vesperis usque ad Vesperas diei sequentis  
 computari deberent. Nec omisit validissimas pro suo assumpto rationes affer-  
 re; illud valde ad rem animadvertens, quod Portæ Sanctæ in Pervigilio Na-  
 tivitatis Domini Nostri ante Vesperas aperiuntur, & in subsequenti altero Na-  
 tivitatis Domini Pervigilio post Vesperas, idest prope occasum solis claudun-  
 tur. Hujusmodi rationes tam ab aliquibus, qui in Congregatione interfuerunt,  
 quam ab aliis, quorum sententias Congregatio ipsa requisivit, & laudatæ, &  
 receptæ fuerunt. Alii vero partim ex Congregatione, partim etiam ex iis,  
 qui ab eadem Congregatione consulti sunt, in eam sententiam iverunt, quod  
 dies ab una ad alteram mediam noctem metiendus esset. Hæc autem senten-  
 tia vicit, ut apud ipsum Rigant. videre est; & in citata Cardinalis de Carpi-  
 neo Vicarii Notificatione declaratum fuit, diem ab una ad alteram mediam  
 noctem incipere, & desinere, intelligi debere. Nos vero, ut Fideles per im-  
 minentem Annum Sanctum visitationem quatuor Basilicarum facilius adimple-  
 re possint, omnem in Constitutione nostra disputationem de medio sustulimus,  
 declarantes, quod visitatio quatuor Basilicarum vel uno, vel altero modo fieri  
 possit; videlicet aut ab una ad alteram mediam noctem, aut a Vesperis diei  
 præcedentis usque ad subsequæntis diei vespertina crepuscula.

§. 14. Postremo vero in citata Constitutione *Peregrinantes* decernitur, quod  
 ii, qui iter Romam versus susceperunt, vel qui cum ad ipsam pervenerint,  
 non possunt vel complere, vel incipere visitationem Basilicarum, sive morte  
 præventi, sive alia legitima causa impediti, gaudeant fructu Indulgentiæ,  
 dummodo pœnitentes sint, Confessionem fecerint, & Sanctam Eucharistiã re-  
 ceperint: *Eisdemque vero pœnitentes, & confessos, ac Sacra Communionem refectos,*  
*prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas*  
*Basilicas diebus a Nobis præscriptis se ipsa visitassent.*

§. 15. Pontifex Bonifacius VIII. in sua pluriq; a Nobis citata Decretali:  
*Antiquorum*, in qua Annum Sanctum indicit, prædictam declarationem Adve-  
 narum, seu Peregrinorum comprehensivam non inferuit; orta proinde contro-  
 versia fuit: num ipsi in prædictis circumstantiis Indulgentia consequuti essent?  
 Quapropter ipse Pontifex verbalem in Consistorio Declarationem in favorem  
 Advenarum facere necessarium duxit, quemadmodum Glossator Decretalis: *Ant-*  
*iquorum, vers. sed quæro: aliquis vere pœnitens, & confessus*, inter Extrava-  
 gantes Communes, testatur. Altera deinde fuit Quæstio excitata: num, sine  
 prædicta Declaratione, illi, qui ad proficiscendum Romam parati, sive ad eam-  
 dem iter ingressi erant, quive cum Romam pervenissent, præscriptam tamen  
 Basilicarum visitationem aut incipere, aut complere non potuissent, dummo-  
 do peccatorum suorum pœnitentes, & confessi forent, Jubilæi Indulgentias  
 consequerentur? Nec desunt, qui ejus esset opinionis, quod eam consequerentur.  
 Melioris tamen notæ, ac famæ Doctores in contraria sententia fuerunt,  
 ea ducti ratione, quod ad consecutionem Indulgentiæ non sola voluntas iatis,

et sit,

PONT. sit, sed necessario effectus requiratur. Ita differit Felinus in suo *de Indulgentiis Tractatu inter Tractatus magnos cit. tom. 14. pag. 159. a tergo num. 36.* Hoc idem assumptum variis argumentis probavit etiam supra citatus Johannes Baptista Paulini *lib. 3. de Jubilæo cap. 5.* Similis Controversia a S. Thoma *Quodlib. 2. art. 16.* pertractatur, ubi hanc quæstionem proponit: utrum scilicet is, qui, Cruce sumpta, profecturus ad recuperationem Terræ Sanctæ, pro qua insigni actione Indulgentiam consequeretur Plenariam, consequeretur eam, si in statu veræ pœnitentiæ constitutus, morte præoccuparetur, antequam itineri se committeret? Sanctus vero Doctor controversiam eandem solvit dicendo: opus esse, verba Textus concessionis Indulgentiæ rite observare; quoniam, si in Textu dicitur, quod Indulgentia conceditur sumentibus Crucem; Crucesignatus statim acquirit Indulgentiam, ejusque particeps sit, si moritur, antequam itineri se commiserit; verum si in Textu Concessionis Indulgentiæ, ipsa conceditur illis, qui mare transferint; Crucesignatus, qui mortem ante obit, quam mare transeat, Indulgentiam non consequitur.

§. 16. Pontifex Clemens VI., qui ille fuit, a quo Jubilæi Annus a centesimo quoque Anno per Bonifacium VIII. præfixo ad quinquagesimum reductus fuit, in Decretali sua: *Unigenitus: De Pœnitentiis, & Remissionibus inter Extravagantes Communes*, primus omnium supradictam Declarationem in Peregrinorum, atque Advenarum favorem scripto mandavit, & in sua Decretali registravit, atque in eandem inseruit, quocirca celebris Jurisconsultus Johannes de Anania Archidiaconus Bononiensis in suo de Jubilæo Tractatu sub Rubrica *de Sortilegiis*, postquam quatuordecim Dubia ad Jubilæi materiam spectantia examinandi proposuit n. 9. hoc, quod sequitur, reponit: *Dubitatur de illo, qui ivit usque ad mediam viam, & non potuit ulterius ire, de illo, qui non implet numerum dierum.* Huic autem dubio ita respondet: *ista tolluntur in Bulla præcedenti*, quæ est Clementis VI. superius ab ipso commemorata. Eadem Declaratio invenitur in Constitutionibus, & Indictionibus Anni Jubilæi, Pontificum, qui successerunt. Nos etiam, ad omnes controversias tollendas, exemplo eorum libenter adhæsimus, & eam propterea in Constitutione nostra *Peregrinantes* inseruimus: illud tamen animadvertendum, quod hæc Declaratio Advenas tantummodo comprehendit, nec ad Romanos, aut Romæ incolas extenditur, quemadmodum bene etiam a Benzonio *de Anno Jubilæi lib. 5. dub. 10.* fuit observatum; Quum Romanis, aut Romæ incolis, visitationes Basilicarum facere non valentibus, sive impeditis, alia quadam ratione, ut alibi ostendatur, provisum sit.

II.

*De Constitutione, quæ incipit Cum nos nuper, signata die 17. Maji 1749.*

§. 17. In primis quinque-Jubilæis alias Indulgentias, autem etiam facultates absolvendi a casibus reservatis, suspensas fuisse minime legitur; & omnium primus, qui per occasionem Anni Sancti prædictam suspensionem faceret, fuit Pontifex Sixtus IV. sicut in ejus Decretali, *Quemadmodum*, sub titulo, *De pœnitentiis, & remissionibus*, in Extravagantibus Communibus videre est; atque id ea maxima de causa, ut Fideles Romanos ad consequendam Plenariam Indulgentiam, quam ipse per Annum Sanctum eisdem offerebat, invitaret; cujus postea exemplo, qui successerunt, Pontifices sese conformarunt. Quidam ex his suspensionem Indulgentiarum, & facultatum in eadem Bulla, qua Jubilæum Anni Sancti indicebant, inseruerunt. Ita fecit Sixtus IV. & Alexander IV. præstitit idem; sed per separatam Constitutionem. Sixti IV. exemplum in omnibus secuti sunt tum Clemens VII., tum Julius III., ut ex Jubilæi Bullis apparet. At Gregorius XIII. ille fuit, qui suspensionem per Bullam a Jubilæi

PONT. læi Bulla separatam restituit, quemadmodum ab Alexandro VI. factum fuerat, ANNO  
 atque eo postea modo deinceps continuatum est. Sairo, Valentia, Salas a P.  
 A. IX. Baldello tom. 1. Theolog. Moral. lib. 5. de Rege disp. 16. n. 8. nominati & probati, 1749  
 prædictam suspensionem superfluum esse dixerunt, cum illa Sixti IV., in jure  
 Canonico jam inserta esset. sicuti nuper dictum est. Probe Nos scimus, non  
 solum illis Decretalibus honorem habendum esse, quæ in Collectionibus iustæ  
 Gregorii IX., Bonifacii VIII., & Clementis V. factis, insertæ sunt, verum  
 & aliis, quæ dicuntur Extravagantes Communes, inter quas ea Sixti IV.,  
 quam indicavimus, reperitur; quia licet harum collectio auctoritate privata  
 facta fuerit; fons nihilominus, a quo profluunt, & originem ducunt, idem  
 est ac omnium aliarum; cum tam illæ, quam hæ ab eadem Apostolica Sede  
 derivatæ sint; quemadmodum etiam Vener. Erater vivens. Episcopus Feltrensis,  
 in eximio suo Opere *Institution. Juris Canonici cap. 59. n. 8.* novissime in lucem  
 edito valde apposite animadvertit; verum considerantes Nos, non esse saltem  
 rationi incongruum dubitare, num suspensio Indulgentiarum, & Facultatum  
 a Sixto IV. facta, revocata sit; hinc orta necessitas est novæ suspensionis In-  
 dulgentiarum, & Facultatum, quæ fit, quando Annus Jubilæi indicitur.

§. 18. Suspensio Indulgentiarum, & facultatum a Sixto IV. facta hisce  
 quæ sequuntur, verbis concepta fuit: *Usque ad nostrum & ejusdem Sedis bene-  
 neplacitum suspendimus, illasque, durante beneplacito nostro, & Sedis prædictæ,  
 suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari: quicquid autem cum clau-  
 sula ad beneplacitum Sedis Apostolicæ stabilitur, durat etiam post Pontificis. n. or-  
 tem, qui id stabilivit; cum id, quod stabilitum est, non cesset, nisi revocetur  
 a successore: Si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur;  
 tum enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore fue-  
 rit revocata: quod quidem non contingit, tum cum actus sit a Pontifice usque  
 ad suæ voluntatis beneplacitum, quia concessio cessat cum morte concedentis:  
 si gratiose tibi a Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuæ pro-  
 motionis obtinebas, posses usque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere hujusmo-  
 di gratia per ejus obitum, per quam ipse beneplacitum omnino extinguitur, eo  
 ipso expirat; verba sunt Pontificis Bonifacii VIII. in cap. Si gratiose, de re-  
 scriptis, in sexto.*

§. 19. Navarrus in suis Consiliis lib. 5. de poenit. & remissionibus consil. 17.  
 hanc se materiam accurate tractasse dicit; quod verum est, cum ipse suo  
 de Jubilæo, & de Indulgentiis Tractatu *Notab. 18. num. 27. & 28. ac Notab. 33.  
 num. 7.* de eadem fute differuerit. Ibi post ponderatum vim clausulæ *ad nostrum,  
 & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, Sixti IV. mortem certam esse dicit, illud ta-  
 men ignorari, an ipse antequam supremum diem obiret, suspensionem revoc-  
 caverit, aut ex illius Successoribus quispiam id fecerit; quapropter ei se opi-  
 nioni adhærentem, & addictam ostendit, quod suspensio Sixti, etiam tunc du-  
 raret. Vivebat Navarrus tempore Gregorii XIII. cumque animadvertisset, Pon-  
 tificem hanc in suspensione Indulgentiarum Anni Sancti clausulam *ad nostrum,  
 & Sedis Apostolicæ beneplacitum* adhibere egit, de hac re cum Officialibus Curia  
 Romanæ, qui ei responderunt, Pontificem Sixtum nunquam generalem sus-  
 pensionis revocationem fecisse, neque ex eo inductam revocationem existimari pos-  
 se, quod Annus Sanctus elapsus esset; verum credibile esse, eundem Sixtum, ex-  
 acto Anno Sancto, particularem revocationem suspensionis quarundam Indulgentia-  
 rum fecisse, ut aliquorum Fidelium precibus obsecundaret; adjunxeruntque, quod  
 etiam Pontifex Gregorius XIII. eandem rationem retenturus erat; hoc vero totum  
 quod a Navarro dicitur, a Benzoniò etiam *de Anno Jubilæi lib. 4. cap. 8. dub. 6.  
 & a P. Theodoro tom. 1. de Indulg. cap. 13. art. 5.* confirmatur.

§. 20. Verum si quis ita dixisset, aut diceret; verum quidem esse, Ponti-  
 ficis determinationes per formulam *ad nostram, & Apostolicæ Sedis beneplaci-  
 tum*, conceptas, morte Pontificis, qui eas fecit, non cessare, sed revocationem

PONT. alienjus ex Successoribus necessariam esse; credible etiam esse Sixtum IV. com. ANNO pleto Anno Sancto, revocationem suspensionis generalem, & expressam minime fecisse, verum tantummodo peculiarem; At eodem tempore subdidisset, ac 1749 subderet, aliquas dari revocationes, ut scholæ loquuntur *virtuales*, & expressis revocationibus æquipollentes, atque hæc in eo, de quo agitur, casu intervenisse: quoniam, non obstante suspensione Indulgentiarum per Annum Sanctum facta summis Pontificibus notum semper fuit, quod homines pii, ac religiosi suspensas, elapso Anno Sancto, hujusmodi Indulgentias prædicarunt, ac publicarunt, libris suis inseruerunt, ac super eisdem fusc scripserunt, quin unquam Sancta Sedes contra aliquem ex prædictis actibus quidquam egerit, ac statuerit, licet apocryphas interim Indulgentias prohibere, & variis etiam Decretis, quæ revocatæ forent, nominatim declarare, quoties occasio hoc tulit, non prætermiserit; procul dubio, & Navarrus, & quicumque alium, qui se ejus opinionis assecram fecisset, aut faceret, ad incitas, quodajunt, atque angustias redigisset.

§. 21. Non nostra hæc, sed Castro Palai in suis Operibus Moralibus *par. 4. tract. 24. disp. unic. punct. 12. §. 2. num. 12. & 13.* animadvertio est. Et quando ex hujusmodi animadvertione aliud nihil deduci possit, vel deducatur, nisi saltem materiam dubiam esse; hæc tam Prædecessoribus nostris, quam Nobis sufficiens causa esse potuit, cur, non obstante suspensione a Sixto IV. in Jure Canonico, ut dictum est, inserta, novam suspensionem Indulgentiarum, & Facultatum per occasionem Anni Sancti faceremus. In Constitutione Nostra: *Nos cum Nuper*, de qua in præsens agimus, ubi non sumus clausula *ad Nostrum Sedis Apostol. beneplacitum*, verum aliâ hæc *Apost. Auctoritate Sc. suspendimus Sc. usque eodem anno durante nulli prodesse, aut suffragari debere Sc.* Hanc autem clausulam adhibuimus, tum quia Clemens VIII. in suspensione Indulgentiarum, & Facultatum per Annum Sanctum eandem adhibuit, atque ejus exemplo omnes alii Successores, quorum temporibus celebrati sunt Anni Sancti, sese conformarunt; tum quia per ipsam difficultas alias excitata de medio tollitur, num videlicet post Annum Sanctum suspensio Indulgentiarum perdaret, neque, quem admodum valde apposite Lavorius *de Jubilæo & indulg. part. 1. cap. 10. num. 13.*, & Quarti *in suo Tractatu de Jubilæo punct. 1. de suspensione Indulgentiar. dub. 7.* adnotarunt.

§. 22. Qui aliquem, etsi mediocre, in moralibus Auctoribus usum habet, multas procul dubio quæstiones non ignorabit, quæ ab ipsis excitantur circa Indulgentias, & promoventur, quæ per Annum Sanctum suspenduntur. Ad eas Nos removendas, generalem in Constitutione nostra suspensionem fecimus. Sed primum, quemadmodum in ipsa legere est, aliquot a generali revocatione Indulgentias subtraximus, quas expressimus etiam, & nominavimus: ex quo per se consequitur, illas quæ nominatim præservatæ non sunt, intelligi debere suspensas. Magna erat controversia, num sub suspensione solæ Plenariæ Indulgentiæ comprehenderentur, an vero ipsa ad non Plenariæ, & partiales extenderetur. Navarrus *de Jubilæo & Indulgentiæ notabili 33. n. 26.* Banzonius *de Jubilæo lib. 4. cap. 8. num. 3. & 4.* Lavorius *de Jubilæo part. 1. cap. 10. num. 3. & 4.* Viva *de Jubilæo præsertim Anni Sancti quæst. 4. art. 1.* solæ Plenariæ suspensas remanere scripserunt. Alii vero in ea erant opinione, quod tam plenariæ, quam non plenariæ, sive partiales, suspensæ remanerent. Itascripserunt Vanranil *in Osuscul. Histor. Theolog. de Indulg. & Jubilæo q. 5. Quarti in Tractatu de Jubilæo cap. 13. punct. 1.* Pignatellus *in Tractatu de Anno Sancto cap. 3. dub. 10.* Difficultas ex diversitate formularum in suspensionibus adhibitarum oriebatur, cum in aliquibus et, quæ sequuntur, verba legerentur: *Omnes, & singulas Indulgentias plenariæ*, in aliis vero, *omnes, & singulas Indulgentias*. Quidam ita reputabant, quod etiam in formalis suspensionis Indulgentiæ non plenariæ minime nominarentur, nihilominus credendum esset, easdem compre-

PONT. A. IX. ANNO 1749.  
 henfas esse, ex eo, quod quidam Pontifices, Anno Sancto vertente, concesserant, ut partiales aliquot Indulgentiæ restituerentur, ac publicarentur; quod non fecissent, nisi prius mens illis fuisset easdem sub suspensione comprehendere. Ita PP. Constantinus in suo *Tractatu de Jubilæo Anni Sancti part. 3. cap. 7.* & Theodorus de *Indulg. tom. 1. cap. 13. art. 3. quæst. 2.* scripserunt. Nos ut omnis quæstio removeretur, postquam Indulgentias, quas non revocamus, expressimus, ita subdimus: *Cæteras omnes, & singulas Indulgentias tum plenarias, quam non plenarias &c. suspendimus, & suspensas esse declaramus &c.*

§. 23. Nihil ab ipsa materia proposita digredientes, eas Nos Indulgentias a revocatione excepisse, ac subtraxisse dicemus, quæ pro Defunctorum Animabus directe conceduntur. Reliqua erat controversia circa illas Indulgentias, quas vivi consequi possunt, cum facultate per modum suffragii Defunctis applicandi. Quarti in *Tract. de Jubilæo cap. 3. punct. 1. pag. 198.* & Pignatellus in suo *Tract. de Anno Sancto cap. 13. dub. 20.* ejus opinionis fuerunt, quod prædictæ Indulgentiæ sub revocatione minime comprehenderetur. Pro contraria autem sententia steterunt Viva de *Jub. quæst. 4. art. 4.* Vanraet in *Opuscul. Histor. Theol. de Indulg. & Jubilæo quæst. 5. num. 7. pag. 244.* Nec inficias iri potest, hanc magis plausibilem sententiam fuisse, & per multos etiam Annos Sanctos in praxi receptam. Abbas olim Michael Angelus Riccius, qui Congregationis Indulgentiarum primum a Secretis fuit, deinde vero inter Cardinales cooptatus, in Congregationibus, quæ habitæ fuerunt tempore Anni Sancti a Clem. X. celebrati, & in quibus examinata, ac non admissæ fuerunt quarundam piarum personarum preces, quibus instanter petebant, ut decerneretur, ne generalis suspensio indulgentiarum illas comprehenderet, quæ conceduntur vivis cum facultate Defunctis applicandi, multum se illi opinioni addictum ostendit, quæ prædictas Indulgentias contendit per Annum Sanctum suspensas esse, & sub revocatione, seu generali suspensione contineri. Illi etiam sententiæ hæc ratio favet, quod in Indulgentiis, quæ conceduntur Vivis cum facultates eas per modum suffragii Defunctis applicandi, duæ res considerari possunt, altera, quæ principalis est, & quæ respicit Vivos; altera, quæ est accessoria, & quæ respicit Mortuos; & cum sub revocatione comprehendatur pars principalis, non videtur, exemptam esse posse partem accessoriam.

§. 24. Ut præcedentes Notificationes in cæteris Annis Sanctis publicatas missas faciamus; in illa a Cardinali de Carpineo Urbis Vicario per Annum Jubilæi 1675. jussu Pontificis Clementis X. publicata ita legitur: *Non intelligantur suspensæ Indulgentiæ Altarium privilegiorum pro Defunctis, nequæ aliæ concessæ eo modo pro Defunctis; verum illæ suspensæ habeantur, quæ possunt sibi consequi Vri, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii.* Similes fuerunt Notificationes, quæ per Annum Sanctum tempore Innocentii XII. celebratum publicatæ fuerunt. Et Pontifex Benedictus XIII. in sua Notificatione, quæ die 10. Januarii 1725. publicata est, eidem pariter sententiæ, ac normæ sese conformavit. Verum cum Pontificis illius Benedicti Benefactoris Nostri præcipua pietate præditi mirificus erga Purgatorii animas esset devotionis sensus, quemadmodum ex sermonibus super Purgatorio ab ipso Typis editis clarum sit; sub die 19. Februarii ejusdem Anni aliam Notificationem publicavit, quam in Historia Annorum Jubilæi ab Alfano pag. 564. in lucem edita videre est; ac deinde sub die xxviii. Aprilis ejusdem pariter Anni Brevis expedivit, quod a P. Theodoro in suo sæpius citato de Indulgentiis *Tract. part. 1. pag. 375.* impressum reperitur; in quo declaravit, Indulgentias Vivis concessas cum facultate Defunctis applicandi sub revocatione ab ipso per Annum Sanctum facta minime comprehendi, quo ad illam tamen dumtaxat partem, quæ Animarum Defunctorum suffragium respicit. Et licet Regula sit, quod Indulgentiæ Vivis concessæ, per modum suffragii Mortuis applicari non possunt, nisi id in concessione exprimat, adjecit, quod, Anno Sancto du-

PONT. rante, ut Purgatorii Animarum opportunis suffragiis nequaquam destitutæ remanerent, possent a Vivis Indulgentiæ in ipsarum beneficium applicari, etiamsi  
 A. IX. in concessione facultas, ut eadem pro Defunctis applicari possent, expressa non esset. Quapropter, & Nos in Constitutione nostra tanti Pontificis exemplum libenter secuti sumus. ANNO 1749

§. 25. In hac nostra Constitutione, *Cum nos nuper*, quemadmodum hætenus dictum est, durante Anno Sancto, non solum Indulgentiæ suspenduntur, verum omnes Facultates, & Indulta absolvendi a casibus reservatis etiam in Bullæ Cœnæ, secundum id, quod in §. *Cæteras omnes* legitur. Quam regulam in suspensione Indulgentiarum tenuimus, eandem & in suspensione Facultatum, & Indultorum servavimus; cum præcipue Facultates, & Indulta expresserimus, quæ sub revocatione minime comprehendi intelleximus; unde sequitur, illa, quæ excepta non sunt, comprehensa remanere. In generali Facultatum, & Indultorum suspensione alio tempore dubitatum fuerat, num Facultates comprehenderentur, quæ Prælati Regularibus ratione proprii officii, ac muneris competunt, absolvendi scilicet Regulares eorum subditos a casibus reservatis, & super aliquibus impedimentis dispensandi, quemadmodum apud P. Viva de Jubilæo qu. 4. art. ult. §. 4. Constantinum de Jubilæo Anni Sancti part. 3. cap. 7. pag. 250. & Pasqualigum quæst. 160. videre est. Nos, ad ambiguitatem omnem tollerandam, inter facultates a suspensione exceptas, illas excepimus: *Superiorum Ordinum Regularium, quæcumque ipsis in Regulares pariter sibi subiectos a Sede Apostolica prædicta tributa fuerunt.*

§. 26. Verum cum Regulares non solum Indultis, & Facultatibus gaudeant super suos subditos Regulares, sed quidam eorum contendant, habere se Facultates, & Indulta sibi a Sede Apostolica concessa, neque unquam revocata, absolvendi a casibus eidem Sedi reservatis sæculares personas, & Vota commutandi, aliasque varias res concedendi, quas hic commemorare minime opus est; alia gravis controversia in medio remanet, num easdem Facultates, sub suspensione Indultorum, & Facultatum, quæ per Annum Sanctum fit, comprehensæ remaneant. In qua quidem controversia aliqui opinantur, Facultates absolvendi a casibus reservatis; Vota commutandi, etiamsi collatæ non sint intuitu, aut occasione Indulgentiarum, suspensas remanere. Quidam alii vero distinguunt inter Facultates absolvendi collatas per occasionem, aut intuitu Indulgentiarum, & Facultates aliis de causis attributas; & primas, non autem secundas, per Annum Sanctum suspensas, remanere affirmant, quemadmodum apud Viva loco citato, item apud Constantinum loco pariter citato pag. 246. & seq. Varran. cit. Opusc. de Indulg. qu. 5. & apud alios complures videre est, quos hic nominare foret.

§. 27. Qui primæ adhærent opinioni, quod videlicet Facultates, & Indulta sive intuitu & occasione Indulgentiarum, sive ob alias rationes concessa, suspensa remaneant, argumentum desumunt ex amplo modo, quo suspensivæ Bullæ conceptæ sunt: item ex eo, quod quædam Facultates, & Indulta a generalitate suspensionum excipi solent; sicuti videri potest apud Sorbum, & Rodriguez, quorum sententiæ a Pasqualigo cit. qu. 160. referuntur. Pro hujus autem sententiæ comprobatione magnam habet vim Pontificii Julii III. factum, quod narratur; qui Pontifex, cum per Annum Jubilæi Facultatem absolvendi a casibus Sedi Apostolicæ reservatis Confessariis illis, qui cum habebant, suspendisset; pro speciali gratia Patribus Societatis Jesu concessit, ut per integrum vententis tunc Anni Sancti cursum gaudere possent Privilegio absolvendi a casibus Summo Pontifici, & Apostolicæ Sedi reservatis, quod ipsis a Paulo III. non quidem intuitu, aut occasione Indulgentiarum, seu ob alias rationes elargitum fuerat. Ex quo sequitur, dicta Privilegia ab ipso Pontifice sub suspensione, quam per Annum Sanctum fecerat, comprehensa fuisse. Factum ab Orlandino in Historia Societatis Jesu refertur, & Phæbei Tractat. de

72  
 TANT. Anno Jubilæi part. 2. cap. 10. pag. 162. Victorelli in Historia Jubil. Pontific. part. ANNO  
 3. pag. 371. Alfani in Historia Anni Sancti pag. 311. & seqq. Riccii Tractatu de  
 A. IX. Jubil. cap. 38. testimoniis comprobatur. 1749

§. 28. Qui secundæ opinionis partes tuentur, considerant, Romanos consuevisse Pontifices, quosdam Facultates concedere ad faciliorem Indulgentiarum consecutionem, & ad impedimenta removenda; atque has solas esse, quæ per Annum Sanctum suspensionis intelliguntur; cum ad has suspendendas eos potissimum ducat desiderium, quod habent, ut Fideles ad acquirendas Indulgentias Romam se conferant; verum nequaquam remanere suspensionis Facultates absolute, ac non ratione Indulgentiarum, neque ipsarum causa concessas. Ita, post alios complures, contendit Quarti in tract. de Jubil. cap. punct. 2. pag. 219. Porro Navarrus Bullam Indulgentiarum suspensionis a Gregorio XIII. per Annum Jubilæi publicatam cum exponeret, quamvis facilis ei ad Pontificem aditus pateret, apud quem & gratia, & exultatione valebat, narrat tamen (de Jub. & Indulg. notab. 33. n. 2.), se, ne illi sæpius molestus esset, egisse cum Præfule tum temporis Datario viro valde perito, & qui Pontificiam mentem apprime callebat; eumque interrogasse, non sub generali suspensionis Facultates, & Indulta ex aliis causis, & non ratione, aut per occasionem Indulgentiarum concessa, comprehenderetur; atque hoc, quod sequitur, responsum tulisse: *Intentionis Sanctissimi Domini Nostri fuisse suspendere solas, & omnes Indulgentias Plenarias, & sola, & omnia earum, quærendarum causa concessa, & indulta; ita quod nulla Indulgentia, quæ non esset Plenaria, nec ulla Facultas, quæ non esset causa Indulgentiæ Plenariæ quærendæ concessa, censetur suspensa.* Alia etiam similis Clementis VIII. declaratio a Cardinali de Lugo de Penit. disp. 20. sect. 8. num. 145. refertur.

§. 29. In hac Controversia, num Breve generalis suspensionis omnium Indulgentiarum, & Facultatum absolvendi a Casibus S. Sedi reservatis per Annum Sanctum illas tantummodo Facultates comprehendat, quæ respectu Indulgentiarum conceduntur, an vero ad illas etiam extendatur, quæ sine ullo Indulgentiarum respectu concessæ sunt; Nos semper arbitrati sumus, atque arbitramur, diversitatem sententiarum etiam esse, atque omni ex diversitate verborum, & clausularum, quibus Brevia suspensionis concepta sunt; & ex eo quod, qui scripsit, non animadvertit, Suspensiones minime esse uniformes, ut quod sub una Suspensionis comprehendi possent omnes facultates absolvendi a casibus reservatis, sub alia vero aliquæ tantum, & non aliæ comprehendi possunt. In Decretali Sixti IV. *Quemadmodum*, qui, sicut supra etiam indicatum est, primus fuit, qui per Annum Sanctum Indulgentias, & Facultates absolvendi a casibus reservatis suspendit, subiecta verba leguntur: *Omnes, & singulas Plenarias, etiam ad instar Jubilæi &c. dispensandi Confessores cum potestate absolvendi etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, Facultates, Confessiones, & Indulta a Nobis, & eadem Sede, vel illius auctoritate concessas -- suspendimus &c.* Hæc eadem formula a successoribus illius Alexandro VI. Clemente VII. & Julio III. adhibita fuit in Constitutionibus, in quibus Anni Sancti Jubilæum indixerunt. Nimis generalia verba sunt, neque ulla datur antea restringendi suspensiones ad facultates absolvendi, ratione Indulgentiarum concessas; cum Facultates comprehendere debeat aliis etiam de causis impertitas. Quare nemini mirum videri debet, si Pontifex Julius III. qui eadem adhibuerat, Patribus Societatis Jesu potestatem concessit, ut per totum illum, quem ipse celebrabat, Annum Sanctum, a casibus reservatis absolverent, utentes privilegio, quod eisdem a Paulo III. concessum fuerat, quodque ipse prius sub amplitudine suæ suspensionis comprehenderat, quemadmodum etiam paulo ante dictum est.

§. 30. Hujusce porro formulæ amplitudo ad Gregorium usque XIII. perduravit, qui in suspensione Indulgentiarum, & Facultatum, quam per Annum  
 San-



PONT. Sanctum a se celebratum fecit, in hunc, qui sequitur, modum restrinxit: De ANNO  
 A. IX. Apostolica potestatis plenitudine suspendimus . . . omnes, & quascumque plenarias, etiam ad instar Jubilæi, & earum causa, Facultates, Concessiones, & Indulta  
 quæcumque a Nobis, & a dicta Sede, ejusque auctoritate quibuscumque Ecclesiis  
 &c. Digna observatione verba sunt, & earum causa, cum ab ipse deriveret, 1749  
 eas dumtaxat Facultates sub Brevi suspensivo comprehensas fuisse, quæ per  
 respectum ad Indulgentias concessæ fuerant; quod quidem & explicationem a  
 Pontificis Datario editam, & Navarri sententiam, sicut & supra indicatum est,  
 mirifice comprobat.

§. 31. Restrictiva Gregorii XIII. formula a Clemente VIII. nequaquam servata fuit, qui antiquam rursus amplitudinem assumpsit: Omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, & Facultates & Indulta absolvendi etiam a casibus Sedi Apostolice reservatis . . . suspendimus. Hanc autem eandem rationem Successores illius tenuerunt, qui verba & earum causa, unde restrictiva oriebatur, omiserunt. Cardinalis de Lugo loco supradictato contendit, solam suspensionem Facultatum, quæ ratione Indulgentiarum concessæ sunt, non autem earum, quæ propter alias causas impertitæ fuerunt, admittendam esse, etiam in Brevi suspensivo Clementis VIII. verba & earum causa, desiderentur, affirmans, ita ab eodem Clemente fuisse declaratum: Sed idem Pontifex interrogatus dixit eandem fuisse intentionem suam, & ad tollendum dubium, edita fuit iterum eadem Bulla, additis eisdem verbis, id est, earum causa. Nos mutationis hujusce nullum documentum, aut indicium habemus; & , posito quod subsisteret, argumento esset, quod nisi in suspensivo Brevi insint verba, earum causa; sub illius amplitudine Facultates absolvendi, tam in ordine ad Indulgentias, quam aliis de causis concessæ, comprehensæ intelliguntur. Verba earum causa in Brevibus suspensivis Urbani VIII. aliorumque Successorum etiam omissa sunt, & quamquam supradictus Cardinalis de Lugo in Urbani VIII. secundum explicationem alteri Brevi Clementis VIII. datam intelligendum sit; animadvertendum tamen est, quod non ita Urbanum declarasse ait, sed ita Cardinalem ipsum opinatum esse; Quare cum iterum de hoc dubitaretur, æque dixi, non fuisse revocatam Regularium facultatem. Et sane cum Regesta Anni Sancti Pontificis Urbani VIII. diligenter evoluta, ac perlustrata sint, nullum inventum est monumentum, quod hanc, de qua agimus materiam respiciat. Præterea diligenter perlecta sunt Regesta Congregationum, quæ per Jubilæi Annum a Clemente X. Celebratum habitæ fuerunt, atque ex ipsis hoc collectum est, eos, qui in illis interveniebant, ejus sententiæ fuisse, ut deficientibus in Brevi suspensivo verbis, & earum causa, Facultates absolvendi, tam in ordine ad Indulgentias, quam aliter concessæ, revocatæ intelligerentur. Et sane maximo studio contenderunt, ut a Summo Pontifice declararetur, sicuti declaratum fuit. ut durante etiam Anno Sancto possent Regulares uti privilegiis proprios subditos absolvendi a casibus reservatis, quod protecto non fecissent, nisi credidissent, sub suspensione Pontificis Clementis etiam Facultates absolvendi non respectu Indulgentiarum concessas, comprehensas fuisse; cum hujusmodi essent eæ, quas in favorem Regularium præservari postulabant.

§. 32. Pater Constantini in suo de Anno Sancto pluries laudato Tract. privi. 3. cap. 7. pag. 246. valde apposite, & ad rem dicit, rem omnem a mente, atque intentione Pontificis pendere. Nos in Constitutione nostra verba & earum causa, quemadmodum Gregorius XIII. fecit, non inseruimus; Neque porro in altera Constitutionis nostræ editione ea verba supplevimus, quemadmodum Cardinalis de Lugo a Clemente VIII. factum affirmat. Persuasum Nobis est, magnam esse vim generalitatis verborum; Ideoque protestamur, quod, salvis facultatibus expressæ, ac nominatim exceptis, suspensæ remaneant, durante Anno Sancto, aliæ Facultates absolvendi a casibus Apostolicæ Sedi etiam in

TONT. *Bulla Cœnæ* reservatis, sive Indulgentiarum causa, & intuitu, sive ob alias ANNO  
 causas concessæ sint. Et quamquam hoc ad aperiendam, & manifestandam men-  
 tem nostram circa id, de quo agitur, sufficiens esse deberet; nihilominus op- 1749  
 A. IX. portunum, atque expediens esse existimavimus in altera Constitutione nostra,  
 quæ incipit *Convocatis*, repetere, quod omnes Facultates absolvendi, & dis-  
 pensandi suspensionis sint, sive eæ Indulgentiarum causa, & occasione, sive alio  
 quovis titulo, & causa concessæ fuerint, tum cum de earum facultatum usu  
 agitur extra Urbem; non tamen Romæ; & item quando agitur de earumdem  
 usu in Sæculares extra Urbem; non tamen quando agitur de earum usu sive  
 extra Urbem sive in ea in Regulares Subditos eorum Prælatorum, & Superio-  
 rum Regularium, quibus eadem Facultates legitime competere dignoscuntur:  
 quemadmodum etiam superius §. 24. indicatum est.

## I I I.

*De Apostolica Constitutione, quæ incipit Convocatis, signata sub  
 die 25. Novembris 1749.*

## §. I.

§. 33. Non nostrum hic consilium est de Annis Jubilæi Historiam contexere, cum id jam præstitum ab aliis multis sit, & etiam per occasionem Anni Sancti a Pontifice Benedicto XIII. celebrati a supra citato P. Alfani Ordinis Prædicatorum; minime etiam proinde immorabimur in referendo, quo modo a Decessoribus Nostris Pœnitentiarii minores deputari, & quo numero cœperint, aliquæ deinde ipsis adjuncti in Basilicis SS. Apostolorum Petri, & Pauli, S. Johannis, & S. Mariæ Majoris, ad eorum omnium audiendas Confessiones, eisdemque ab ipsorum peccatis absolvendos, quicumque ad easdem visitandas accederent plenariam Indulgentiam consecuturi. Nihil præterea dicemus etiam de deputatione, quæ temporis successu a Cardinali Urbis Vicario fieri cœpit aliorum Confessariorum, qui pro majori Pœnitentium commodo in propriis Ecclesiis Confessiones audire possent; Tam minorum Pœnitentiariorum in Basilicis, quam adjunctorum, quemadmodum item Sacerdotum; qui a Cardinali Vicario eliguntur, deputationem Nos introductam invenimus, atque eam aliis duobus præcedentibus Jubilæi Annis, quos Romæ celebrari vidimus, in more habitam, & receptam Nos vidisse dicere possumus. A Cardinali Pœnitentiario, ex Oraculo Pontificio, opportuna Facultates dabantur Pœnitentiariis minoribus Basilicarum tam ordinariis, quam adjunctis; eodemque Oraculo a Cardinali Vicario aliquæ Confessariis, quos deputabat, Facultates impertiebantur. Ex hoc autem quædam confusionis, ac perplexitatis species oriebantur, licet varix identidem Instructiones pro recto usu Facultatum eisdem respective concessarum publicarentur, ac variis Notificationibus solverentur dubia, quæ non semel proponebantur. Nos illud curavimus, at in unica Constitutione, in ea nimirum, de qua nunc agimus, omnia simul complecteremur. In hac itaque Facultates enunciavimus, quas Pœnitentiariis Basilicarum minoribus, atque his, qui cum in ipsis, tum in aliis Urbis Ecclesiis adjuncti, concedimus, instructiones item pro recto earumdem usu, Facultates, quæ Confessariis a Cardinali Vicario deputatis dantur; & quorundam dubiorum, quæ aliis proposita sunt, declarat ones; ut uno, quod ajunt, istu oculi unusquisque omne id, quod ad adimplendam in futuro Anno Sancto Pœnitentiarii, vel Confessarii, ut supra, deputati ministerium, necessarium est, videre possit. Quare illud unice restat, unumquemque Pœnitentiarium, vel Confessarium deputatum hortari, eique, ut facimus, injungere, ut quantum uni-

PONT. cuique eorum conceditur attente legant, ne in propriæ animæ, ac animarum ANNO  
suorum Pœnitentiæ præjudicium præscriptos auctoritatis limites excedant.

A. IX.

1749

S. II.

*De Facultatibus concessis in Constitutione Convocatis pro imminente Anno Sancto  
Pœnitentiariis in ordine ad Absolutiones a peccatis, & censuris incurfis.*

§. 34. Duæ in hoc, quod proponitur, themate notabiles res Nobis videntur; una, quæ respicit Pœnitentes; altera, quæ pertinet ad peccata.

§. 35. Magna ea controversia est, num aliqui Regulares tempore Jubilæi Anni Sancti, sive alias dum Jubilæum conceditur, & Pœnitentibus Facultas datur eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, possint confiteri Confessario Sæculari, vel Regulari alterius Ordinis, ab Ordinario pro Confessionibus sæcularium audiendis approbato, idque sine superiorum suorum licentia; cum aliquot Religiosæ Communitates, sive Religiones, Privilegia a Summis Pontificibus eisdem concessa habeant, ut non obstantem Facultate, quæ occasione Jubilæi conceditur, confitendi Confessario ab Ordinario approbato, vetitum tamen id sit eorum Alumnis, nisi ad id expressus superiorum suorum Regularium assensus concurrat. Hujusmodi privilegiorum a Leone X. Minimis concessum dicitur, ab Alexandro IV. Cisterciensibus, a Sancto Pio V. Prædicatoribus, a Sixto V. Barnabitis. Amplum illud est, quod Gregorius XIII. Societatis Jesu concessit in Bulla, cujus initium: *Decet Romanum Pontificem*, ubi declarat, non esse, nec fore unquam mentis nostræ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis absque expressa Superiorum ejusdem Societatis licentia, utantur Facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis Cruciatæ &c. hætenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur, etiamsi in illis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, hujusmodi Facultatibus uti possint. Atque hujus Privilegii alii Regulares Ordines participes se debere esse per viam communicationis, contendunt, quemadmodum citatus P. Constantini probe animadvertit in suo *Tractatu de Jubilæo part. 3. cap. 5. §. Secondo* che.

§. 36. Quæstio hæc in opere, quod de *Privilegiis Religiosorum* inscribitur, accurate discussa est; quem librum Canonicus quidam Regularis Lateranensis pridem defunctus conscripsit, & P. Eusebius Amort Canonicus item Lateranensis notis diligentibus, & accuratis illustratum novissime in lucem edidit: Ibi, de potestate Regularium eligendi sibi Confessarium n. 17. pag. 750. In prædicto Opere fute comprobatur, quod a suis Canonicis Regularibus tempore Jubilæi etiam sine Superiorum suorum licentia eligi possit Confessarius, vel Sæcularis, vel Regularis alterius Ordinis ab Ordinario approbatus. P. Viva in Tractatu suo pluries a Nobis allegato de *Jubilæo qu. 9. art. 1.* de hac quæstione generaliter agit, seque opinionis Regularium libertati contrariæ asseclam facit, opinionem vero, quæ ipsis favet, inter probabiles tantum haberi vult. Natali Alexander de *Indulgentiis cap. 3. regul. 17.* nullam se videre rationem restatur, quare hujusmodi libertas tempore Jubilæi auferri Regularibus possit. Cardinalis de Lugo inter Bullam Cruciatæ, & Jubilæum distinguit, dicens, haudquaquam vigore primæ eligi posse a Regularibus Confessarium ab Ordinario approbatum pro Sæcularibus, sine Superiorum suorum Regularium licentia; quod item a compluribus Summis Pontificibus Decessoribus nostris, & a Nobis in Constitutione nostra, cujus initium *Apostolica indulta la 100. §. 7. Bullar. tom. 1.* stabilitum est; cum Cruciatæ Privilegium sit Privilegium permanens, quod si in Religiosis Ordinibus suum haberet vigorem damno eisdem esset; posse vero a Regularibus eligi supradictum Confessarium vigore Jubilæi, quod privilegium brevi temporis intervallo durat, quod in favorem est omnium, quodque nemini nocet. Alii vero docent, huic controversiæ locum non esse,

PONT. quando Regulares conferunt se ad confitendum Pœnitentiariis minoribus Basilicarum Urbis, sive per Annum Sanctum, sive extra Annum Sanctum; tum  
 A. IX. quia ita palam ab ipsis fit, absque ulla Superiorum suorum licentia, quod tacitam infert Summorum Pontificum permissionem; tum quia, cum hi Pœnitentiarii a Romanis Pontificibus ad omnium Catholicorum sive Sæcularium, sive Regularium Confessiones excipiendas in Basilicis collocati sint; ii Religiosi, qui ad confitendum eisdem accedunt, ad confitendum Sacerdoti a proprio Pastore deputato accedunt; cum Romanus Pontifex supremus omnium Christianorum, omniumque Pastorum earundem Pastor sit. Eos, qui ita docent, Auctores Rotarius in *Theolog. moral. Regular. tom. 3. lib. 1. cap. 1. punct. 2. num. 18.* colligit, eorumque sententiæ subscribit. Diffuse id a P. Siro, qui in Lateranensi Basilica tot annos Pœnitentiarii munus obivit, comprobatur in suo *Tractatu de Facultatibus minorum Pœnitentiariorum Basilicarum Urbis part. 1. cap. 1. dub. 6.* Nos vero nihil eorum juri detrahentes, verum, ut dici solet, *jura juribus addendo*, ad unicum dumtaxat finem, ut tutiores semper conscientię reddantur, inter Facultates, quas, hoc Anno Sancto vertente, Pœnitentiariis Basilicarum concedimus, etiam illam expressimus, ut possint scilicet absolvere *quascumque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiamsi ex præscripto Superiorum, vel suarum Constitutionum etiam a Sede Apostolica approbatarum, vel alias ex Indulto, Decreto, aut Præcepto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur.*

§. 37. Atque hæc sunt, quæ ad Pœnitentes pertinent. Quod vero respicit peccata, in Ephemeridibus Johannis Bucardi Cappellæ Pontificæ Cæremoniarum Magistri tempore Alexandri VI. in Annalibus Bzovii, & in pluries citata Alfani Historia de Annis Sanctis, lib. 8. de Anno Sancto 1500. pag. 224. n. 7. & 9. postulationes registratæ sunt, quas Sancti Petri Pœnitentiarii Pontifici Alexandro VI. occasione Anni Sancti, qui tunc celebrabatur, obtulerunt, inter quas illa registrata est, ut possent absolvere *a peccatis omnibus quantumcumque enormibus*; Pontifex vero in sua Constitutione, quæ incipit *cum in principio*, eam cum exceptione quatuor casuum concessit, idest conjugationis contra Pontificis Personam, ejusque statum; adulterationis literarum, & commissionum Apostolicarum; translationis armorum, aliarumque rerum vitætarum ad loca, & regiones Infidelium, & Injectionis manuum violentarum in Cardinales, Episcopos, aliosque Prælatos, & Superiores Ecclesiasticos. Eandem exceptionem a Pontifice Clemente VII. per Annum Sanctum, quam ipse celebravit, eidem Basilicæ Vaticanæ Pœnitentiariis factam legimus in Constitutione, quam penes Nos habemus, cujus initium *Pastoris æterni*. De prædictis casibus, ac de aliis etiam, mentio est in Constitutione Pauli II. quæ incipit: *Etsi Dominici Gregis*, inter Extravagantes communes sub titulo *de Pœnitentiis, & Remissionibus*; Quod quidem quibusdam occasionem credendi ac scribendi præbuit, non posse Pœnitentiariorum Minorum Basilicarum per Annum Sanctum a prædictis casibus absolvere. Nos vero ad difficultatem omnem de medio tollendam, aliorum etiam Decessorum nostrorum exemplo adherentes, in Constitutione Nostra, de qua in præsens agimus, n. iv. Pœnitentiariis prædictis auctoritatem dedimus absolvendi a censuris etiam in *Bulla Cœnæ* Summo Pontifici, & Sedi Apostolicæ reservatis, & insuper *ab omnibus peccatis, & excessibus quantumcumque gravibus, & enormibus*. Præterea vero n. xxiiii. illas, & in suo vigore per Annum Sanctum alias etiam Facultates remanere declaravimus, quæ ipsis a Cardinali Majori Pœnitentiario concessæ sunt, aut concedentur.

§. 38. Nequaquam vero, quemadmodum inferius dicitur, concessa unquam intelligitur auctoritas absolvendi ab hæresi ad extrinsecum deducta, etiamsi verba Indulti generalia, ac generalissima sunt, nisi hæresis expresse, & indig-

vidua.

PONT. vidualiter nominetur. In Facultatibus a Nobis per Annum Sanctum Pœnitentiariis concessis casus hæresis ad extrinsecum deductæ expresse *n. VII.* nominatur; ubi tamen Facultas absolvendis a censuris propter hæresim formalem exterminam incurfis intra certos limites restringitur, quos Pœnitentiarius attente animadvertere debet, ne faciat id, quod faciendi auctoritatem non habet.

§. 39. De Confessario, qui expertus remanet auctoritatis absolvendi personas complices in peccato turpi & inhonesto contra sextum Præceptum, etiam tempore Jubilæi, inferius dicitur. Hoc interim punctum de Facultatibus absolvendi a peccatis, & censuris, quæ Pœnitentiariis minoribus per Annum Sanctum conceduntur, concludimus, eosdem admonendo, & hortando, ut Nostram legant Constitutionem de Facultatibus Majoris Pœnitentiarum, & Officio Pœnitentiarum; cum ex ejus lectione facile intelligere possint, non obstante amplitudine verborum Concessionis, ac etiam quidquid ipsis communicatum fuerit a Cardinali Majori Pœnitentiarum, aut in posterum communicetur, interdictum ipsis esse totum id, quod eidem Cardinali in Constitutione interdicitur. Exempli gratia, si Cardinalis Major Pœnitentiarius non potest absolvere *in occultis etiam in foro conscientie*, eos, qui, vivente Romano Pontifice, circa Successoris electionem tractatus inierint, suffragia comparaverint, aut pactiones fecerint, nec eos, qui Astrologia Judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, inquirerint; multo minus eos Pœnitentiarius minor absolvere poterit. Constitutio incipit: *Pastor bonus*, & ordine 95. est in Bullario Nostro tom. I. quæ si rite legatur, & ponderetur, magna Pœnitentiariis minoribus in hujusmodi rebus lucem allatura est; quibus præterea notum facimus, ut si quando aliquis ex prædictis casibus eidem occurrat, ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarum recurrere non prætermittant, cui a Nobis opportuna, & necessaria remedia demonstrabuntur, ac præscribentur.

### §. III.

#### *De Facultatibus Minorum Pœnitentiarum circa vota, contentis in Constitutione Convocatis.*

§. 40. Dum Jubilæi Annus a Prædecessore nostro Alexandro Papa VI. celebratus fuit, quemadmodum apud Bzovium ad *Annum Christi 1500. n. 5.* videre est, inter alias petitiones, quas Pœnitentiarii Minores Pontifici obtulerunt, ea, quæ sequitur, ordine undecima est: *Commutatio omnium Votorum, dempto Continentiæ, aut Religionis solemnæ.* Licet autem tunc temporis id illis concessum fuerit, certum tamen est, subsequentiis temporibus nihil aliud facultatis ipsis tributum esse, quam ut omnia Vota simplicia, etiam Apostolicæ Sedi reservata, in alia pia Opera commutare dispensando possent.

§. 41. Quod idem est, ac si dicatur, ipsos potestatem dispensandi in Votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ in solemnæ Religiosæ Professione, sive in Ordinis Sacris susceptione emissis, minime habere: Hæc autem sola solemnæ Vota sunt: quum alia omnia Vota, licet publice facta, simplicia Vota sint, secundum Bonifacii VIII. Decretalem, *cap. unico de Voto, & Voti redemptione. in sexto;* & communem Auctorum sententiam apud Pontas, *in verbo Votum, in princip.* posse vero e contrario omnia alia simplicia Vota, licet Sanctæ Sedi reservata, in alia pia opera, dispensando, commutare.

§. 42. Sanctus Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad tertium duorum duntaxat simplicium Votorum Summo Pontifici reservatorum mentionem facit, *continentiæ, & Peregrinationis Terræ Sanctæ;* idcirco autem duorum prædictorum tantum Sanctam Doctorem mentionem fecisse putandum est, quia suo forsitan tempore illa duo solum reservata Sanctæ Sedi fuerant. Crevit postea simplicium Voto-

PONT. rum numerus, quæ Pontifici sunt reservata; ea autem, sicut unicuique probe ANNO  
notum est, Vota sunt Religionem ingrediendi, perpetuam continentiam ser-  
vandi, peregrinationis ad Sanctam Urbem Jerusalem, ad Sanctuarium Sancti Jacobi de Compostella, item ad Urbem Romam visitandi gratia Basilicas Sancto-  
rum Apostolorum Petri, & Pauli; sive id ex consuetudine ortum sit, sive ex  
subsequenti Canonica dispositione Sixti P. IV. registrata in cap. *Et si Domini* 1749

cap. 5. de pœnitent. & remiss. inter *Extravagant. communes*. Alii sunt, qui inter Vota Summo Pontifici reservata, Votum adjungunt, visitationis Sanctæ Domus Lauretanæ; verum hujusce rei nulla probatio occurrit. Alii denique in hac Classe omnia perpetua Vota reponunt; id quod errori locum præbere potest, nisi aliquid addatur; propositio enim intelligi debet de solo Voto perpetuo, quo quis Episcopatum acceptans, obligationem suscipit animarum sibi commissarum curam retinendi, juxta Responsum Innocentii III. in cap. *nisi cum pridem de renuntiatione*, ac probatorum Theologorum doctrinam, quem admodum apud Sylvium in 2. 2. D. Thom. qu. 8. art. 12. concl. 2. videre est.

§. 43. Super eo, quod hætenus dictum est, nulla, quod sciamus extiterit Controversia. Controversia autem, quæ alias excitata est, ea fuit, num videlicet Pœnitentiarius, qui facultatem absolvendi a Votis simplicibus habet, etiam de quinque Sedi Apostolicæ reservatis loquendo, possit hac auctoritate uti, quando Vota juramento confirmata sunt. Quod quidem alii cum posse crediderunt docente S. Thoma 2. 2. qu. 89. art. 8. arctius esse vinculum Voti, quam juramenti, ac proinde, cum Pœnitentiarius auctoritatem absolvendi a Voto, dici debere, eundem habere etiam auctoritatem absolvendi a Voto per juramentum confirmato. Alii autem contra senserunt; quia, cum in Voto per juramentum confirmato, duo diversa vincula insint, alterum, quod oritur ex Voto, alterum quod ex juramento; qui habet auctoritatem solvendi unum, non habet item auctoritatem alterius dissolvendi, nisi individualiter eidem concedatur; cujus rei argumentum desumitur, ex eo, quod per vim coactus Votum fecit, non tenetur illud adimplere; verumtamen ad idem adimplendum obligatur, si ipsum juramento confirmaverit; similique ratione, si quis promisit solvere usuras, non tenetur eas solvere, cum tamen ad earum solutionem adstringatur, si promissionem juramento confirmaverit, juxta Decretalem: *Debitores de Jure jurando*.

§. 44. Eorum Auctorum nomina, qui tam pro una, quam pro altera stant opinione, videri possunt in Leandro part. 1. Tract. 5. de Sacramento Pœnitentiæ disput. 14. qu. 101. Azorius porro *Instit. moral. tom. 1. lib. II. cap. 10. qu. 2.* utriusque opinionis fundamenta refert, atque ad extremum illi adhæret, quæ habenti auctoritatem absolvendi a Votis, potestatem denegat id faciendi, tum cum Vota juramento confirmata sunt. P. Sirius de *Facult. Min. Pœnit. part. 1. cap. 6. dub. 4.* Facultatem ad commutanda Vota concessam, Vota etiam Jurejurando confirmata comprehendere affirmant. Nos autem ad omnem controversiam removendam, inter Facultates Pœnitentiariis Minoribus per Anno Sancto concessa §. 8. hujusce Constitutionis nostræ, illam etiam auctoritatem dedimus, non solum ut possent Vota simplicia, etiam Sanctæ Sedi reservata, in alia pia Opera, dispensando, commutare; verum & illud adjecimus, ut id ipsum circa illa Vota facere possent, quæ Jurejurando confirmata sunt: *Omnia, & singula simplicia Vota etiam Sedi Apostolicæ reservata, etiam jurata, commutare, dispensando possint in alia pia opera* quod quidem a Nobis etiam in citata Constitutione, *Pastor bonus*, super Facultatibus Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, factum est, in qua agendo de auctoritate, quæ ipsi concedebatur, Vota simplicia Sanctæ Sedi reservata in alia pia Opera, dispensando, commutandi, verba, quæ sequuntur, adjecimus, *tametsi privato juramento firmata*. Pro exemplo nobis fuit circa præmissa, id quod a Prædecessore nostro Gregorio Papa XIII. erga PP. Societatis Jesu præstitum fuit. Horum Confessariis Ordinariis ab

PONT. ab eorundem Superioribus deputatis, & ab Ordinariis approbatis Paulo III. ANNO  
 Facultatem commutandi Vota concesserat, iis exceptis, quæ Sanctæ Sedi re-  
 A. IX. servata erant; cum vero dubitatum esset, num prædicta Facultas Vota com- 1749  
 prehenderet juramento confirmata, Gregorius XIII., salva Pauli III. exceptione,  
 auctoritatem etiam ad Vota jurata extendit, sicut in Compendio Privile-  
 giorum eorundem *in verb. Commutatio* §. 1. videre est.

§. 45. Opere prætium est hic animadvertere, quod Facultates, de quibus  
 hætenus pertractatum est, non sunt Facultates, commutandi simpliciter, &  
 absolute, verum *commutandi dispensando*; cum commutatio, & dispensatio,  
 res inter se diversæ sint. Nam Dispensatio obligationem Voti tollit, sine ulla  
 alia subrogatione; at simplici commutatione non extinguitur obligatio Voti,  
 verum materia Voti transfertur in aliam materiam, quæ ipsi subrogatur. Pa-  
 ter Sirus in suo Opere superius allegato *part. 1. cap. 6. dub. 2.* observat, totum  
 id, quod Pœnitentiario Facultatis attribuitur, in commutatione mixta cum  
 aliqua dispensatione consistere; quodque, sicut sola ac simplex commutatio  
 subrogationem exigeret in materiam majorem, aut saltem æqualem, sic com-  
 mutatio mixta cum dispensatione, capax est alicujus moderatæ inæqualitatis  
 inter materia Voti, & materiam subrogatam: *Ut principale*, scribit præfatus  
 Auctor, *ponitur Commutare, & ut accessorium jungitur Dispensando, ita ut esse*  
*debeat essentialiter commutatio, quæ de sui natura est in majus, vel in æquale,*  
*& per accessoriam dispensationem a rigore naturæ suæ aliquantis per recedat: ergo*  
*moderata, & non exorbitans, debet esse inæqualitas materiæ subrogatæ in*  
*commutatione Voti, cum accessoriam dispensatio sequi debeat naturam sui principa-*  
*lis, scilicet commutationis, ejus naturam non multum immutando; ne quod acces-*  
*orie ponitur, locum habeat principalis, nempe plus dispensando, quam commu-*  
*tando, quod esset contra intentionem Pontificis, qui facultatem dat Pœnitentiario,*  
*ut possit dispensando commutare non commutando dispensare.*

§. 46. Permultum ad rem, de qua agitur, duo illa faciunt exempla, quo-  
 rum alterum Pontificis est Alexandri III. in sua Decretali, *Veniens, de Voto*,  
 in qua valde gravibus de causis Clericum dispensat, qui Voto se obstrinxerat  
 Hierosolymam proficiscendi ad Christi Domini Sepulcrum inviscendum; Votum  
 tamen in Eleemosynas commutans, eique injungens, ut per totum vitæ suæ  
 tempus propriis sumptibus *tam in victu, quam in vestitu* pauperem aleret;  
 dummodo tamen ejus facultates ad onus hoc ferendum non impares essent. Al-  
 terum vero est Innocentii III. in Decretali, *Magna cod. Tit.* in qua Episco-  
 pum Træcentem ab adimplendo Voto dispensat, quod, licet improvide, fe-  
 cerat item Hierosolymam se conferendi, eidem injungens, *ut omnes expensas,*  
*& quas fuerat in eundo, morando, & redeundo factururus, alicui Religioso com-*  
*mittat in necessarios usus Terræ illius, idest Terræ Sanctæ, sine diminutione qua-*  
*libet transferendas; tum autem labori, quem in itinere sustineri debuit, alio-*  
*rum laborum argumentum subrogans, quos ut pro servitio gregis sui suscipe-*  
*ret mandavit: Labores etiam laboribus recompenset, sollicitius instandi vigiliis,*  
*devotius vacans orationibus, & jejniis fortius se exercens, ac super grege suo*  
*vigilans sollicitudine Pastoralis.*

§. 47. Verba illa, quæ non simplicem tantum commutationem, verum  
*commutationem cum dispensatione conjunctam* indicant, non solum ad bonam re-  
 gulam super dispensatione, & commutatione Votorum in alia pia Opera, uti-  
 lia sunt, sed etiam difficultati, quæ oriri poterat, quæque alias inter Aucto-  
 res exorta est, occasione præcludunt; quæ quidem difficultas ex eo originem  
 habuit, quod vel solum verbum *commutatio*, vel solum verbo *dispensatio* adhi-  
 bitum sit; cum alii quidem contenderent, quod potestas commutandi Vota  
 non ferat secum potestatem super ipsis dispensandi, cum commutatio, ac dis-  
 pensatio sint actus, quemadmodum dictum est, omnino distincti; alii vero do-  
 cerent, quod nec ex facultate quidem concessa super Votis dispensandis, alia  
 com-

PONT. commutandi potestas deduci possit, cum de potestate delegata agatur, quæ semper inter præcisos limites in litteris Delegationis præscriptos restringi debet. ANNO

A. IX. Ita cum aliis multis Pignatellus in suo *Tractatu de Anno Sancto cap. 19. dub. 2.* 1749  
 & 3. ratiocinatur. Neque tandem defuere, qui de Anno Sancto agentes, docuerunt, concessam intelligi Facultatem commutandi ac dispensandi in Votis, etiamsi neutra expressa foret. Verum hujusmodi opiniones communiter reprobatae, ac rejectae sunt, quemadmodum apud P. Viva de *Jubilæo Anni Sancti part. 3. cap. 1. §. Potrebbe, cum multis aliis seqq.*, videre est. Quibus etiam præclara opportune via est per nominata sæpius a Nobis verba *commutare dispensando* in supradicto §. 8., ac sequentibus inserta.

#### §. IV.

#### *De Facultatibus super Dispensationibus, quæ continentur in Constitutione Convocatis.*

§. 48. Qui aliqua Canonici Juris, ac Moralis Theologiæ vel mediocri cognitione imbutus est, duas hæc controversias procul dubio non ignoraverit; quarum una est, num sub nomine Censuræ comprehendatur Irregularitas, quæ oritur ex delicto; altera vero, utrum qui censuram incurrit, idest aut excommunicationem, aut suspensionem, cum sit in Minoribus Ordinibus constitutus, susceptos Ordines solemniter exercens, incurrit irregularitatem. Oritur prima quæstio ex intelligentia Decretalis, *Quærenti de verbor. signific.* ubi interrogatus Summus Pontifex, quid sub censuræ nomine comprehendatur, respondit, quod comprehenditur interdictum, suspensio, & excommunicatio; quo non obstante, Gonzalez in *Comment. ad dist. textum* contendit, quod sub nomine censuræ etiam irregularitas ex delicto comprehendatur. Contrariam tamen sententiam tuentur Suarez, Molina, Trulleacius, Filliucius, Reginaldus, aliique complures. Altera vero controversia oritur ex Decretalibus, quæ leguntur sub tit. *De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, in quibus etiamsi legitur, quod qui ligatus excommunicatione minori celebret, graviter peccat, sed non incurrit irregularitatem, quæ tamen incurritur ab eo, qui excommunicatione majori ligatus, Sacerdos cum sit, celebrat, vel in ordine Subdiaconatus, vel Diaconatus constitutus, Subdiaconi, aut Diaconi functiones exercet, dummodo sciat, se incurrisse in censuram, aut non ignoret ignorantia crassa, supina, aut erronea; nulla tamen ex iis est, quæ de Clerico excommunicatione majori excommunicato, non in Sacris Ordinibus, sed in minoribus constituto, loquatur, & quæ eum irregularem declaret, si susceptos Ordines solemniter exercet. Navarrus, Avila, cum aliis multis ejus sententiæ sunt, quod in prædicto casu Irregularitas non incurritur. Contra vero Pirhing. ad *lib. 5. Decretal. tit. 27. §. 6.*, Anacletus ad *eundem tit. Decret. n. 21. & 22.*, & Fagnanus in *cap. Si quis Presbyter a n. 2. usque ad fin. de Clerico excommunicato ministrante*, eandem Irregularitatem incurrere affirmant; atque hic quidem postremus, talem esse Pœnitentiariæ, & Congregationis Concilii sententiam adjungit.

§. 49. Ex hisce controversiis dubia duo oriri poterant: primum, utrum cum Pœnitentiariis *num. 1v.* Facultas absolvendi a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis censuris attributa sit, concessa etiam ipsis intelligeretur auctoritas absolvendi in occultis, & quod ad forum conscientiae, ab irregularitatibus ex delicto contractis, excepta tamen illa semper, quæ provenit ex homicidio voluntario; quoniam juxta quorundam opinionem irregularitates ex delicto sub Censuræ nomine comprehenduntur. Alterum autem, num, cum data esset Minoribus Pœnitentiariis Facultas absolvendi Sacerdotes, & alios in Sacris Ordinibus constitutos, ab irregularitate contracta



PONT. ob violationem censurarum, pro illis etiam data intelligeretur, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti. ANNO

A. IX. §. 30. Gonzalez in Commentariis ad citatam Decretalem *Querenti de verb.* 1749

signific. licet opinionis eorum affecta sit, qui sub Censuræ nomine irregularitatem ex delicto comprehendi volunt; tamen potestatur, quod si per Jubilæum Facultas datur absolventi ab omnibus censuris, non illa intelligitur concessa absolventi ab irregularitate ex delicto, quum hæc speciali mentione digna sit, & difficilius remitti consueverit. Ad omnes hæc disputationes evitandas, duæ classes constitutæ sunt, altera Censurarum, altera Irregularitatum. In priori verbum *absolutionis* adhibitum est, in posteriori vox *dispensatio*, cum hæc propria loquendi forma sit ex Saero Concilio Tridentino desumpta *sess. 24. cap. de Reform.* Ex quo quidem satis manifestum sit, quod, quidquid sit de ea controversia, num sub nomine censuræ irregularitas ex delicto comprehendatur, cum Nos censuras ab irregularitate separaverimus, eumque, respectu irregularitatis, Pœnitentiariis minoribus non nisi Facultatem dederimus dispensandi ab irregularitate *ob violationem censurarum*, idque per vocem *dumtaxat*, hinc alia omnis irregularitas, sive ex delicto, sive ex defectu, excluditur. Et quamquam ibi non nisi Sacerdotes, & in Sacris Ordinibus constituti nominentur; unumquodque tamen per se satis intelligere potest, si, eo concessio, quod est majus, concessum intelligitur, quod minus est, nequaquam vetitum esse Pœnitentiariis, quibus data est facultas dispensandi cum Sacerdotibus aut in Sacris Ordinibus constitutis, super occulta irregularitate *ob violationem censurarum* contracta, quo minus eadem facultate utantur cum Clericis, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti.

§. 31. Sequuntur aliæ Facultates dispensandi in foro conscientiæ, & in casibus occultis, quæ minoribus Pœnitentiariis occasione Jubilæi conceduntur. Quod vero ad hæc pertinet, nihil aliud hic inculcandum est, nisi ut ab eisdem atente consideretur, quam ipsi, & quibus terminis conclusam concedatur, ne de ministerio suo in præjudicium animarum suorum Pœnitentium male gesto ante Dei Tribunal rei fiant.

§. 32. Facile evenire potest, ut Advenæ, qui consequendi causa Indulgentiam Anni Sancti sese Romam contulerunt, sive ob magnam paupertatem, sive alia urgenti de causa, tamdiu morari non possint, ut quindecim Visitationum Basilicarum numerum compleant; quemadmodum etiam fieri potest, ut Romani, aut alii Urbis incolæ, sive ob morbum, sive ob alium legitimum impedimentum, eisdem Basilicis per vices tripinta visitare non possint. Hæc de causa *num. xx.* Constitutionis Nostræ novissimæ indicatæ, Pœnitentiariis minoribus auctoritas est attributa, quo ad Advenas, quindecim visitationes Basilicarum ad tres saltem reducendi, aut visitationes ipsas in alia pia opera commutandi; quo autem ad Romanos, cæterosque urbis incolæ, sequenti *n. XXI.* concessa ipsis auctoritas est triginta visitationes in alia pia opera commutandi, quæ ab impeditis adimpleri possint, ipsorum Pœnitentiariorum conscientiam operando, ne prædictis Facultatibus abutantur.

§. 33. Hujusmodi autem auctoritas, tum quo ad Romanos, tum quo ad Advenas, ad visitationes Basilicarum restringitur, ac proinde de alia opera injuncta nec potest, nec debet extendi; exempli gratia ad Confessionem, ad Communionem, aut etiam ad preces, quæ a Basilicarum visitatione separari possunt. Quapropter controversiæ illi, ac disputationi, quæ inter Doctores habebatur, non est amplius locus, num videlicet in Jubilæis, injuncta Confessionis, & Communionis opera etiam quo ad personas sacræ Communionis capaces, in alia pia opera commutari possint. De hac controversia sacræ Communionis capaces, in *Iugo Disput. 27. de Pœnit. sect. 7. num. 118. tom. 1. Leander de Sacram. Pœnitent. tract. 5. quæst. 95. La Croix lib. 7. part. 2. de Indulg. num. 1442. Constantinus in*

PONT. suo de Anno Jubilæi Tractatu part. 3. cap. 4. pag. 204. & seq. animadvertit, ANNO  
 A. IX. solum ea ad commutationem aliorum operum injunctorum, sicut modo innui- 1749  
 mus, extendi non potest; verum ulterius quod commutatio ipsa nequaquam  
 fieri debet in alia opera, licet pia, ad quæ pœnitens ex alio titulo esset ob-  
 ligatus. Quæstio sane inter scriptores est, utrum quis Indulgentiam consequi  
 possit, opera aliqua faciendo, ad quæ ex alio titulo obligatur. Exempli gra-  
 tia, utrum, cum inter opera injuncta eleemosyna præscripta sit, sufficiat ad  
 consequendam Indulgentiam, pro eleemosyna tantum pauperi dare, quantum  
 quis eadem jam dare teneretur ratione justitiæ; sive posito quod quis, vigore  
 alicujus Testamenti, aliquid in subsidium pauperum erogare teneretur, an is,  
 hujusmodi faciendo eleemosynam, possit eam habere pro implemento illius,  
 quæ inter opera sibi ad consequendam Indulgentiam injuncta comprehensa fo-  
 ret. In hac quæstione, sicut in cæteris omnibus, alii affirmant, alii negant,  
 quemadmodum apud Benzonium de Anno Jubilæi lib. 5. dub. 30. videre est.  
 Sed illa verior opinio esse videtur, quod acquiri nequeat Indulgentia per opus,  
 ad quod præstandum ex alio titulo quis obligatur, nisi qui Indulgentiam con-  
 cedit, nominatim dicat, quod per prædictum opus acquiri possit: id enim sæ-  
 pe contingit, cum inter injuncta opera trium dierum jejunium præscribitur,  
 ac dies nominatim indicando, exempli gratia dicitur, quod esse debeant tres  
 dies quatuor temporum Septembris. Ita cum aliis multis Passerinus de Indulg.  
 qu. 41. distinguit, cum quo P. Theodorus de Indulg. tom. 1. cap. 10. art. 6. con-  
 cordat. Verum, etiamsi id in ipsis, quas expressimus, rerum circumstantiis  
 locum habeat, non tamen ad præsentem rem nostram applicari potest, in qua  
 de commutatione visitationum Basilicarum in alia opera sermo est; cum hæc  
 commutatio non possit fieri in alia pia opera, ad quæ pœnitens ex alio titu-  
 lo obligaretur. Agitur enim de subrogatione; & cum pro constanti regula ha-  
 beatur, id quod subrogatur, ejusdem qualitatis ac naturæ esse debere, cujus  
 est opus ipsum, cui fit subrogatio; sequitur inde, quod, quoniam visitatio  
 Basilicarum non erat opus, ad quod præcepto ullo quis obligaretur, sed nor-  
 vum opus ad consequendam Indulgentiam impositum; ejusdem speciei, ac na-  
 turæ esse debet etiam opus, quod in locum ipsis subrogatur.

§. 54. Ita sapienter differit Constantinus loco citato, qui quidem illud etiam  
 adjungit, nequaquam licitum esse Pœnitentiariis, salva eorum conscientia,  
 numerum visitationum Basilicarum imminuere, aut in alia pia opera commu-  
 tare, nisi impedimentum vere adsit, aut moralis impotentia visitationes præ-  
 dictas faciendi.

§. 55. Universam hanc materiam S. Caroli Borromæi monito absolvamus,  
 quod in suis Instructionibus ad Confessarios §. 16. habetur: ipsa Sancti Cardi-  
 nalis verba apponimus, quæ quidem ad propositum nostrum, tam quoad Fa-  
 cultates super dispensationibus, quam quoad eas, quæ commutationes Voto-  
 rum respiciunt, sufficientia fuissent, nisi diversitas, ac multiplicitas sententia-  
 rum inter Scriptores, rem Nos fusius persequi coegisset: Confessarius, qui ali-  
 quod Privilegium, Facultatem, & Auctoritatem habet illorum Vota commutandi,  
 qui sibi consentitur, nequaquam illa commutet, nisi in majora alia pia opera, &  
 quæ Deo gratiora sint, aut saltem equalia, diligentem rationem habens expensa-  
 rum, laborum, aliarumque incommoditatum, quas sustinuisent, si Vota sua adim-  
 plessent. Præterea si Facultates habent per Jubilæa, aut Privilegia Litteris Apo-  
 stolicis concessa, absolvendi a peccatis licet enormibus, & pœnis, ac censuris Ec-  
 clesiasticis, illud tamen ad certant, non habere se potestatem dispensandi cum illis,  
 qui in irregularitatem incurrerint, nisi in prædictis Litteris Apostolicis expressa hu-  
 jusce rei mentio fiat.

*De Monitis contentis in Constitutione Convocatis, quæ necessaria sunt Pœnitentiariis minoribus, ut Facultatibus sibi concessis rite utantur.*

§. 56. Inter Monita, quæ n. xxxiii. incipiunt, primum pertinet ad Sacerdotem, qui pro audiendis Confessionibus approbatus, confessionem excipit personæ secum complicitis in peccato turpi, & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, eamque absolvit. Alio tempore inter Auctores controversia erat, utrum hujusmodi absolutio valida foret, & communis opinio stabat pro ejusdem validitate, cum nulla esset lex, quæ illius invaliditatem induceret. Quæstio item erat, num absolutio licita esset; atque opinio communis ad licitum propendebat, quoties non minus Pœnitens, quam Confessarius commissum peccatum abhorrerent, neque novi consensus periculum subesset.

§. 57. Episcopi animarum sibi commissarum boni regiminis studiosi, considerantes rem hanc, quidquid de ea abstracte, & in cathedra dici possit, in praxi minime bonam, sed potius perniciosam esse; cœperunt in Synodis subtrahere Confessariis, licet a se approbatis jurisdictionem absolvendi personas sibi complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum commissio. Postea vero, cum Deo placuisset, Nos sine nostro ullo merito ad Summum Pontificatum evehere; Nobiscum instanter agere nondediterunt, ut generali Constitutione huic inconvenienti opportuna remedia adhiberemus.

§. 58. Facti hujusce historia a Nobis in nostro Tractatu de Synodo lib. 7. c. 14. refertur. Tunc publicata fuit a Nobis Apostolica Constitutio, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*, 20. Bull. tom. 1. in qua quæcumque Confessarium omni auctoritate, & jurisdictione absolvendi personam complicitem in peccato turpi, & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum privavimus; adeo ut absolutio ab eodem data nulla, atque invalida remaneat, tamquam ab eo data, qui Nobis jurisdictione ad absolvendum necessaria in eo casu privatus est.

§. 59. Casum articuli mortis, & in quo nullus alius esset Sacerdos; qui personæ moribundæ confessionem audire posset, excepimus: exinde vero aliam Constitutionem, cujus initium, *Apostolici muneris* 120. Bull. tom. 1. publicavimus, in qua explicantes casum articuli mortis, & in quo nullus alius, prætor Sacerdotem complicitem, adesset, qui pœnitentem personam moribundam absolvere posset, adjunximus, quod in dictis circumstantiis posset complex absolvi, etiam si alius esset Sacerdos, cui tamen si moribundus confiteretur, posset exinde infamia, aut scandalum in Sacerdotis complicitis, aut personæ pœnitentis præjudicium redundare; dummodo infamia esset vera, & scandalum etiam esset, verum, & non Sacerdotis complicitis prætextus esset. Huic porro onus imposuimus omnem diligentiam adhibendi ad infamiam, & scandalum removendum. Præterea non minus Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit Pœnitentis, eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius Sacerdos, non desit, sive qui, cum alius sit Sacerdos, sibi fingit, quod si pœnitens illis confiteatur, infamia, aut scandalum inde orturum sit, & ideo ejus confessionem excipit, atque eum absolvit, Excommunicationis majoris pœna a Nobis incitatis Constitutionibus imposita fuit, cujus absolutionem Nobis solis, ac Successoribus Nostris reservavimus.

§. 60. Cessant itaque per has leges a Nobis editas quæstiones illæ veteres, num absolutio a Sacerdote complice Pœnitenti socio in peccato contra sextum Decalogi præceptum data, valida, an invalida, licita, an illicita sit. Et quia quo tempore citatam nostram Constitutionem: *Sacramentum Pœnitentiæ* condidimus, consideravimus, quod cum occasione Jubilæorum ampla Confessariis Facultas detur excipiendi confessiones, & a quolibet enormi peccato absol-

PONT. vendi, institui quæstio potuisset, num forsan pro tempore Jubilæi restituta esset. A. NO  
 Confessario complici Facultas socium Pœnitentem absolvendi; in dicta Consi-  
 A. IX. tutione declaravimus, quod cum ipse a Nobis jurisdictione complicem absol- 1749.  
 vendi privatus sit, adeoque ob id tamquam Confessarius legitimus, & appro-  
 batus haberi non debeat, hic est quod in quocumque Jubilæo censendus est in  
 eodem gradu remanere inhabilitatis nimirum, & exutus auctoritate complicem  
 in peccato turpi, & inhoneste absolvendi. Atque ad hæc respicit primum ex  
 monitis, de quibus hic agimus.

§. 61. Una cum Monitis Instructio pro Pœnitentiariis profequitur: In hac  
 vero, generali regula præmissa, qua præscribitur, non posse Pœnitentiariorum uti  
 Facultatibus, quæ ipsis, per Annum Sanctum conceduntur, nisi cum his Pœni-  
 tentibus, qui seriem Jubilæi acquirendi consilium, & propositum habent, &  
 qui ad injuncta opera pro ejusdem consecutione adimplenda parati sunt; ad  
 alia duo puncto stabilienda gradus sit, quorum alterum est, quod non possunt  
 ullam aut commutationem, aut dispensationem concedere extra Sacramentalis  
 Confessionis actum, aut extra eas Basilicas, & Ecclesias, in quibus ad audien-  
 das confessiones destinati sunt; alterum, ne incerta laudabilis propositi, quod  
 Pœnitens habeat adimplendi opera injuncta, ac Jubilæum consequendi saluta-  
 rem pœnitentiam eidem in confessione oponere prætermittant.

§. 62. Quod ad generalem regulam attinet, satis clara ratione innitur,  
 quod in ea constitutum est: etenim si omnes, quæ tribuuntur Facultates, ad  
 Jubilæi consecutionem directæ, ac veluti ipsius præparatio sunt; clare inde  
 consequitur, illarum usus minime locum esse, nisi cum eo, qui & ad conse-  
 quendum Jubilæum præparatus sit, & certum habeat propositum adimplendi  
 opera ad ejusdem acquisitionem injuncta: *Gratia non conceditur, nisi in ordine  
 ad hunc finem, & per modum præparationis ad effectum Jubilæi, ergo qui non  
 habet animum implendi, & obtinendi Jubilæum, non potest gaudere facultate.*  
 Verba sunt Suarez de Relig. tom. 2. l. 6. cap. 16. n. 6. de commutatione Voto-  
 rum agentis; qui quidem paulo post quæstionem illam examinans, an scilicet  
 in pristinum redeat vinculum Voti Jubilæi tempore commutati, tum cum Pœ-  
 nitens, licet quando confessus fuit, ad accipiendum Jubilæum dispositus ac pa-  
 ratus esset, omittit postea opera ad ejusdem consecutionem injuncta adimplere,  
 de qua re postea agitur; docet ibi n. 11. quod, si in commutationem cla-  
 rum non inest pactum injuncta ad Jubilæi consecutionem opera adimplendi im-  
 plicitum tamen pactum intercedit: *Dico, licet non probetur pactum explicitum,  
 sufficienter probari implicitum quasi intrinsece, & ex natura rei, inclusum in tali  
 actione seu ministerio, ut recte, & fideliter fiat; nec videtur dubium, quin hæc  
 sit præsumpta intentio Pontificis talem Facultatem concevantis.*

§. 63. Verum si clarum est id, quod in præmissa regula continetur, non  
 ita tamen dici poterat, ante Declarationem nostram, de priori illa lege, qua  
 Pœnitentiarii adstringuntur, ut propriis Facultatibus in actu Sacramentalis  
 Confessionis, non autem extra ipsum, utantur. In Facultatibus, quæ tem-  
 pore Jubilæi Pœnitentiariis attributæ sunt, multa continentur, videlicet ab-  
 solutio a peccatis reservatis, & a censuris, auctoritas Vota dispensando com-  
 mutandi, potestas denique dispensandi in aliis, etiam materiis extra Vota, si-  
 cuti nuper dictum est. Sane quod attinet ad absolutionem a casibus reserva-  
 tis, manifestum quidem est, ipsam extra Sacramentalem Confessionem dari non  
 posse. De absolutione autem a censuris, dubitatum est inter Auctores, nam  
 ea extra Sacramentalem Confessionem dari potest. Sanchez id eo casu negri  
 posse existimavit, cum in concessione Facultatis apposta non est clausula eor-  
 um Confessionibus diligenter auditis, aut alia, quæ huic æquivalens sit, quem  
 admodum in eisdem Operibus videre est lib. 8. de Matrim. disp. 34. n. 30. Alii  
 vero rationem opinionem sequentes, putarunt, non posse extra Sacramenta-  
 lem Confessionem dari absolutionem a Censuris, cum Facultas absolvendi a  
 Gen-

PONT. Censuris detur, tamquam prævia dispositio ad absolutionem a peccatis; & hæc ANNO  
 A. IX. Viva de Jub. qu. 10. n. 4. Quod vero ad commutationem Votorum spectat, Con- 1749  
 stantius in suo de Anno Jubilæi Tractatu par. 3. cap. 3. pag. 191. contendit,  
 eandem per Anni Sancti Jubilæum dari posse ab eo, qui Facultatem habet,  
 etiam extra Sacramentalem Confessionem, cum in Notificationibus per præ-  
 teritos Annos Sanctos publicatis non legerit clausulam eorum Confessionibus di-  
 ligenter auditis; cumque nequaquam eidem videatur, commutationem Voto-  
 rum ullam ad Pœnitentiale Forum relationem habere, neque ex natura sua,  
 neque ex voluntate concedentis commutandi Facultatem. Alii denique illius  
 clausulæ auditis Confessionibus nullam omnino rationem habent; & quamvis ea  
 apposita fuerit post Facultatem absolventi a casibus reservatis, & a censuris,  
 atque etiam post auctoritatem Vota commutandi, & quisdam dispensationes  
 concedendi, ideoque omnes res præcedenter expressæ comprehendere debere  
 videatur; docent tamen, eadem ad solam absolutionem a casibus reservatis,  
 sive ad absolutionem a censuris referri debere, pro quibus specialis ratio mi-  
 litat ex earum natura desumpta; numquam vero ad commutationes Votorum,  
 aliasque dispensationes, pro quibus locum non habet ratio, quæ propria est  
 absolutionis a casibus reservatis, & a censuris. ita felse Boncina Oper. Moral.  
 tom. 2. disp. 4. circa secundum Decalogi præceptum q. 2. punct. 4. §. 1. n. 16. Leander  
 par. 1. tract. 5. de Sacram. Pœnit. disp. 14. de Indulg. qu. 97. Diana in edit. coord.  
 tom. 7. tract. 1. resol. 300. n. 7. Giribaldus Tract. 7. de Sacram. Pœnit. cap. 21. de  
 Jubilæo dub. 6. n. 42. & seqq. ratiocinantur. Nos vero ad omnem difficultatem  
 tollendam; in Instructionem injunximus, non ponere a Pœnitentiaris ullis ab-  
 solutiones; commutationes; ac dispensationes dari extra actum Sacramentalis  
 Confessionis, idque Nobis, & congruum esse, & materiæ gravati, ac ministerii  
 qualitati conveniens vitum est, atque præterea omnem controversiæ ansam  
 eripit, & conforme est praxi; Pœnitentiariæ Nostræ Apostolicæ, quemadmo-  
 dum in Thesaurio de pœnis Ecclæs. par. 1. cap. 22. videre est.

§. 64. Alterum subsequitur punctum, quod respicit salutarem pœnitentiam  
 a Confessario imponendam cuicumque personæ, quæ illi coniteretur ad hoc ut  
 se ad Jubilæi acquisitionem disponat. Non hic de celebri illa quæstione agitur,  
 quæ inter Theologos est, num ad consequendum Indulgentiæ fructum, suffi-  
 ciens sit, rite primum confiteri, mox impositam a Confessario pœnitentiam  
 adimplere, & injuncta Opera exacte ac fideliter exequi; an ulterius opus sit,  
 animum habere promptum ac paratum ad dandam Divinæ Justitiæ pro eo quan-  
 tum facultas erit, per alia pœnalia opera, satisfactionem. Præterea quæstio ul-  
 terius etiam progreditur, dum ipsam Pœnitentiam respicit, quæ a Confessario  
 imponitur illi, cujus excipit Confessionem ad Jubilæum consequendum præpa-  
 ratoriam; nec enim desuerunt, qui contenderint, a Confessario, occasione Ju-  
 bilæi, non solum leviores pœnitentias imponi posse Pœnitenti, quem animo  
 comparatum agnoscat ad consequendam Plenariam Indulgentiam, verum etiam  
 pœnitentiæ ejusdem impositionem omitti. Talis sententia est Cardinalis de Lugo  
 de Pœnit. disp. 27. sect. 2. n. 30. Dianæ in edit. coord. tom. 1. tract. 6. result. 10. n. 2.  
 & aliorum complurium. Alii inter pœnitentias satisfactorias, ac pœnitentias  
 medicinales distinctionem fecerunt, docentes, quod pœnitens, qui Jubilæum  
 consecutus est, non teneatur ad exequendas pœnitentias satisfactorias, oblige-  
 tur tamen ad solas medicinales, quemadmodum apud Viva de Jubilæo qu. 5. a.  
 27. apud Constantinum Tract. de Anno Sancto part. 1. tract. 5. disp. 9. qu. 82. videre  
 est. Alii porro Pœnitentem a medicinibus etiam pœnitentiis a Confessario  
 injunctis eximunt, dummodo ad evitanda peccata absolute necessariæ non sint,  
 in quo quidem verum statu obligatio ipsas adimplendi non ex auct. ritate Con-  
 fessarii, sed ex jure naturali provenit, sicut apud Cardinalem de Lugo de pœnit.  
 disput. 27. sect. 2. n. 21. & pluribus seq. Leandrum tom. 1. tract. 1. de Sacram. Pœnit.  
 quæst.

PONT. *quæst.* 127. & Dianam in edit. coord. tom. 5. tract. 1. resol. 201. n. 4. Contra prædictas assertiones non defuere Theologi, qui fuisse scriberent, inter quos Juvenin Traët. Hist. Dogmat. de Sacram. diss. 13. q. 5. cap. 4. Pontas in dictionar. Moral. in verb. Jub. cas. 10. ac novissime P. Amort in Hist. Indulg. in qu. pract. pag. 467. & seq. qui ad hanc materiam quidquid facit, summo cum studio ac diligentia congestit. Cum autem illius diligentiam P. Gregorii de Valentia testimonium effugerit, qui certe inter eos, qui Rigoris dicuntur, minime recensendus est, Nos illud hic apponemus. Præfatus Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 20. de Indulg. punct. 3. pag. 1603. ita scriptum reliquit: Notandum, neque per hanc Indulgentiam formam, scilicet de injunctis Pœnitentiis, neque per ullam aliam quamvis amplam, & generalem, relaxari obligationem, qua, propter integritatem Sacramenti, tenetur Confessarius salutarem pœnitentiam pœnitenti injungere, & pœnitens eam implere &c. Primo ex eo, quod illa obligatio est Juris Divini &c. Secundo ex eo, quod truncaretur alioqui Sacramentum Pœnitentiæ quadam sua integrali parte, qualis est nimirum Jure Divino satisfactio ipsius Pœnitentis. Tertio, confirmatur ex communi sensu, & usu Ecclesiæ, siquidem nec in plenissimis etiam Indulgentiis solet negligi a Confessariis & Pœnitentibus Sacramentalis satisfactio, & pœnitentia; immo expresse ab ipsis Pontificibus solet tunc etiam requiri.

§. 65. Super prima Quæstione, sicut etiam super qualitate satisfactionis, siue pœnitentiæ a Confessario imponendæ, quantum sufficere existimavimus, in Encyclica Epistola Nostra diximus, quam ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos super præparatione ad Annum Sanctum dedimus, in Arcæ Castri Gandulfi die 26. Junii Anni vertentis, atque ad illam Nos referimus. Unum tantummodo reliquum erat, ut super impositione pœnitentiæ a Confessario non omittenda diceremur, quoniam Pœnitens, qui Indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eandem adimplendam. Cum autem Nobis hujusmodi ratio laxior visa esset, in Instructione, de qua n. xxvi. agitur, mentem Nostram declaravimus, statuentes, salutarem pœnitentiam a Confessario injungendam esse Pœnitenti, etiamsi hic ad recipiendum Jubilæum præparatus sit, ex quo sane Pœnitentis obligatio exoritur eandem adimplendi: Omnia sua peccata confiteatur fideliter, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere: verba sunt Concilii Lateranensis, dum de Sacramentali Confessione loquitur in celebri Decretali, Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis, & Remissionibus; & sane præter necessariam correlationem, quæ inter auctoritatem imponendi pœnitentiam, & obligationem ejusdem adimplendæ intercedit; difficillima perceptu res Nobis visa est, eum posse dici, aut esse, vere Pœnitentem, sicut ille debet esse, qui plenariam Indulgentiam consequi cupit, si hujus prætextu, eximere se velit a pœnitentia illa adimplenda, quæ ipsi in Sacramentali Confessione a Confessario injuncta est.

§. 66. Ulterius procedit Instructio, nonnulla opportuna statuendo circa absolutionem a Censuris, tum eorum, qui sine licentia, ac prava intentione se in Claustra Monialium introducunt, tum Regularium Virorum, qui ad malum finem mulieres intra suas Religiosas Domus pariter ducunt; illorum præterea, qui absque licentia Libros prohibitos legunt, & circa Votorum quorundam dispensationem; Nos vero, quibus nil aliud in præsentis propositum est, nisi controversias indicare, quas tollere curavimus, eo potissimum consilio, ne fœditæ jam res iterum in quæstionem redeant, id nunc declarabimus, quod quando Pœnitentiariis Facultates conceduntur absolventi a censuris occultis propter damnum alicui datum, incursi, adjecta conditione, ne ejusdem utantur, hoc est, ne Pœnitentem ab hujusmodi censuris absolvant, nisi is parti læsæ satisfecerit, aut saltem ante absolutionem, jurejurando spondeat, se eidem satisfacturum; Nos sub nomine partis læsæ non intelligimus, sicut a quibusdam intellectum est, Judicem, verum illum, qui damnum passus est, quemadmodum rite a Viva de Jubil. q. 10. art. 2. a Giballino de Censuris disquisit. 9. qu. 4. nu. 7.

PONT. & a Salmanticensibus in *Cursu Theolog. Moral. tom. 2. tract. 10. de Censuris cap. 2. ANNO*  
*punct. 2. n. 20.* animadversum est. Quod vero attinet ad commutationem Voto-  
 A. IX. rum, in quibus de tertii præjudicio agitur, quæ quidem Pœnitentiariis inter- 1749  
*dicatur, apposite sane scribit Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 3. & præsertim*  
*nu. 7.* Circa Vota perseverantiæ, quæ a quibusdam fiunt, dum aliquam Cong-  
 gregationem ingrediuntur, quæque naturam assumunt contractus, & reciproçæ  
 obligationis inter ipsos, & Congregationem, quæ eisdem recipit, a quibus  
 Pœnitentarii dispensare non possunt, valde ad rem loquitur P. Sirus in suo  
*Manuscrip. Oper. super Bull. Innoc. XII. respic. Facult. Majoris Pœnitent. qui et-*  
*iam in eodem Opere de Votis pœnalibus agit.*

§. VI.

*De Facultatibus contentis in Constitutione Convocatis, pro Confessariis a Cardina-  
 li Vicario destinatis, quo ad absolvendum a peccatis, & Censuris, item pro  
 Votorum Commutationibus, & Dispensationibus.*

§. 67. Illud, quod Nos hic monendum habemus, est, ut hi Confessarii tex-  
 tum suarum Facultatum attente legant, ne earum limites excedant, præterea,  
 ut qua parte eam illis, concordant, quæ Pœnitentiariis sunt attributæ, legere,  
 & observare non prætermittant id, quod super eisdem paulo ante disseruimus;  
 quantum vero ad *Dispensationes* attinet, non aliam se Facultatem habere pro-  
 be meminerint, quam dispensandi, aut commutandi in alia pia opera visita-  
 tiones Basilicarum, quam & Pœnitentarii habent. Quamobrem legendum ipsis  
 erit id, quod super hac eadem re, respectu Pœnitentiariorum *ad num. 32. &  
 33.* dictum est.

§. VII.

*De quibusdam Declarationibus contentis in Constitutione Convocatis quo-  
 ad præsens Jubilæum, ac primum de Declarationibus, quæ re-  
 spectant Personas, quæ illud consequi volunt.*

§. 68. Celebris Johannes de Anania, qui anno 1458. vivere desit, parvum  
*de Jubilæo* Tractatum conscripsit, in cujus fine Quæsitæ aliquot proposuit, in-  
 ter quæ ea legimus, quæ sequuntur: num Jubilæum juvet Episcopo, qui non  
 obtenta prius a Summo Pontifice licentia, ejus consequendi gratia Romam  
 proficiscitur: num juvet Parocho, qui sine Episcopi sui venia discedit: num  
 Monacho, qui sine Abbatis sui permissu abit: num Viro, qui sine assensu Uxo-  
 ris: num denique Uxori, quæ sine Mariti licentia Romam venit. Eorundem  
 dubiorum examen circa annum 1599. a sæpius nominato Benzonio *de Anno  
 Jub. l. 5. a dub. 14. ad dub. 18.* continuatum est. Ac decisum tandem fuit, mini-  
 me supradictis personis licere, sine prævia Superiorum suorum licentia, Pa-  
 trias suas relinquere, ac Romam proficisci ad consequendum Jubilæum Anni  
 Sancti; ac sine ipsa venientes peccare: Verum cum Romam pervenerint, si  
 hoc peccatum una cum aliis omnibus vero cum dolore confessi fuerint, ac  
 quantum ad consequendam Indulgentiam præscriptum est, præstiterint, eam  
 consequi. Eadem mens, & sententia est *Quarti in Tract. de Jub. Anni Sancti  
 pag. 67. cap. 1. punct. 6. dub. 1. & seq.*, illud tantummodo adjungit, non posse  
 quidem Uxorem sine Viri venia, & consensu venire; posse tamen Virum ve-  
 nire sine consensu Uxoris, dummodo ejusdem absentia, nec diuturna, nec gra-  
 vis incommodi, aut detrimenti Uxori, & familiæ futura sit; ac jure quidem  
 contra Religiosos, & animarum Pastores exclamat, qui sine necessariis licen-  
 tiis, gratia obtinendi Jubilæum Anni Sancti, iter Romam suscipiunt, cum ge-  
 neralis

PONT. neralis invitatio, quæ a Summo Pontifice omnibus fit, intelligi debeat, illos Anno tantummodo comprehendere, qui licite, & cum requisitis conditionibus venire possunt. Huiusmodi rationibus, ac sententiis adhæret Constantinus in suo *Traç.* 1749

A. IX. *de Anno Sancto par. 2. cap. 4. pag. 103. & seq.* Nos in supra-citata *Encyclica Epistola Nostra die 26. Junii* vertentis Anni super præparatione ad Annum Jubilæi edita, prædictis punctis secundum rationes, ac sententias nuper adductas, responsum fecimus. Ad eam igitur Epistolam Nos referimus, ex cuius tenore necessario prima declaratio num. XLIII. expressa deducitur, quod Personis Romanam ad hoc Jubilæum consequendum venire volentibus non intelligitur data veniendi libertas, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

§. 69. Pontifex Bonifacius VIII. in sua pluries nominata Decretali: *Antiquorum, inter Extravagantes Communes de pœnitentiis, & remissionibus*, visitationem Basilicarum Romanis per triginta vices, Peregrinis vero, & Advenis per vicem quindecim præscriptis: *Si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die; si vero Peregrini fuerint, aut Forenses simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem ac eant.* Hæc eadem verba in alia Decretali Clementis VI., quæ incipit *Unigenitus*, ibi, *sub eodem Titulo*, reperiuntur. Eadem loquendi forma a Pontifice Clemente VII. adhibita est in Indictione Jubilæi, quam fecit per suam Bullam, cujus initium *Inter sollicitudines*, die 17. Decemb. 1524. expeditam. Progressu temporis, verbo *Romani*, aliud adjunctum fuit, *vel Urbis Incolæ*, aliud vero *Forenses* omisium fuit, quemadmodum in Constitutione Gregorii XIII., quæ incipit *Dominus, a Redemptor*, videre est: *Triginta continuis, vel interpolatis diebus semel saltem in die, si Romani, vel Urbis Incolæ fuerint, si vero Peregrini, quindecim diebus devote visitaverint, & in aliis compluribus.*

§. 70. Quamvis verbum *Romani* nulli controversiæ locum dare posse videretur, res tamen contra fuit: nam cum Romanus sit non ille solum, qui Romæ natus est, & in Urbe moratur, verum etiam ille, qui licet Romæ natus, alio domicilium transtulit; quæstio fuit, num hic Anno Jubilæi Romam veniens, per triginta, an per quindecim vices Basilicas visitare deberet. Navarrus de *Jubilæo, & Indulg. n. 42. pag. 163.* ejus sententiæ fuit, quod vices quindecim sufficerent, cum in hoc casu domicilium origini prævalere debeat, & ea maxima ratione, quod Romanus, qui alibi domicilium habet, Romam veniens, idem itineris, ac laboribus incommodum subit, ac Advena, & Peregrinus. E contrario Benzonius de *Anno Jubilæi lib. 5. dub. 3.* eum ad triginta visitationes obligatum existimavit: *Turpe est enim, ait ipse, virum Romanum vel avaritiæ, vel acidiæ, seu corporis vitio laborare, præsertim in eo anno, in quo Urbs toto gaudio, jubilatione, munificentia, atque singularissima festivitate resurget.* Præterea autem dubium illud propositum fuit, num sub *Romani* nomine ad effectum, de quo agitur, etiam ille, qui in proximis Urbi locis habitat, comprehensus intelligeretur.

§. 71. Disputationibus porro super voce *Romani*, aliæ super verbis, vel *Urbis incolæ*, successerunt. Navarrus *loc. cit. n. 43.* ait, sub nomine *incolæ* in præsentî casu eum intelligi debere, qui annum Romæ moratur, aut saltem tantum moratur, ut Romæ incolæ dici possit. Quarti, & Constantinus præsertim differunt. Horum prior *pag. 126. & seq.* sub nomine *incolæ Urbis* eum intelligi debere vult, qui Romæ minime natus, neque ex ea oriundus est, verum in ea domicilium contraxit, ac proinde Curiales, Procuratores, Advocatos, Aulicos ad triginta visitationes obligatos esse, atque huic item oneri subjicere debere Scholares, Mercatores, Litigantes qui majorem anni partem Romæ morantur, cum hi omnes in Urbe, si non verum domicilium, at quasi domicilium contraxerint. Alter vero *pag. 119. & seq.* considerans, Peregrinis quindecim tantum visitationum numerum præscribi ratione incommodi in itinere



PONT. suscepti, Romanis vero, & Romæ degentibus, numerum majorem triginta ANNO  
 A. IX. visitationum, eo quod prædictum incommodum, ac laborem non sustinuerint; 1749  
 affirmat, omnes quotquot itineris incommodo caruerunt, triginta visitationum  
 oneri subjacere debere; contra vero a graviore onere exemptos esse, & ad le-  
 vius tantum, scilicet quindecim visitationum onus, obligari omnes illos, qui  
 supradictum itineris incommodum passi sunt.

§. 72. In Constitutione nostra, *Peregrinantes*, in qua Jubilæi Annum indi-  
 ximus, ea quæ sequuntur verba adhibuimus: *Per triginta continuos, aut inter-*  
*polatos dies &c. si Romani, vel Incolæ Urbis, si vero Peregrini, aut alias ex-*  
*terni fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies devote visiterint.* Prædicta  
 autem verba in hac novissima constitutione nostra num. XLIV. exponentes, di-  
 ximus, idque nunc etiam repetimus, sub nomine *Romanorum* omnes illos ve-  
 nire, qui Romæ nati sunt, & Romæ degunt, sive qui in suburbano districtu  
 nati pariter sunt, atque ita habitant, in eo scilicet tractu, ad quod se pro-  
 ceidunt vineæ intra quantum ad Urbe lapidem; hæc est enim legalis notio,  
 & intelligentia hujusce vocabuli *Romanus*; quemadmodum valde apposite Spon-  
 danus in *Epitome Annal. Card. Baronii ad an. 1 in princip.* animadvertit: *Juris-*  
*consulti responderunt, eos, qui in continenti Urbis nati sunt, Romæ natos in-*  
*telligi, Romam enim esse etiam qua continentia ædificia essent; nec Romam mu-*  
*ro tenuis existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi; cum diceremus Ro-*  
*mam nos ire, etiam si extra Urbem habitaremus.* Diximus etiam, ac modo hic  
 iteramus, tum nomine *incolarum Urbis* omnes illos ceteri, qui Romam adve-  
 nerunt animo ibi majorem anni partem commorandi, itemque omnes illos,  
 qui Romæ alicujus muneris aut negotii causa, sive alicujus officii ac ministerii  
 ibidem acquirendi desiderio, & expectatione morantes, si non verum ac rigo-  
 rosum domicilium, saltem quasi domicilium contrahunt. *Deus plebis Israel ele-*  
*git patres nostros, & plebem exaltavit, cum essent incolæ in terra Egypti, & in*  
*brachio excelso eduxit eos ex ea:* legitur in *Actis Apostolorum cap. 13. v. 17.* At-  
 qui ii, qui latini sermonis proprietatem optime tenent, *incolas*, illos esse af-  
 firmant, qui, cum alibi nati sunt, locum incolunt, in quo sibi habitationem  
 delegerunt, licet loci ejusdem cives, aut indigenæ non sint; in quorum nu-  
 mero idcirco *Causidici, Procuratores, Advocati, Aulici, Scholares, Mercato-*  
*res, Litigante, alique id genus homines recensendi sunt, quod etiam probe*  
*animadvertit tuit, ab antiquo Glosatore Decretalis, Antiquorum, inter Ex-*  
*travagantes communes, de patientiis & remissionibus, in verbo, Forenses, cu-*  
*jus hæc verba sunt: Quid de Curialibus existentes in Curia Papali? Respondit*  
*Sixtus Papa, illos facere debere triginta dies. Et est ratio, quia isti nec vere pe-*  
*regrinantur, nec vere sunt forenses, sed ut moraturi in Curia accedunt.* Igitur  
 omnes ii, quos supra nominavimus, per triginta vices Basilicas visitare te-  
 nentur. Eisdem visitationum numero illos etiam obligatos fore declaravimus,  
 & nunc declaramus, qui alia, quam Jubilæi consequendi, causa Romam ad-  
 venerit; omnia enim controversia, num hi possunt sub *incolarum Urbis* nomi-  
 ne comprehendendi, manifestum est, quod, cum ipsi itineris incommodum alia  
 de causa passi sunt, non aliter ad Jubilæum consequendum se comparare po-  
 terunt, quam si triginta Basilicarum visitationes expleverint. Idem decrevi-  
 mus de illis, qui consequendi Jubilæi gratia Romam venientes, amplius sex  
 mensibus in eadem commorantur, cum iis liceat sine gravi incommodo per di-  
 sti temporis spatium ad triginta vices visitationum Basilicarum adimplere.  
 Verbum illud *Forenses*, a proximis Decessoribus nostris prætermittum, Nos  
 etiam omisimus; quod quidem, juxta loquendi morem medio ævo usitatum,  
 nil aliud, quam quod exteros significare poterat, ut probe Lucas Holstenius *Colle-*  
*ctionis Labbeanæ Conciliorum num. 8. pag. 138.* animadvertit, dum verb. Synodi  
 Romanæ Sæculo non sub Leone IV. habitæ exponit: *Tantum superfluitatem*  
*Presbyterorum forensium.* Antiquo verbo *peregrini* usi sumus, qui illi sunt, qui

PONT. iter suscipiant causa visitationis Sacrorum Liminum, & sacrae Indulgentiae con- ANNO  
 sequendae. *Advena sum, & peregrinus apud vos*: legitur in *Genesi cap. 23.* Ver-  
 A. IX. bum autem *peregrini*, aliud adsecimus *externi*, quod non minus secundum re- 1749  
 ctum latini idiomatis usum, quam, quod magis interest, secundum propriam  
 in Divinis Scripturis loquendi rationem, advenam, aut alienigenam signifi-  
 cat; unde *Exodi c. 23.* legitur: *per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque*  
*audietur ex ore vestro: & Numerorum cap. 1.* *Quisquis externorum accesserit, oc-*  
*cidetur; & capite tertio: Externus, qui ad immolandum accesserit, morietur.*  
 Atque, ut ad propositum nostrum revertamur, declaravimus ac declaramus,  
 sub *peregrinorum* aut *externorum* nomine omnes alios comprehendi, qui sub no-  
 mine *Romanorum*, aut *Incolarum Urbis*, secundum explicationem paulo antea  
 datam, minime comprehenduntur.

## §. VIII.

*De Declarationibus contentis in Constitutione Convocatis, circa opera injuncta.*

§. 73. Optandum omnino esset, & melius ac tutius procul dubio foret, si  
 antequam visitatio Basilicarum inciperetur, fructuosa praemitteretur Confessio,  
 ut visitationes ipsae in statu gratiae fierent; atque iteraretur confessio, si quis,  
 visitationibus inceptis, in lethale aliquod peccatum prolaberetur. In actis Ec-  
 clesiae Mediolanensis *part. 7. edition. Mediolanen. 1599. pag. 1031.* Magni Sancti  
 Caroli Borromaei ita legitur: *ante omnia unicuique sedulo curandum est, ut con-*  
*ditiones a Sanctitate sua in litteris concessionis ipsius Jubilaei expressas diligenter*  
*observet; quoniam minime illud consequeretur, qui eadem non observaret. Ha-*  
*rum prima est, ut vere contritus, & confessus sit, quod unusquisque facere debet*  
*antequam visitationes Ecclesiarum incipiat, pro majori securitate Sancti Jubilaei*  
*consequendi. Ob eandem causam, si quis postquam confessus esset, & Ecclesiarum*  
*visitationes incepisset, in mortale aliquod (quod Deus avertat) peccatum prola-*  
*beretur, mortale peccatum confiteri debet, ac deinceps reliquum dierum numerum*  
*persequi, qui supererunt ad completum usque numerum dierum, quibus quatuor*  
*Ecclesiarum visitatio ab eo facienda erit.*

§. 74. Hujusmodi porro agendi ratio a S. Antonino in *Summa part. 1. tit.*  
*10. cap. 3. §. 5. in fin.* a Cardinali Bellarmino de *Indulg. tom. 1. cap. 13. Controvers.*  
*tom. 2.* a Becano in *Summa tit. de Sacramentis cap. 28. de Indulg. quaest. 6.* Benzo-  
 nio de *Anno Jubilaei lib. 5. dub. 4. §. Dico septimo*, & Pontas in *verb. Indulgentiae*  
*cas. 13.* pro tuta agnoscitur, & approbatur. Quod vero & Nos summopere  
 cupierimus, & ex animo cupiamus, satis intelligi potest tum ex iis, quae in  
 supradicta Encyclica Epistola Nostra scripsimus, tum ex iis, quae fecimus, dum  
 proxime praeterita aestate publicas per Urbem Missiones haberi iussimus, tum  
 denique ex his, quae facimus, dum hoc Adventus tempore, usque ad Festum  
 S. Thomae, easdem Missiones per varias Ecclesias Urbis continuari curavimus,  
 quae omnia ad eum tantummodo scopum, & finem diriguntur, ut a peccato-  
 ribus rite, & cum emendationis fructu Confessiones prius fiant, quam Porta  
 Sancta aperiat, ac proinde antequam Basilicarum visitationes fieri incipiant;  
 nec illud etiam omittingo, quod desiderium hujusmodi nostrum, & ex ipsa  
 Constitutione nostra *Peregrinantes* satis deducitur, in qua visitationibus Eccle-  
 siarum Confessio, & Communio praemittitur.

§. 75. Verum nequaquam in hoc difficultatis summa versatur, sed praecipuum  
 in eo dubium consistit, num videlicet, si forte, a quopiam lethalis culpa reo  
 visitatio Basilicarum incipiat, & continetur, & sic ab eo hujusmodi opus  
 fiat, quod bonum est eo bonitatis genere, quo esse possunt opera, quae a  
 peccatoribus fiunt; deinde vero idem rite, & recte confiteatur, & sacram Com-  
 munionem in statu gratiae recipiat; proindeque in ultimo opere, quod ad  
 Jubi-

PONT. Jubilæum consequendum adimplevit, in statu gratiæ sit; num, inquam, præcedentes Ecclesiarum visitationes pro sufficienti operum inunctorum implemento haberi, & censeri possint. Super hoc difficultatis puncto fuisse differit Navarro de Jubil. notabil. 19. sed communior opinio est, visitationes etiam in statu peccati factas sufficere ad Indulgentiam consequendam, dummodo postremum opus, in quo acquiritur Indulgentia, in statu gratiæ perficiatur, cum temporalis pœna non remittatur, nisi peccato deleto, ac remissa æterna pœna, quod quidem per Pœnitentiam obtinetur. Ita insigniores Theologi in suis Theologicis operibus ratiocinantur, videlicet Suarez in 3. part. D. Th. tom. 4. disp. 52. sect. 2. num. 7. Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 20. de Indulg. punct. 5. s. Non tamen; Cardinalis de Lugo de Sacram. Pœnit. disp. 27. sect. 6. num. 83. Sylvius part. 3. D. Th. tom. 4. in suppl. 3. part. qu. 27. art. 1. Estius in 4. Sentent. dist. 20. s. 8. per totum; & signanter vers. Cæterum; & seq. Juvenin in Tract. de Sacram. disput. 13. de Indulg. qu. 6. s. Cæterum; aliique complures. Illi etiam, qui Morales Theologi dicuntur, in hac re concordant sententia sunt, quos inter Fillicius Oper. Moral. tom. 1. tract. 8. cap. 10. qu. 5. nu. 258. Santarellus variar. ref. 9. 76. num. 15. La Croix lib. 6. part. 2. de Indul. num. 410. Bonacina de Jubil. q. 6. art. 2. num. 4. item alii, qui ex professo de Jubilæo scripserunt, ex quibus Viva in Hist. Indulg. inter qu. & resolut. practic. quæst. 32. Amort tom. 1. pag. 203. Venet. edit. ann. 1698. atque illi etiam, qui Romæ Tractatus de Indulgentiis composuerunt, atque ediderunt, in quorum numero PP. Passerinus de Indulg. qu. 73. per tot. & præsertim num. 514. Vanranst. in Opuscul. de Indulg. qu. 6. num. 7. & seq. ac Theodorus in Tract. de Indulg. lib. 1. cap. 8. art. 1. per tot. Hæc autem, quæ communis opinio dici potest, suo, & quidem valido fundamento non destituitur, quum Ecclesiarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia non est, factæ, opera sint moraliter bona, quamquam æternæ vitæ non meritoria; licet enim opera inimici sint, illius tamen inimici sunt, qui se ad reconciliationem cum Deo comparat, atque disponit: hoc vero prioribus Ecclesiæ sæculis in publicis illis pœnitentiis adumbratum videtur, quæ ab illis fiebant, qui in graves publicos excessus prolapsi erat, qui quidem antequam absolutio- nem ab ipsis obtinerent, & sic in eodem statu peccati, in adimplendis operibus ac pœnitentiis sibi præscriptis se exercebant. Hoc autem semel constituto, quod in ultimo opere, quod ad consequendam Indulgentiam adimpletur, status gratiæ absolute necessarius sit, quodque non item absolute requiratur hujusmodi status, dum alia injuncta opera adimplentur, in sententiæ hujus confirmationem laudati Auctores publicam Fidelium consuetudinem advocant; ei satis notam, qui Indulgentiam concedit, & ab eodem non improbatam: cum fieri vix possit, ut sibi persuadeat, visitationes, quæ ad Jubilæum consequendum vel per triginta, vel per quindecim dies interpolatos fiunt, non nisi ab iis fieri, qui in gratia constituti sunt; neque vero a sententiæ sua remouentur, ob eam causam, quod in Jubilæi universalis Bulla visitationem Basilicarum Confessio, & Communio præmissa sit; huic etenim argumento respondent, ordinem verborum non adæquatam esse regulam pro ordine factorum, ac præterea adjungunt, in Indulgentiis sufficere auctoritatem in concedente, gratiam in recipiente, ac pietatem in causa; pias autem esse Basilicarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia constitutus non est, factæ sint, dummodo debitæ cum circumstantiis adimpleantur, quum ad consequendam habitualem gratiam præparationes sint.

§. 76. Atque hæc est summa eorum, quæ in sententiæ hujus comprobationem afferri solent, ab iis, qui eandem tuentur; a qua Nos in præsentem minime recedendum ducimus, neque recedimus, quemadmodum ex iis, quæ ad n. xiv. novissimæ Constitutionis declaravimus, videre est. Quoniam, licet quo ad Nos, magis ac magis semper in votis habeamus, ut visitatio Ecclesiarum in statu gratiæ fiat, a proinde vel post fructuosam Confessionem, vel saltem

**PONT.** post Contritionis actum; reputantes tamen, non omnia quæcumque optamus **ANNO** posse semper contingere, humanamque fragilitatem commiserari opus esse; a  
**A. IX.** fructu Indulgentiæ minime excludendos illos existimavimus, qui non præmissa **1749** Confessione visitationem Ecclesiarum incipiunt, ac prosequuntur, dummodo quando opus ultimum periciunt, in quo Indulgentia acquiritur, in statu gratiæ sint; ac dummodo visitationes ipsæ cum sensu devotionis adimpleantur. In Bulla *Peregrinantes* legitur *devote visitaverint*; in Extravaganti *Unigenitus* inest verbum *devotionis*, in alia *Quemadmodam*, verbum, *reverenter*; Navarum autem *de Jubil. sub num. 44.* eadem illa verba exponens, ita ait: *Per quæ significatur, visitationes has Ecclesiarum fieri debere bene, & quidem recte; nam licet, per asseria cum communi non sit necessarium ut fiant in statu gratiæ, necessarium tamen est, quod sint actus boni moraliter.* Ad injunctam igitur visitationum opus adimplendum necesse est, ut visitatio fiat concilio atque animo exhibendi honorem Deo, aut Sanctis ejus; ut tam in itinere, quod ad Basilicas habetur, quam in eadem ingrediendo, modeste incedatur, atque in hisce aliquis religionis actus exerceatur. Ex quo deduci potest, quod, si quis nullo pio fine, sed mera ductus curiositate visitatum Ecclesias se confert, aut animi relaxandi, seu, quod dicitur, deambulationis habendæ gratia, iter conficit, Jubilæum minime consequitur. Illum vero omnino omittimus, de quo dicere supervacuum est, qui in actuali peccato mortali, animo, exempli gratia, alios ad peccandum inducenti, Ecclesiam visitaret; ut, & hujusmodi, & alios similes casus indicando, differunt Vanranst *de Indulg. q. 7. a n. 15. ad n. 20.* Constantinus *part. 2. cap. 6. pag. 121.*, Quarti *tract. de Jubil. pag. 146. & seq.* Viva *de Jub. q. 8. art. 5. n. 3.* Pignatel. *de Anno Sancto dub. 21. cap. 8.* Amort *in quæstionib. prædictis in fine Historiæ Indulgentiarum qu. 72.*, aliique complures.

§. 77. Confessionis præceptum, prout a jure Divino statutum fuit, sola mortalia peccata comprehendit, nec ad venialia extenditur. Cum vero Ecclesia in Concilio Lateranensi certum confitendi tempus, quod est Pascha Resurrectionis, præscripserit, controversa est, num necessitati confitendi peccata mortalia, aliam adjecerit, ut venialia etiam peccata confiteri necessarium sit, & quamquam communiter dicatur, nequaquam adjunctam esse necessitatem etiam peccata venialia confitendi ad adimplendum præceptum; non desunt tamen Auctores, qui pleni studio ac zelo contrariam opinionem tuentur, ac docent, eum qui non nisi venialia peccata habet, saltem in Paschate Sacerdoti se sistere debere, ut ei notum faciat, se, Divina opitulante gratia, non nisi venialium, culparum sibi conscium esse. Juvenin *de Sacr. dissert. 6. cap. 3. art. 2.*, Du Hamel *tom. 7. tract. de Pœnitentia dissert. 3. cap. 2. n. 5. Quid vero dicendum*, Habert *tom. 8. de Pœnitentia cap. 9. qu. 2.*, Auctor additionis ad Pontas *tom. 1. verb. Confessio cap. 51.* in editione latina, Auctor Theologiæ Moralis ad usum Seminarii Petrocoriensis *tom. 4. lib. 2. tract. 1. qu. 9.* videri possunt. Nos hanc controversiam intactam relinquimus. S. Antoninus in summa sua *tom. 1. tit. 10. cap. 3. n. 10. ultimæ impressionis Veronæ* expresse docet, rem dignam, ac laudabilem ad consequendam Indulgentiam fieri a Pœnitente, qui a lethalibus peccatis liber cum sit, venialia confitetur; Verum ad propositum nostrum ne id quidem sufficiens erat, quoniam controversiæ caput non circa utilitatem, sed circa necessitatem vertatur. Quæstio enodanda illa est, quæ inter Theologos agitur, utrum videlicet, cum ad Jubilæi consecutionem Confessio præscripta sit, etiam his, qui peccata mortalia non habent, sed tantum venialia præscripta intelligatur. Apud Sanctarellum *qu. 76. var. resol. n. 2. & seq.* & in cursu morali Sarraticensis *tom. 1. tract. 6. cap. 7. punct. 3. n. 34.* Auctores tam pro affirmativa, quam negativa parte collectos videre est: Ipsi vero, se affirmativæ opinioni, quam quidem tutiorem asserunt, adherere præsententur. Cardinalis autem de Lugo *diss. 29. de Sacram. Pœnitentiæ sect. 7. n. 101.*, ac Leander *part. 3. tract. 5. disp. 24. cap. 76.* negativam partem sequuntur, ea nisi ratione, quod, quando de

Con.

PONT. Confessione sermo est, de mortalium Confessione semper intelligatur. Cum Anno vero non desit auctoritas infugiendi Confessionem etiam venialium, quemadmodum probe Cardinalis de Lauræa in 4. sent. tom. 2. de necess. Sacram. pœnit. disp. 1749 24. art. 2. §. , & Clericatus de Sacram. Pœnit. dec. 50. n. 7. advertunt, quod textus Pontificis Clementis V. in Clementina, quæ incipit *Ne in agro, de statu Monachorum*, comprobatur, ubi Monachis onus saltem in mense confitendi imponit, etiamsi probabiliter posset, ac deberet existimari magnam ipsorum partem non nisi peccata venialia habere; cumque etiam certum sit, quod, dum ad Jubilæi consecutionem facienda præscribuntur opera, quæ ex natura sua mera consilii opera, ac supererogatoria essent, velut exempli gratia jejunium per aliquot dies ab Ecclesiastico præcepto non præscriptos, sive devota Basilicarum visitatio, quemadmodum in præsentis Anni Sancti Jubilæo sit, præscribi etiam venialium peccatorum Confessio iis potest, qui mortalia non habent, etiamsi extra huiusmodi circumstantias, atque in abstracto loquendo, peccata venialia confitendi obligatio non adenet. Ita Nos fecimus, ac num. XLVI. novissimæ Constitutionis declaravimus, ad Jubilæum consequendum, etiam ab eo, qui non nisi peccata venialia habeat, confessionem peragendam fore; *Posset autem Papa, si vellet, expressis verbis injungere, ut qui Indulgentiam confiteretur, venialia peccata confiteretur, sicut injungit in alia opera supererogationis; neque tamen hoc esset facere venialia materia necessariam Confessionis: sed cum alia venialia sint congrua materia Confessionis, illam, quoque exigeret, si vellet in acquisitione Indulgentiæ; quæ Benzonii verba sunt de Anno Jubilæi lib. 5. cap. 15. dub. 6.*

§. 78. Ne multa, quæstioni illi quæ inter Theologos sit, utrum, quando ad consequendam Indulgentiam Confessio præscribitur, ille, qui non nisi peccata venialia habet, ad confitendum obligetur, tunc locus est, cum Confessio tamquam dispositio ad statum gratiæ pro Jubilæi consecutione necessarium requiritur, non autem quando Confessio inter præscripta opera comprehenditur, quemadmodum nunc a Nobis factum est, dum eandem ut onus junctum ad consequendam Indulgentiam imposuimus; sicut etiam Pasqualigus qu. 63. *Viva de Jubilæo qu. 8. art. 3. §. dices, & Constantinus de Anno Sancto part. 2. cap. 5. pag. 106. apposite animadvertunt.*

§. 79. Hanc ita decilant quæstionem aita solvenda difficultas excipit, quæ circa illum versatur, qui cum & confessus jam sit, & per vices aliquot Basilicarum visitationes fecerit, in novum aliquod peccatum mortale probatur; de hoc siquidem inter Doctores disputatur, quid illi ad consequendam Jubilæum faciendum sit; teneatur ne factas jam visitationes iterare, an vero ei satis sit ante postremam visitationem contritionis actum elicere, an demum ad confitendum commissum peccatum obligetur. Quidam contritionis actum sufficientem esse existimarunt, ex eo, quod in Jubilæi Bulla unica tantum Confessio præscribitur, quæ in proposito casu supponitur adimpleta, atque item ex eo, quod per contritionis actum rite conceptum si tus gratiæ ad consequendam Indulgentiam necessariam acquiratur. Ita Cardinalis de Lugo de Sacram. Pœnit. disp. 27. sect. 7. num. 107., ac Leander part. 1. Oper. Moral. tract. 5. de Sacram. Pœnit. disput. 14. de Indulg. qu. 79. ratiocinatur; qui etiam aliorum Auctorum, qui secum sentiunt, auctoritatem adducit. Verum, cum ab aliis, ac præsertim a Suarez. disput. 52. sect. 3. num. 7., a Filliuccio tom. 1. tract. 8. cap. 6. n. 147., a Quarti pag. 109., & a Constantino par. 2. cap. 5. in fin. consideratur, quod Confessio in Bulla præscripta refertur ad Indulgentiam, & quod consequenter Confessio mortalium peccatorum usque ad terminum, quo Indulgentiæ fructus obtinetur, commissorum requiritur, jure ac merito docent, quod ille, qui confessus est, & Basilicarum visitationes incepit, si ante ultimam visitationem in mortale peccatum incidit, confiteri debet; quodque contritionis actus ad consequendam Jubilæum minime sufficiens est: Ad repetendam.

PONT. tendam item Confessionem illum etiam obligari addunt, qui peccati alicujus ANNO  
in Confessione prius facta, per innoxiam oblivionem non enunciati, remini-  
A. IX. sceretur. Atque huic Nos solidiori sententiæ *num. XLVII.* adhæsimus, Pecca- 1749  
torem ab onere iterandi visitationes Basilicarum jam factas absolventes, alteri  
tamen oneri obnoxium relinquentes, ut prius confiteri debeat, quam postre-  
mam compleat Basilicarum visitationem. Dictum est. Nos eum ab onere visi-  
tationes jam factas iterandi liberasse, cum quæstio circa hanc obligationem  
tunc solum locum habeat, quum admittitur opinio, quæ statum gratiæ tam-  
quam necessarium eo tempore, quo injuncta opera adimplentur, requirit, non  
autem quando necessitas status gratiæ reducitur ad novissimum opus, in quo  
Indulgentia obtinetur, quemadmodum Benzonijs *de Anno Jubilæi lib. 5. cap.*  
*15. dub. 9.* probe animadvertit.

§. 80. In præsentis Anni Sancti Jubilæo, sicut supra indicavimus, & sicut  
etiam in Bulla *Peregrinantes* sancitur, inter injuncta opera Sanctam etiam Com-  
munionem enumeravimus. Cum vero quidam sint, qui per eorum ætatem,  
ac naturalem mentis captum, ad Confessionem tantum, non autem ad Com-  
munionem admittuntur, aditum aperiri prævidimus dilputationi, num scilicet  
hi, quos diximus, Jubilæi consequendi capaces sint; quæ quidem quæstio ab  
Auctoribus in omnibus aliis Indulgentiis, in quibus pro opere injuncto Com-  
munionis præscribitur, tractata est. In hac controversia quorundam opinio fuit,  
quod, quum hi, de quibus agitur, Communionis minime capaces sint, etiam  
consequendi Jubilæi incapaces remaneant, cum nihil vel impotentia, vel legi-  
timum quodvis impedimentum profit illi, qui nequit, vel impeditur, præscri-  
ptum ad Indulgentiæ consecutionem opus adimplere. Ita Lavorius *par. 1. c. 21.*  
*de Jubil. num. 31.* ratiocinatur; quin ullum nec ipse, nec alii, qui ejusdem  
partis sunt, præsidium agnoscant in Facultate, quam forte Confessarius habe-  
ret, injuncta opera commutandi in favorem illius, qui eam exequi impeditur,  
tum quia hujusmodi Facultas commutationem Sanctæ Communionis non com-  
prehendit; tum etiam quia eadem ad illos restringitur, qui casu aliquo im-  
pediuntur, ut sunt Moniales, in carcere degenti, ægroti, qui Basilicis visitare  
nequeunt, vel pauperes, qui eleemosynam impertiri non possunt, quando  
inter opera injuncta eleemosyna comprehensa est; ideoque ad illos extendi non  
possit, qui non per accidens, sed ex dispositione juris, ad præstandum id,  
quod in Jubilæi Bulla præscribitur, incapaces sunt. Atque hæc Passerini *de*  
*Indulg. q. 46.* Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. 27. sect. 7. num. 118.* Vanranst.  
*de Indulg. q. 7. num. 32.* sententia est. Hic vero ex altera parte fuere, qui se-  
mentis Summorum Pontificum interpretes sponte facientes contenderunt, in-  
junctum opus Communionis ad illos minime extendi, qui per ætatem commu-  
nicandi incapaces sunt, cum conditio hæc, quoad istos, *de jure* impossibilis sit;  
aut supponi debere, dari a Pontifice Confessariis facultatem in aliud pium opus  
Communionem commutandi etiam si expresse id non dixerit. Horum nomina  
apud Passerinam *loco nuper citato* videre est. Nos vero ad hujusmodi controver-  
siam, ac difficultatem tollendam *n. XLVII.* Confessariis Facultatem dedimus  
Communionem in aliud pium opus commutandi pro pueris illis, qui ad pri-  
mam Communionem nondum admissi sunt, quique ex Parochi, vel Confessa-  
rii judicio, ad eum capacitatis gradum non pervenerunt, ut Anni Sancti de-  
cursu ad primam Communionem admitti possint.

§. 81. Pauca alia in Constitutione *Convocatis* sub capite declarationum su-  
persunt, & quæ ad tollendas controversias aliis temporibus excitatas, magis  
magisque semper faciunt. Prima est sub *nu. XLIX.* non opus esse in visitatione  
Basilicarum ad Indulgentiam consequendam, per Portam Sanctam ingredi, aut  
egredi, cum id in nulla Constitutione præscriptum sit, licet hujusmodi ingres-  
sus, & egressus pro opere supererogationis æstimandus sit; quod etiam a Pas-  
serino *de Indulgentiis quæst. 55. Quarti Tract. de Anno Sancti. pag. 62.* Pigna-  
rellus

PCNT. tellus eodem Tractatum dubio 30. caput 8. opportune animadversum est . ANNO

A. IX. §. 82. Altera autem respicit casum, in quo per Anni Sancti progressum, præfixo visitationum Ecclesiarum numero. Indultum publicetur pro muniendo 1749  
si quis jam Basilicas visitasset, posset uti visitationibus jam factis, easdem computando in numero visitationum, quæ in Indulto præscriptæ essent. Alia præterea dubitatio erat, utrum, si ante Indulti publicationem numerum visitationum in eodem præscriptarum jam compleisset, Indulti uti posset, nullam præterea aliam visitationem faciendo. Omnes hæc difficultates n. l. sublatae sunt, ea scilicet, declaratione, quæ ibidem habetur, quod qui, visitationes Basilicarum per aliquot vices fecit, antequam Indultum publicaretur, visitationibus jam factis uti potest pro complemento numeri, qui in Indulto præfigitur; itemque, quod qui ante publicationem Indulti, visitationum numerum in ipso præfixum jam complevit, gaudere Indulto potest, dummodo aliam quatuor Basilicarum visitationem faciat; quod quidem etiam a supra laudatis Auctoribus, Passerino de Indulg. q. 47. Quarti Tract. de An. Sanct. pag. 133. & seq. ac Pignatello de Anno Sancto cap. 8. dub. 2. & seq. indicabatur.

§. 83. Tertia est illa, de qua hic pauca subjungimus. In Constitutione nostra: Peregrinantes, Basilicarum visitatione devote fieri debere, præcipitur, & ad consequendam Indulgentiam; pias Omnipotenti Deo preces adhibendas esse pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani Populi salute, ac tranquillitate; verum nequaquam hic, sicut nec in aliis quidem Decessorum Nostrorum Constitutionibus, in quibus Anni Sancti indicti sunt, an vocales, an mentales hujusmodi preces esse debeant explicatur; ex quo quidem aliis temporibus Controversiarum causa exorta est, Viva de Jubilæo qu. 8. art. 5. dub. 7. mentalem sufficientem esse existimavit; Constantinus par. 2. art. 7. pag. 128. mentalem quidem sufficere probabile esse dicit, verum vocalem esse tutiorem; Quarti pag. 178. alteram satis esset affirmat; Cardinalis de Lugo de Pœnit. disput. 27. sect. 7. n. 3. & Amoit in quæstionib. pract. in mater. Indulg. qu. 74. mentalem vocalem addere, tutius esse ajunt. Varranft de Indulg. qu. 7. num. 20., nec solam mentalem, neque solam quidem vocalem, si notabiliter modica sit, sufficientem esse dicit; Et contra nimiam hanc orationis modicitatem tam ipse etiam Viva, quam reliqui superius citati Auctores exclamant; licet enim oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita, præscripto ac legi Constitutionis Peregrinantes satisfacere possit; plerumque tamen orationis brevitatem ex modico pietatis studio, aut parum propenso ad res spirituales animo, sive tædio, negligentiaque proficisci solet. Nec itaque ab istorum considerationibus, nihil recedentes, ad n. l. declaravimus, vocalem orationem pie adhibitam ad consequendam Indulgentiam sufficientem esse; laudandum eum, qui spiritu ac mente orat, dummodo tamen vocales aliquas preces orationi illi adjungat.

## §. IX.

De iterata acquisitione Jubilæi & aliis declarationibus circa Facultates concessas pro Anno Sancto vertente.

§. 84. Vetus illa quæstio fuit, num qui tempore Anni Sancti per triginta vices ( quantum omnino ad Indulgentiam consequendam præscriptum est ) Basilicas devote visitasset, confessus præterea etiam fuisset, ac Sanctam recepisset Communionem, ac ideo se Indulgentiæ fructum consecutum esse confidere posset, iterum ipsum consequi valeat, visitationem Basilicarum ad præscriptum numerum iterando, iterumque confitendo, & communicando. Hujusmodi controversia a Johanne de Anania in parvo suo de Anno Sancto Tractatu indicata,

PONT. cata, atque ab aliis postea refumpta fuit. *Filliucci tom. I. tract. 8. cap. 10. de Anno Jubilæo num. 261.* opinio in eam propendebat partem, ut operibus injunctis A. IX. repetendis Jubilæum denuo acquireretur; verum postea, ratus a Congregatione Concilii Anno 1620. rem contra decisam esse, ab hac sententia discessit; *Vanraunt de Indulg. q. 6. n. 15.* Jubilæum iterum acquiri non posse contendit, etiam si opera injuncta adimpleantur; *Navarrus de Jubil. & Indulg. notab. 32. sub n. 46.* nihil in Bullis Anni Sancti iteratæ Jubilæi acquisitioni contrarium reperiri considerans, partes illius opinionis amplectitur, quæ in favore illorum est, qui opera injuncta repetunt; *Navarro Benzoni de Anno Jubilæi lib. 7. cap. 15. dub. 23.* subscribit; & hæc sententia communis dici potest, quemadmodum apud *Vivani de Jubilæo qu. 6. art. ult.*, *Constantinus de Anno Sancto par. 2. cap. 6. qu. 9. pag. 123.*, *Quarti de Jubilæo Anni Sancti pag. 53. & seq.* videro est. *Constantinus* porro ita a Pontifice Urbano VIII. declaratum fuisse refert, & Congregationis Concilii declarationem a *Filliuccio* nominatæ minime authenticam esse affirmat. Nos autem de hac alias proposita Controversia mentem nostram n. 111. declarare opportunum existimavimus. Etenim considerantes, minime hic agi de duarum hebdomadarum Jubilæo, verum de Jubilæo, quod annum integrum perdurat; non de operibus injunctis agi, quæ pluries in die adimpleri possint, quemadmodum fit, quando Plenaria Indulgentia illis conceditur, qui certi ac præscriptis diebus certam Ecclesiam visitaverint; in quo quidem statu rerum, etiam si pluries in die Ecclesiæ illius visitatio fiat, unica tantum Indulgentia acquiri potest, juxta Decretum Congregationis Indulgentiarum a *San. mem. Innocentio P. XI.* expresse approbatum, die 7 Martii 1678. ac rite, ac secundum legis formulas promulgatum in quo ita legitur: *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certis dies Ecclesiam visitationibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucriferi;* verum de visitationibus agi numero non paucis, Basilicarum, quæ inter se distat ac distantes sunt, quæque non nisi multis ac distinctis diebus fieri possunt, minime dubitavimus declarare, posse pluries per Annum Sanctum injuncta opera iterando, Sanctam Indulgentiam acquiri, *Diximus, Injuncta opera iterum repetendo, acquiri posse denuo Indulgentiam.* Verum quoniam si Jubilæo Indulgentiæ adjuncti sunt alii favores. & gratiæ; in eadem Constitutione, atque eodem §. declaravimus, illum qui semel illarum particeps factus est prima vice, qua Jubilæum consecutus fuit, iterum earum participem fieri non posse, si post primam Jubilæi acquisitionem, iterum in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis Votorum commutationibus, aut Dispensationibus indigeat.

§. 85. Quum in dicta Constitutione *Convocatis*, de iis actum est, quæ Pœnitentiariis Basilicarum Minoribus concessa sunt; ad n. VII. expressa mentio facta est Facultatis absolvendi ab hæresi ad extrinsecum deducta; illa tamen Facultatem intra certos limites restringendo, qui in *supra citato §.* indicati sunt. Sed quoniam inter Facultates Confessariis a Cardinali Vicario per Annum Sanctum specialiter deputatis datas, ad n. XXXVI. ampla Facultas absolvendi a Censuris in Bulla Cœnæ reservatis concessa est, ex quo aliqui contenderunt, posse etiam deduci Facultatem absolvendi ab Hæresi ad extrinsecum deducta, de qua in dicta Bulla in Cœna Domini mentio fit: declarare opportunum putavimus, sicut in n. 1111. declaramus, id minime subsistere; cum hujuscemodi Facultas expresse semper nominari debeat, nec unquam virore cuiusvis verborum amplitudinis concessa dici possit: quemadmodum statutum fuit a Decessore Nostro *Alexandro VII.* in Decreto, quod in Congregatione Sanctæ Inquisitionis coram se habita condidit: *Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa VII sub die 23. Martii 1656. in hærendo declarationibus alias a Prædecessoribus suis factis, ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id in posterum ullum tempore hæitari contingat, cum crimen hæresis præ ceteris gravissimum spectati,*



PONT. *tiali nota dignum sit, decrevit, Facultatem absolventi ab hæresi, in Jubilæis, vel ANNO  
alitis similibus concessionibus non censei comprehensam, nisi expressis verbis conce-*  
A. IX. *datur Facultas absolventi ab hæresi.* Tam de controversia ante Decretum agi- 1749  
tata; quam de eadem per Decretum prorsus sublata, fusc a Nobis actum est  
in quadam Notificatione, dum Bononiæ resideremus, publicata, quæ numero  
quarta est tam in Italica, quam in Latina editione.

§. 86. Dicitur superius fuit, eum, qui Facultates habet, quæ per Annum  
Jubilæi conceduntur, eisdem non nisi cum illis Pœnitentibus uti posse, qui  
sinceram habent Jubilæi consequendi voluntatem, quique ex hoc animo injun-  
cta ad ejusdem consecutionem operam adimplendi ad confitendum accedunt. Il-  
lud reliquum erat dubium erendum, num videlicet, si is, qui antea in ani-  
mo sibi proposuerat omnia, quæ ad hunc finem necessaria sunt, adimplere,  
consilium mutet, nec præscripta opera adimpleat, in censuras, a quibus ab-  
solutus fuit, recidat, ac obtentæ ab eo Votorum commutationes, ac Dispen-  
sationes abolitæ intelligerentur. Verum, quoniam absolutio a censuris in casu,  
de quo agitur, minime quidem *cum reincidentia*, sed absolute data est, ac da-  
tur, idcirco in eadem Constitutione *Convocatis*, num. LIV. declaravimus, illum  
nequaquam censuris, a quibus solutus fuerat, innodatum, aut gratiæ commu-  
tationum ac dispensationum obtentarum expertem remanere. Ita post allegatos  
Auctores antiquiores, Giribaldus *tract. 7. de Sacram. Pœnit. cap. XI. dub. 4. &*  
*Viva de Jubil. q. II. art. 4.* ratiocinatur. Et quamquam prædictorum Auctorum  
prior a mortali peccato illum eximat, qui, mutato consilio, ea non adimplet,  
quæ ad Jubilæi consecutionem reliqua erant; alterius tamen sententia, quæ  
adhibita Suarez, Vasquez, & Filliucci auctoritate, eundem lethalis culpæ  
reum facit, subsistenti ratione fulta est; ex eo scilicet, quod in materia gra-  
vi contraverit intentioni, ac menti illius, qui Facultate Confessariis con-  
cessit; quas quidem ille, tamquam medium ad Jubilæum consequendum, est  
impertitus; Pœnitens vero, in actu, quo absolutionem a censuris recepit,  
ac favorem & gratias per occasionem Jubilæi datas in se admittit, ad reliqua  
injuncta opera exequenda sese obligavit; quemadmodum etiam superius ani-  
madversum fuit.

§ X.

*De Facultatibus cæterorum Confessariorum Urbis, qui in numero Pœnitentiario-  
rum non sunt, neque ex iis, qui a Cardinali Vicario per Annum Sanctum spe-  
cialiter deputantur.*

§. 87. Præter Pœnitentarios Basilicarum ordinarios, atque illos, qui eisdem  
per occasionem Anni Sancti adjunguntur, ac præter Confessarios etiam a Car-  
dinali Vicario per Annum Sanctum deputatos, alii autem ordinarii Confessarii  
Romæ sunt, de quibus in Bulla *Convocatis* actum est; ut sint qui cæteros coad-  
juvare, & suam pro sollicita Pœnitentium, qui hoc Anno Sancto Romam ad-  
venturi sunt, expeditione, præstare operam possint.

§. 88. Hi vero ordinarii duplicis generis sunt. Alii Regulares sunt, qui a  
Superioribus suis ac Regularibus Prælati ad subditorum Regularium audiendas  
Confessiones deputantur. Alii autem Regulares insuper a Cardinali Vicario  
pro Sæcularium Confessionibus excipiendis approbationem habent. Atque hisce  
postremis in Constitutione *Convocatis* n. XII. omnes, respectu Pœnitentium  
Regularium Collegarum suorum, Facultates attributæ sunt, quæ Confessariis  
a Cardinali Vicario Romæ per Annum Sanctum deputatis sunt concessæ: ac  
insuper adjuncta eisdem auctoritas est supradictos ab irregularitate dispensandi,  
quam propter censurarum violationem, dummodo occulta sit, incurriscent; id-  
que per integrum Anni Sancti cursum: ea tamen conditione, ut prædicti Re-

PONT. gulares a Cardinali Vicario pro audiendis Sæcularium Confessionibus appro- ANNO  
 bati, dicta facultate absolventi ac dispensandi, non nisi erga ante nominatos  
 A. IX. Regulares suos, uti possint; qui quidem Regulares, si quando opus fuerit, 1749  
 ad eosdem, non vero ad alios, qui a Superioribus suis tantummodo ad exci-  
 piendas Regularium Confessiones deputati sunt, recurrere possunt.

§. 89. Alii porro ex Sæculari Clero Ordinarii Confessarii reperiuntur, qui  
 cum solita quidem Cardinalis Vicarii approbatione ac licentia Sæcularium Con-  
 fessiones excipiunt, verum qui minime ab eodem, specialiter per Annum  
 Sanctum deputati sunt. Atque his quidem nihil detur, nihilque aufertur, si  
 aliquam forte absolventi, aut dispensandi legitimam facultatem habeant. Idem  
 vero plane quoad Regulares, qui cum Cardinalis Vicarii approbatione Sæcu-  
 larium audiunt Confessiones, a Nobis dicitur, quum respectu Sæcularium, aut  
 eisdem addere, aut aliquam quamcumque, quam ex alio titulo habeant, legi-  
 timam facultatem demere mens Nostra non sit. Nam Constitutio Nostra, quæ  
 incipit, *Cum nos nuper*, solos Confessarios, qui sunt extra Urbem, comprehen-  
 dit; quorum Facultates, Anno Sancto durante, remanent suspensæ, sive ex  
 intuitu, & occasione Indulgentiarum sive ex alia qualibet disparata, ac mi-  
 nime Indulgentias respiciente causa, concessæ forent: quemadmodum alibi hac  
 eadem epistola comprobatur est; eadem autem Constitutio, *Cum Nos nuper*,  
 Confessarios non comprehendit Urbis Romæ, in qua sane ad excolendam per  
 Annum Sanctum Domini vineam magno operariorum numero opus est.

§. 90. Illud modo advertendum, ut hujusmodi Confessarii super Facultati-  
 bus, quas habere se arbitrantur, rectum examen instituunt; cum eæ a privi-  
 legiis legitimis, non revocatis, quæque in usu sint, proficisci debeant, juxta  
 Decretum Sanctæ memoriæ Clementis XI. die 3. Maji 1711. pro Confessariis  
 Urbis conditum, & per bon. mem. Cardinalem Petram tom. 5. *Constit. Apostol.*  
*ad Constit. 19. Sixti IV. n. 14. pag. 572. Romanæ editionis*, typis editum.

§. 91. Habetis igitur, dilecti Filii, quæcumque exponere vobis necessarium  
 judicavimus, ut graviorum controversiarum, quæ aliis temporibus excitatæ,  
 per nostras Constitutiones occasione hujus Jubilæi editas de medio tollantur,  
 earumque solutionum, compendium quodam a Nobis elaboratum præ oculis  
 habentes, ministerium vestrum accurate, & exacte, quod maxime optamus,  
 implere valeatis; ad quem etiam finem adjumentum Vobis allaturum arbitra-  
 mur Encyclicam alteram Epistolam Nostram die 26. Junii Anni vertentis da-  
 tam de præparatione ad Annum Sanctum, quam itidem ut legatis, & confi-  
 deretis, etiam atque etiam monemus. Neque vero mirum quidquam Vobis  
 videri debet, si in hac Epistola nostra, quam in præsens exhibemus, recentibus  
 Auctoribus plerumque usi sumus, nequaquam similes Patrifamilias, qui pro-  
 fert de Thesauris suis *nova, & vetera*; etenim, cum controversiæ ut plurimum  
 a recentibus Auctoribus, atque ab iis, qui de Anno Sancto scripserunt, exci-  
 tatæ sint; iisdem Nos etiam plerumque uti necessitas coegit. Interim autem  
 Paterna Vos charitate complectentes, Apostolicam Vobis Benedictionem ex ani-  
 mo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 3. Decembris 1749. Pon-  
 tificatus Nostri Anno Decimo.

## P A R O C H I J U R I S D I C T I O

In Tertiarias conviventes intra Parœciæ fines.

## B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

**E**MANAVIT nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum causa vertente inter Dilectum Filium modernum Rectorem Parochialis Ecclesiæ S. Vincentii Civitatis Januensis ex una, ac Dilectam in Christo Filias Puellas Tertiarias nuncupatas Ordinis S. Dominici ex altera partibus, super præensione subjectionis eidem Rectori, & exemptione ab illo, prævia propositione dubii: *An puella Tertii Ordinis S. Dominici Civitatis Januensis, nuncupata Tertiaria, subjecta sint jurisdictioni Parochi in casu &c.* Decretum tenoris sequentis, videlicet: Die 26. Aprilis 1749. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit affirmative. A. Cardinalis Gentili Præfectus. F. A. Furiettus Secretarius: Loco ꝛ Sigilli.

§. 2. Cum autem, sicut prædictus Rector Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Rectorem specialibus favoribus, & Gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab Homine quavis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; præinsertum decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quâncumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiæ & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indulti, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Septembris 1749. Pontificatus Nostri Anno X.

D. Card. Passioneus.

N 2

NUM.

## TRIBUNALI SANCTÆ INQUISITIONIS

In Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis adjudicatur cognitio *Pertinentiæ* Causarum contra Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomenclationem cum denegatione absolutionis, eaque in re delinquentes, etiam sine suspitione pravi dogmatis, eidem Inquisitionis Officio denunciari jubentur.

## BENEDICTUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Futuram Rei Memoriam.*

**A**POSTOLICI Ministerii Nostri partes non minus esse putamus ad suborientes abusus eradicandos, idonea remedia comparare, quam opportunas rationes præscribere, quibus servatis, ipsa exhibita remedia viam suam obtinere, & opratum effectum re ipsa edere valeant.

§. 1. Sane quum Nobis innotuisset nonnullos esse in florentissimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Presbyteros Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, qui a pœnitentibus nomen personæ ipsis in peccato, quod confessi fuerant, complicitis, aliquando etiam locum habitationis ejusdem complicitis, exquirebant, absolutionem quoque sacramentalem iis denegando, qui eorum inquisitionibus satisfacere recusarent.

§. 2. Nos Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum per ea Regna constitutorum zelum excitare non omisimus, ut omne suum studium, operamque conferrent ad eas respectivè Diœceses, in quibus Presbyteri sic delinquentes existerent, a tam pernicioso malo liberandas, ex quo *oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animarum ingens conturbatio in populo fidei exorta erant*: Rejicientes simul, ac reprobantes prætextus illos, quibus hujusmodi Confessarii interrogantes, se tuebantur; desiderii nimirum emendationis ipsius complicitis; nec non quarundam opinionum, quæ apud aliquos Doctores repetæ fuerant, & quarum aliquæ, aut falsæ, aut erroneæ censendæ erant per se veræ, & sanæ, ab ipsis sic delinquentibus perperam applicabantur; ut latius videre est in Nostriis Litteris Apostolicis die VII. Mensis Julii Anni Domini MDCCXLV. editis in forma Brevis, quarum initium est, *Suprema omnium Ecclesiarum*, quæque impressæ sunt in Bullarii Nostri tom. 1. num. 134.

§. 3. Has Litteras sub Annulo Piscatoris, primum expeditas, in forma specificâ deinde confirmavimus, & ampliore robore communicavimus per alias Nostras Apostolicas Litteras sub Plumbo editas IV. Nonas Junii Anni 1746. incipientes *Ubi primum*; quæ etiam impressæ leguntur in II. Tomo Bullarii Nostri n. VII. in qua etiam præinserta reperitur supra citata Constitutio Suprema omnium Ecclesiarum. His autem posterioribus Litteris, non solum Tribunali S. Inquisitionis prædictorum Regnorum, atque Ditionum injunximus, ut contra eos severe procederet, qui priora Decreta nostra impugnare, aut perverse interpretari ausi fuissent, sed etiam contra Confessarios de nomine complicitis Pœnitentiam interrogantes, eidemque Pœnitentis, nisi illud sibi manifestaverit, absolutionem denegantes; dummodo tamen hujusmodi interrogandi, & denegandi actibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, quæ sic agentem Confessarium de adhesionem ad prædictam reprobam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava crudelitate suspectam reddant.

§. 4. His coherentem addimus præceptum denunciandi Confessarios aliquo

ex.

PONT. ex supradictis modis delinquentes eidem Tribunali S. Officii intra terminum ANNO  
 A. X. dumtaxat, ex iustis gravibusque causis, ab hujuscemodi denunciandi onere 1749  
 personis Pœnitentium in causa propria, idest in casu, quod ipsi peccatum  
 suum confitentes, a Confessario adigerentur ad sibi manifestandum nomen  
 Complicis in eodem peccato; statuentes tamen quod quando aliunde, quam ex  
 confessione, novissent Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & S. Officio de-  
 nunciandis modis deliquisse, tunc cum & ipsi denunciare ex ista aliunde habita  
 notitia tenerentur.

§. 5. Et quoniam id etiam evenire posse prospeximus, ut Confessarius ali-  
 quis Pœnitentem de complicis nomine interrogando, atque etiam manifestare  
 nolenti absolutionem negando, id faceret imprudenci certe, ac malo, sed ta-  
 men simpliciter quodam, & nudo actu, idest iis circumstantiis destitudo, quæ de  
 prava credulitate, vel de mala adhesionem ad praxim in Nostro Brevis reproba-  
 tam, tanquam adlicitam, eundem Confessarium suspectum redderet: Ideo in  
 ipsis posterioribus Literis declaravimus, in hujusmodi casu, neque Confessa-  
 rium prædicto Inquisitionis Officio denunciandum necessario fore, nec ejus de-  
 lictum ejusdem S. Officii, & Tribunalis cognitionis subiectum esse, sed ad cu-  
 juslibet Ordinarii in propria Dicecesi judicium, & correctionem pertinere, pro  
 ut in ipsis secundo loco memoratis Literis latius habetur expressum.

§. 6. Sic igitur iustis respective statutis finibus, tam jurisdictioni Tribunalis  
 Inquisitionis quam Ordinariorum Præfulum auctoritati, persuasum Nobis fuit,  
 certam & tutam rationem procedendi contra Sacerdotes in Sacramenti Pœni-  
 tentiæ administratione, ut præferretur, delinquentes assertam per Nos fuisse.  
 Verum quum deinde Nobis ex parte nonnullorum Ecclesiasticæ pacis zelo fla-  
 grantium fuerit insinuatam, in hujusmodi methodi executione novis pertur-  
 bationibus procul dubio aditum apertum iri; propterea quod nemo esset, qui  
 in casibus discrepantiæ, judicium proferret; quoniam delictum idem in certis  
 quibusdam circumstantiis ad Tribunal S. Officii, in aliis vero ad Ordinarii ju-  
 dicium deferendum fore statueramus; ac præterea demonstratum Nobis fuerit,  
 quod, dempto in aliquibus circumstantiis metu denunciationis eidem Inquisi-  
 tionis Officio faciendæ, id sane sublatum dici poterat, quo maxime homines  
 a patrando pernicioso, & profligato delicto retraherentur. Idcirco Nos, præ-  
 dictam iterum perversam praxim in utrisque præfatis Literis Nostri reproba-  
 tam, atque proscripam, eorum nempe, qui in administrando Pœnitentiæ Sa-  
 cramento, complicis nomen, cum absolutionis denegatione, quatenus reticea-  
 tur, a Pœnitente rescire contendunt, præsentium quoque tenore damnantes,  
 & reprobantes, necnon confirmantes statutam pertinentiam cognitiones hujus-  
 modi causarum prædicto Inquisitionis Officio, quoties delinquentis actus iis  
 circumstantiis, quas in secunda dictis Literis Nostri latius expressimus, con-  
 junctus existat, necnon obligationem denunciandi eidem Officio Confessarium  
 quemcumque, hujusmodi delicti memoratis circumstantiis convelli reum; ex-  
 cepta tamen ab hujusmodi denunciationis onere ipsa persona Pœnitentis in  
 causa propria, juxta id, quod in ipsis præfatis Literis per Nos decretum, &  
 in præsentibus superius relatam fuit; ad reliquas in futurum perturbaciones  
 avertendas, & præcavendas, omnibus mature pensatis, auditisque prudentium  
 Virorum, & in illis rebus apprimè peritorum consiliis, Nostri motu pro-  
 prio, & certa scientia, sequentes ordinationes, & leges ab omnibus, ad quos  
 respective pertinet, & pertinebit in posterum, omnino tenendas, atque ob-  
 servandas, earundem præsentium tenore, & Apostolica auctoritate edicimus,  
 & promulgamus.

§. 7. In primis itaque, exceptis dumtaxat personis Pœnitentium in causa  
 propria, ut supra declaratum est, quas quidem iustis ex causis ab omni de-  
 nunciationis onere eximimus, & pro exemptis in tali casu semper haberi de-  
 cer-

PONT. cernimus, omnibus, & singulis, qui Sacerdotem aliquem sive Sæcularem, sive Anno  
 Regularem ( cujuscumque gradus, & conditionis, & cujuscumque Ordinis,  
 A. X. Congregationis, & Instituti, etiam speciali, & individua mentione digni, ad 1749  
 hoc ut præsentis sanctione comprehendatur, existat ) quocumque alio modo,  
 præterquam ex ipsa confessione semetipsis apud eum peracta, cognoverint in  
 administrando Pœnitentiæ Sacramento interrogasse Pœnitentem de nomine  
 complicitis, eidemque indicari recusanti absolutionem denegasse; sive id fecisse  
 intellexerunt propter adhæsiorem prædictæ reprobatae praxi; aliave de causa  
 erroneæ opinionis suspensionis ingerente; sive id etiam per imprudentiam egisse,  
 & per actum præfatis destitutum circumstantiis, propter quas, juxta præ-  
 cedentem Constitutionem Nostram, prædicto Inquisitionis Officio esset denun-  
 ciandus, & quibus deficientibus, juxta ipsius Constitutionis tenorem, ejus delicti  
 cognitio ad Ordinarii Tribunal spectare debuisset; injungimus, & man-  
 damus, atque in virtute sanctæ obedientiæ, sub eisdem pœnis, quibus ad debitas  
 aliorum delictorum denunciations adstringuntur, præcipimus, & jubemus,  
 ut hujusmodi Confessarium quocumque modo in præmissis delinquentem, sæpe dicto  
 S. Inquisitionis Officio intra consuetum præfiniti temporis spatium omnino deferant,  
 & denuntient.

§. 8. Ubi vero Sacerdos delinquens eidem Sancti Officii Tribunali denunciatus fuerit,  
 vel etiam illius carceribus inclusus, quatenus probationes ad incarcerationem  
 sufficientes habeantur; si forte Ordinarii illius, cujus jurisdictioni reus sub-  
 jectus erit, Procurator in ipso Tribunali S. Officii de more interveniens eas  
 adesse circumstantias crediderit, ob quas delicti cognitio juxta præcedentem  
 Constitutionem Nostram ad Ordinarii Forum spectare debere; ac propterea  
 insteterit, se super hujusmodi pertinentiæ articulo ulterius aut fufius audiri,  
 vel etiam scripto easdem circumstantias & rationes exponere, suæque Curia  
 jura tueri se velle declaraverit; volumus, & statuimus, ut juxta eisdem  
 Tribunalis consuetudinem, satis temporis illi ad scribendum assignetur; neque  
 interea idem Tribunal ad alium actum irretactabilem, multo quominus ad  
 definitivam sententiam adversus reum devenire possit, donec idem Procurator,  
 inter præscriptum sibi tempus, jura Curia Episcopi constituentis sui, vel voce,  
 vel scripto exposuerit.

§. 9. Quoties autem præfatus Ordinarii Procurator controversiam de pertinentiæ  
 causa proponat, eamque examinari postulet; tunc volumus, in ipso S. Officii  
 Tribunali hujusmodi examen fieri; nec omitti posse, absque totius consequentis  
 processus nullitate. Simul autem omnibus, & singulis tum ejusdem Officii  
 Inquisitoribus, & Consultoribus, tum ipsis Ordinariorum Procuratoribus  
 districte mandamus, ut deposita quacumque animi affectione, aut præoccupatione,  
 qua erga proprium respective Tribunal facile ferri possent, coram Deo  
 disquirant, ac videant, an reus de præfato delicto inquisitus, illud cum  
 ejusmodi circumstantiis patraverit, ob quas illius causa, juxta præcedentes  
 Constitutionem Nostram, ad Inquisitionis Tribunal pertinere debere; an vero  
 cum aliis, quæ causam ipsam ex ejusdem Constitutionis lege in Ordinarii Foro  
 judicandam constituunt.

§. 10. Prolato demum ab Inquisitoribus judicio super Causæ pertinentiæ,  
 volumus, & statuimus, ut si quidem Causa adjudicata fuerit Tribunali S. Officii,  
 in hujus potestate reus permaneat, & juxta ipsius Officii leges, & regulas  
 puniatur; si vero judicatum fuerit, Causam ad S. Officii Tribunal non  
 pertinere, idem Officiis, ut ejus fert consuetudo, reum dimittat, & Procurator  
 de reo ita dimisso certiore faciat Ordinarium sui constituentem, ut ea  
 accepta noticia, adversus eundem reum servatis servandis juxta Canonicas San-  
 ctiones possit procedere. Si quis autem præmissum judicii hujusmodi ordinem  
 a Nobis per præsentem constitutum pervertere, aut turbare ausus fuerit, no-  
 verit se omnibus Canonicis pœnis subiectum fore, quæcumque in Sacris Ca-  
 noni-

PONT. nonibus, & Apostolicis Constitutionibus, adversus Ecclesiasticæ jurisdictionis ANNO  
perturbatores, violatores, & invasores lata, & statutæ dignoscuntur.

A. X. §. 11. Præsentem autem litteras, omniaque & singula in ipsis contenta, atque  
1749 que statuta etiam ex eo, quod quicumque cujusvis status gradus, Ordinis,  
præminentia, & dignitatis exsistant, seu alias speciali & individua mentione,  
& expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet  
prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, ne-  
que causæ, propter quas ipse præsentem emanaverint, sufficienter adductæ, ve-  
rificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam privilegiata cau-  
sa, colore, prætextu, & capite de subreptionis, vel obreptionis, aut nullita-  
tis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove  
quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed  
ipsas præsentem Litteras semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exi-  
stere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, &  
ab omnibus & singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit,  
exacte, & inviolabiliter observari decernimus.

§. 12. Sicque, & non aliter in præmissis censi, atque ita per quosque  
Judices ordinarios, & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra Hæreti-  
cam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apo-  
stolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, &  
præminentia fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter  
judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiti debere, ac irritum,  
& inane, si secus super his a quoque scienter, vel ignoranter contigerit at-  
tentari.


§. 13. Non obstantibus aliis præmissis Nostris, aliisque quibusvis Apostolicis,  
& in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis gene-  
ralibus, sive specialibus Constitutionibus, & quorumcumque Tribunalium,  
Curiarumve mandatis, Edictis, sive Decretis, necnon ejusdem Inquisitionis  
Officii, & quarumcumque Ecclesiarum, etiam Episcopali, & Metropolita-  
narum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institu-  
torum etiam Soc. Jesu, aliisque quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione  
Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, usibus, & con-  
suetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Inqui-  
sitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus,  
tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælatibus, Ordinibus, Congregationibus, Insti-  
tutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & Personis quibuslibet; sub qui-  
busvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam efficacissi-  
mis, & insolitis derogationibus clausulis, atque Decretis, etiam motu, &  
Apostolicæ Potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque Personarum,  
etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium  
instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, con-  
firmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis quatenus iisdem præsen-  
tibus adversentur, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eo-  
rumque totis tenoribus specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non  
autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia ex-  
pressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores præ-  
dictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque  
hujusmodi pro plene, & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum,  
hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

§. 14. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, sive exem-  
plis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in  
Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio &  
extra, ubique habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibi-  
tæ, vel offensæ.

PONT. 9. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confir- ANNO  
 mationis, Moderationis, Ordinationis, Præcepti, Statuti, Decretis, & Volun-  
 A. X. tatis infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Si quis autem hoc attentare 1749  
 præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli  
 Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ  
 MDCCXLIX. quinto Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno X.

*D. Card. Passionis.*



N U M. LXXVI.

PONT.

ANNO

REGULARES APOSTATÆ

A. X.

1749

Ad suos Ordines cum pœnarum condonatione revocantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

PASTORIS æterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, paternæ chari-  
 tatis Nostræ partes esse reputamus, ut Oves, quas Sathanæ versutia  
 a caulis Domini abduxit, ad eandem opportunis rationibus reduce-  
 re, & ne in perpetuum pereant, quantum Nobis ex alto conceditur,  
 providere studeamus.

S. I. Itaque in præsentem Anno Jubilæi Anno scilicet remissionis & gratiæ,  
 quem ad totius Catholicæ Ecclesiæ consolationem atque ædificationem, aper-  
 tis, atque largiter prolatis spiritualium gratiarum dispensationi Nostræ divi-  
 nitus creditarum thesauris, indiximus, & benedicente Domino, maximo cum  
 animi Nostri gaudio celebramus, pietatis Nostræ viscera erga Regulares pro-  
 fessionis suæ desertores aperire, eosque ad Christi Ovile, suos videlicet, cu-  
 jusque Ordines, extra quos, Luporum rapacium insidiis, atque periculis expo-  
 siti, misere vagantur, quantum Divina benignitas largiri dignabitur, ut ad  
 salutarem vitæ normam, quam amplexi fuerant, velut postliminio reversi,  
 vota sua Domino reddere studeant, revocare cupientes, ac fel. record. Urba-  
 ni VIII., Clementis X., Innocentii XII., & Benedicti XIII. Romanorum  
 Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Annis Jubilæi tunc instantibus, seu  
 currentibus, ejusmodi Regularium desertorum reductioni provide consuluerunt,  
 vestigiis inhærentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, misericordi-  
 ter indulgemus, ac statuimus, & decernimus, ut Regulares Apostatæ, & Fu-  
 gitivi, cujuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendican-  
 tium, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessario exprimendi,  
 qui citra Montes citra quatuor, ultra Montes vero intra octo Montes, a pu-  
 blicatione earundem præsentium Literarum inchoandos, sua sponte ad suam  
 quisque Religionem redierint, tunc pœnarum omnium ipsis propter Aposta-  
 siam hujusmodi infligendarum, vel infligendarum remissionem, atque impunita-  
 tem assequantur; ita tamen, ut debeat a suo quisque respective Superiore  
 humiliter petere absolutionem, & coram eo culpam fateri, atque emendatio-  
 nem polliceri, & viceversa Superior benigne illos teneatur ab hujusmodi pœ-  
 nis absolvere, & paterna charitate compleri; cui propterea, ad effectum  
 præmissum dumtaxat, quatenus opus sit, omnem facultatem necessariam dicta  
 auctoritate harum serie impertimur.



POST. §. 2. Non obstantibus quibuscumque Apostolicis, seu in U n i v e r s a l i b u s , r o v i n - ANNO  
 A. X. Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & 1749  
 Institutorum, aliusve quibuscumque etiam Juramento, Confirmatione Apostolica,  
 vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stylis, & usi-  
 bus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostoli-  
 cis etiam Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis hujusmodi,  
 illorumque Generalibus, & aliis Superioribus, ac Personis quibuslibet, sub  
 quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam dero-  
 gatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clau-  
 sulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & de Apostoli-  
 cæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contra-  
 rium præmissorum in genere, vel in specie concessis, & quantiscumque vicibus  
 iteratis, approbatis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis,  
 etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus  
 specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non au-  
 tem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia ex-  
 pressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret; teno-  
 res hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in  
 illis tradita observata, exprimerentur, præsentibus pro plene & sufficienter  
 expressis, & insertis, habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præ-  
 missorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæ-  
 terisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Ut autem eadem præsentis Literæ omnibus facilius innotescant, vo-  
 lumus illarum exempla ad Dilectos Filios Nostros, & Apostolicæ Sedis Nun-  
 tios, ac Venerabiles Fratres, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque  
 Ecclesiarum Prælatos, & Locorum Ordinarios transmitti, qui illas quantocitius  
 publicare studeant. Ipsarum vero præsentium Literarum transumptis, seu E-  
 xemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo  
 Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eandem omnino fidem  
 in judicio, & extra illud ubicumque Locorum haberi, quæ haberetur ipsis  
 præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrorum Indul-  
 ti, Statuti, Decreti, Concessionis, Derogationis, & Voluntatis infringere, vel  
 ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indi-  
 gnationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus,  
 se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini-  
 cæ MDCCXLIX. pridie Idus Januarii, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

V I S A D E C U R I A

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✝ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 19. Januarii MDCCCL.

Pars II.

O

NUM.

*Localem nonnulla dubia declarantur post Constitutiones Benedicti XIII. & Clementis XII. excitata, aliaque opportune statuuntur, & præcipiuntur.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**O**FFICII Nostri ratio non eam modo sollicitudinem Nobis imponit, ut Sacrorum Canonum Leges, & Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium, aut perplexum occurrit, exactissime servari, & impleri curemus; sed id etiam a Nobis exposcit, ut exorientem circa aliquas ex illis dubiorum segetem, quæ earum debitæ executioni multis modis officere dignoscitur, opportunitis editis declarationibus, aut definitionibus, amputare, ac removere studeamus.

Sane fel. record. Prædecessor Noster Gregorius XIV. providam Juris Canonici sanctionem præ oculis habens, qua scilicet, sub *Tit. de homicidio voluntario, vel causali cap. i.* innovatum fuit vetus præceptum Legis a Deo in Exodo latæ: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur;* per suam Anno Incarnationis Dominicæ MDXCI. nono Kalendas Junii editam Constitutionem, quæ incipit *Cum alias*, iis, qui proditorie proximum suum occidissent, ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa confugientibus, Ecclesiasticam Immunitatem minime suffragari decrevit. Tum vero piæ memoriæ Prædecessor quoque Noster, ac dignitatis Nostræ amplificator Benedictus Papa XIII. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXV. sexto Idus Junii, edita Constitutione, quæ incipit *Ex quo Divina*, non eos tantum, qui proditorie, ut præfertur, homicidium patrasent, verum etiam interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusit, & repulit. Demum san. mem. proximus Decessor Noster Clemens Papa XII. in sua Constitutione, quæ incipit *in supremo Justitia solio*, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIV. Kalendis Januarii edita, eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset causale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis prædictæ beneficio minime gaudere voluit, atque decrevit.

Insuper iidem proxime memorati Prædecessores Benedictus, & Clemens, ad ea, quæ in Jure Canonico, & in Gregoriana Constitutione recensebantur, nonnulla alia delicta addiderunt, quæ si qui commisissent, eos a prædicto Beneficio asyli, & confugii apud Ecclesias, & loca sacra & Religiosa, exclusos fore statuerunt, variasque a Doctoribus, ac dicti Juris, & Constitutionum Apostolicarum Interpretibus, de Immunitate locali agentibus, excitatas quæstiones, & controversias, declarando ac definiendo susulerunt; ut ex eorundem Constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex unæ Nostris Institutionibus, quam olim dum Archiepiscopalem Bononiensem Ecclesiam præsentem moderabamur, pro illius Populi curæ Nostræ concediti instructione, edidimus, quæque impressa extat *Tomo II. Editionis Italicæ n. XXI. in Latina vero Editione num. LXI.*

Ad hoc autem, ut Curia aliqua Ecclesiastica, in casu alicujus ex delictis exceptis hujusmodi, ad extractionem Delinquentis e loco immuni procedere, eumque ad suos Carceres transferre posset, quam præfactus Benedictus Prædecessor

PONT. cessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate, ac personæ reita- ANNO  
 te, ea suppeterent indicia, quæ ad capturam decernendam sufficientia reputari  
 A. X. solent; ut vero extractum huiusmodi Ministris, & Officialibus Curix Sæculari 1749  
 ris, tradere, & consignare valeret, ea decrevisset indicia ex processu informa-  
 tivo adversus extractum ipsum confecto resultare debere, quæ, juxta regulas  
 Juris, vocantur *ultra torturam*; alter deinde Prædecessor Clemens XII. ampli-  
 ando decrevit, ut quoties Ecclesiastico Judici, ex indiciis, non quidem ultra  
 torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extra-  
 ctum huiusmodi Curix sæculari tradere, & consignare. Cæterum iidem Præ-  
 decessores nec auctoritatem Ecclesiasticam ullo pacto per præmissa imminui,  
 nec inde ullam iustitiæ lædendæ occasionem captari posse voluerunt. Siquidem  
 exactiones Delinquentium huiusmodi e loco immuni numquam sine auctori-  
 tate Episcopi, & interventu Personæ Ecclesiasticæ ab ipso Episcopo deputandæ,  
 fieri posse statuerunt, nec unquam extractos ipsos, prædictis etiam concurren-  
 tibus indiciis, Curix Sæcularis Officialibus tradi, & consignari, nisi ea lege,  
 sub gravissimarum censurarum pœnis servanda, ut Ecclesiæ, seu loco immuni  
 restituerentur, quatenus in progressu Causæ iidem extracti indicia huiusmodi  
 purgarent, atque diluerent.

Cum autem ea, quæ per Clementem Prædecessorem prædictum, Juris com-  
 munitatis, & Gregorianæ, ac Benedictinæ Constitutionum Sanctionibus addita fue-  
 runt, ultra fines temporalis Domini Apostolicæ Sedis minime extenderentur,  
 visum est Nobis, eadem ad alias quoque Regiones, quarum Supremi Princi-  
 pes id postulassent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tum,  
 quæ Anno MDCCXII. cum Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo utrius-  
 que Siciliæ Rege illustri, tum quæ Anno sequenti MDCCXIII. cum alio pa-  
 riter Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Emanuele illustri quoque Sar-  
 dinix Rege sancita fuerant, præmissas, aliasque in Clementis Litteris præfatis  
 contentas dispositiones, in eorundem Regum Dominiis locum habere concessis-  
 simus, mox etiam ad alia Principum id expetentium dominia, peculiaribus re-  
 spective editis Litteris, quarum exemplum videre est in Tomo I. Bullarum No-  
 stri Constitutionib. LXXXVIII. quæ incipit *Alias felicis*, extendimus, & am-  
 pliavimus.

Verum, quum tot ista per Prædecessores Nostros prædictos, ac per Nos ip-  
 sos adhibita studia, non omnes quæstiones, quæ in Tribunalibus excitari so-  
 lent, tam super qualitatibus homicidiorum, quæ pro exceptis haberi, debeant,  
 quam super modo exequendi præfatas Constitutiones in variis homicidiorum  
 huiusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, de medio tollere, seu  
 penitus antevertere valuerint; id adhuc oneris Nobis relictum esse judicavi-  
 mus, ut constitutas in hoc rerum genere agendi regulas, ad quas sæpissime  
 tam Ecclesiasticorum, quam Sæcularium Judicum acta expendere, & exigere  
 necesse est, nequaquam ultra difficultatibus, & dubiis involutas remanere pa-  
 teremur. Itaque, omnibus mature pensatis, auditisque nonnullorum Venera-  
 bilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorum gra-  
 vium Virorum, Jurisque Canonici peritorum, & in criminalibus judiciis ver-  
 satorum consiliis, Motu proprio, ac de Apostolicæ, qua fungimur, auctori-  
 tatis plenitudine, Nostram, & Prædecessorum Nostrorum mentem in hunc,  
 qui sequitur, modum declarare, & quædam etiam ex integro, ut infra, statue-  
 re decrevimus.

Ac primum quidem, cum in memorata Gregorii Prædecessoris Constitutio-  
 ne, quæ incipit *Cum alias*, dum ea delicta enumerantur, quæ ab Ecclesiasticæ  
 Immunitatis beneficio exclusæ censeri debent, de laicis delinquentibus dumtaxat  
 mentio habeatur, deque his etiam tantummodo loquutus fuerit alter Præ-  
 decessor Benedictus in supradicta Constitutione, quæ incipit *Ex quo Divina*;  
 placuit latdato prædecessori Clementi XII. huiusmodi Constitutiones per suam,

PONT. quæ incipit *In supremo justitiæ folio*, ad Ecclesiasticos etiam cujuscumque gra- ANNO  
 A. X. dus, & ordinis, homicidium animo præmeditato ac deliberato patran- 1749  
 tendere, & ampliare; ita ut nec ipsi, in hujusmodi casu, Ecclesiastica Im-  
 munitate juvari possint: dummodo tamen commissi per hos homicidii Causa  
 ab eorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei  
 reperti fuerint, citra pœnam sanguinis, ad præscriptum Sacrorum Canonum  
 condigna puniantur animadversione.

Cum autem dubitatura fuerit, an sub hæc Clementis Prædecessoris ampli-  
 atione, & extensione Regularium quoque Ordinum Prædecessores, & Alumni  
 comprehendantur; Nos, ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decer-  
 nimus, & declaramus, omnes & singulos cujuscumque Ordinis, Congregatio-  
 nis, Militiæ, & Instituti Regulares, tam in ipsis expressè Professos, quam  
 illis quomodolibet adscriptos, cujuscumque gradus & conditionis extiterint,  
 etiamsi ex ipsorum Ordinum Privilegio, seu alius, quælibet expressa & indi-  
 vidua mentio de ipsis, eorumque Ordinibus, ad hoc ut sub præsentis, aut  
 præmissarum Constitutionum censura comprehendantur, habenda foret, si qui  
 unquam, quod Deus avertat, homicidium animo præmeditato ac deliberato  
 patnaverint, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ, juxta formam eorundem  
 Constitutionum Benedicti, & Clementis, exclusos fore, & centeri.

Et quoniam prædictus Clemens Prædecessor speciali Decreto edito die v. O-  
 ctobris Anni MDCCXXXVI. expressè declaravit, mulieres etiam, quæ aliquid  
 delictum ejusmodi commisissent, quod inter excepta, & ab Immunitatis lo-  
 calis beneficio excluso, juxta præmissa, haberi debeat, pari jure hac in re  
 cum Viris centeri, & sub dispositione ipsius Literarum incipien. *In supremo  
 Justitiæ folio*, æque in omnibus comprehendi debere; Nos hujus nostræ Con-  
 stitutionis tenore declarationem prædictam approbamus, & confirmamus, ei-  
 que inviolabilis, legis, juxta quam in occurrentibus casibus judicari omnino  
 debeat, plenarium robur adjicimus: Decernentes similiter, ac declarantes, sub  
 ejusdem Clementis, nostræque hujus Constitutionis dispositione, etiam milites  
 in omnibus, & per omnia comprehensos esse, nec ullum militare privilegium,  
 hac in parte, ipsis suffragari posse, aut debere.

Præterea quum in præfata Clementis Deccessoris Constitutione ab Immuni-  
 tatis prædictæ beneficio excludantur omnes, & singuli tam Laici, quam Eccle-  
 siastici inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati,  
*ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instru-  
 mentis suapte natura aptis ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit ca-  
 suale, vel ad propriam defensionem: sæpe disputari conrigit, an is, qui non  
 casu, vel ex propriæ defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit  
 baculo, aut saxo, quæ scilicet vel arma non sunt, vel si ita appellari pos-  
 sent, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent; ab  
 Immunitatis localis beneficio exclusus haberi debeat. Nos igitur super hujus-  
 modi dubio definiendo decernimus, quemcumque Homicidam sive Virum, sive  
 Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum Sæcularem, aut cujusque Ordinis  
 Regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occiderit, Ecclesia-  
 stici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignosca-  
 tur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria  
 defensione, sed ex odio, & nocendi animo, ac voluntate prodiisse. Quæ qui-  
 dem definitio nostra conformis est Divinæ Legi, quæ habetur in Libro Numem-  
 rorum cap. xxxv., ubi, designatis Civitatibus refugii pro iis, qui sanguinem  
 proximi nolentes effudiderit, ita subjungitur: *Si quis ferre percusserit, & mor-  
 tuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, & ipsi morietur. Si lapidem  
 jecerit, & ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus intierit, per-  
 cussoris sanguine vindicabitur. Propinquus occisi Homicidam interficiet: statim ut  
 apprehenderit, eum interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit*  
 quip.*

PONT. quippiam in eum per insidias, aut, cum esset inimicus, manu percusserit, & ille ANNO  
 A. X. mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit: cognatus occisi, statim ut invenerit 1749  
 eum, jugulabit: quod si fortuito, & absque odio, & inimicitiiis, quidquam horum  
 fecerit, & hoc, audiente populo, fuerit comprobatum, atque inter percussorem, &  
 propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, &  
 reducetur per sententiam in Urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec  
 Sacerdos magnus qui Oleo Sancto unctus est, moriatur.

Accidit autem in homicidiis id, quod in aliis delictis exceptis locum cum non habet, ut qui percussus, aut ictus fuerit, non statim moriatur, sed plerumque per aliquot horas, aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad Ecclesiam, aliumque locum immunem confugiens, asyli jure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quamdiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de faucibus vita sollicitè explorare non desinit, si eum diutius victurum intelligit, a capto asylo nequaquam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnoscit, arrepta fuga, Magistratum diligentiam pervertens, tempestive sibi consulit, meritaque poenas evadit. Quod quum ab iis, qui justitiæ administrandæ præpositi sunt, Nobis expositum fuerit persæpe evenire, & quidem non sine magna publicæ tranquillitatis perniciæ, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex hujusmodi evasione fiducia concipiunt: iidemque postularint, hujusmodi malum opportunis providentiæ nostræ remediis submoveri.

Ideo Nos, de prædictorum Fratrum nostrorum, aliorumque prudentium consilio, per præsentis decernimus, ac mandamus, ut percussore ad Ecclesiam, aliumve Sacrum aut Religiosum locum confugiente, si Chirurghi ad inspiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni, servatis servandis, extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, & quidem sub iisdem præmiis, quibus in memoratis Benedisti, & Clementis Literis ii subsiciuntur, qui delinquentem ex iudiciis ad torturam sufficientibus sibi traditam restituerunt reculerent, postquam in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Quod vero in citata Gregorii Prædecessoris Constitutione circa facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis statutum fuit; ut scilicet ea ad solos Episcopos, aliosque Episcopos superiores Prælatos pertineat, non vero ad alios Episcopos inferiores, etiam si alii Ordinarii sint, aut nullius Diocesis, ita ut, occurrente casu in loco exempto, & nullius Diocesis, tunc negotium hujusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur; id quod ab alio quoque Prædecessore Benedicto in superius allegata ipsius Constitutione confirmatum fuit, id ipsum Nos quidem præsentium Literarum tenore approbamus, & confirmamus. Sed quoniam nonnullæ ad Nos querelæ super hoc delatæ fuerant, quod quædam Curie Ecclesiasticæ pro parte Officialium Curie Sæcularis requisitæ, extractionem delinquentium in casibus exceptis hujusmodi diutius quam par est, protrahere consueverunt; Nos ipsis Venerab. Frat. Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiarum Præsulibus, enixe studioseque suademus, & respectively mandamus, ut omnem querelarum occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, & quoties de delinquentibus in casibus exceptis hujusmodi agatur, ad opportuna indicia adversus eos colligenda animum intendere actu recusent; sique ea, quæ juxta præmissa requiruntur, re vera suppetere agnoscant, eorumdem delinquentium extractionem e loco immuni quamprimum decernant, ut vel in Episcopalibus Carceribus nomine Ecclesiæ detineantur, vel etiam ad Curie Læcalis Carceres ejusmodi Ecclesiæ nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim Ecclesiæ sicuti zeli officium in eo statuendum est, ut justitiæ cursus per Apostolicas Constitutiones præscriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum

PONT. in Ecclesiæ immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum, & perso- ANNO  
narum juribus asserendis, & sustinendis, quum ea, contra sacrarum legum  
A. X. præscriptum infringi, ac violari contingat. Quum tamen hujusmodi moras 1749  
tunc maxime intervenire putemus, quum præfata delicta excepta non in Ci-  
vitatibus, sed per Dioceses, in locis a Curia Ecclesiasticæ residentia remotis,  
perpetrantur; idcirco Nos per easdem præsentibus prædictis Episcopis, aliisque  
superioribus Prælatibus facultatem concedimus, & impertimur, ut, quoties in  
hujusmodi casibus pro parte Curia Laicalis requisiti fuerint, Vicariis suis Fo-  
raneis, sive etiam aliis personis Ecclesiasticis ad id per ipsos Antistites depu-  
tandis, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria juridice col-  
ligant; ut, his nimirum inspectis, iisdem Antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant.

Et quidem omnia, quæ per præsentibus hucusque declaravimus, definitivimus, atque statuimus, tam in hac Urbe Nostra, & in Bononiæ, Ferrariæ, Beneventana, aliisque omnibus Civitatibus, Terris, & Locis, Nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis, etiam specialem, & individua mentionem requirentibus, eorumque Curia Ecclesiasticis, & Sæcularibus, etiam Baronibus, quam etiam in aliis Regnis, Provinciis, atque Ditionibus, ad quas dictæ Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, sive peculiariibus concessionibus, ut supra, sive per viam concordati, extensæ, & ampliata fuerunt (quatenus nimirum congruere dignoscantur cum eisdem Concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus) locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis Ditionum, Regnorum, Locorumque hujusmodi tam Ecclesiasticarum, quam Sæcularium Curiarum Judicibus, Magistratibus, Officialibus, & Ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, per omnia observari volumus, atque decernimus.

Illud etiam, quod in præallegatis Nostrorum Prædecessorum Constitutionibus, sub gravissimarum pœnarum interminatione, directe vetitum fuit, nempe scilicet Curia Sæculares, eorumque Magistratus, Judices, & Officiales quicumque; ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticæ auctoritatis interventu, capere, extrahere, aut incarcerare; neve ad declarandum, crimina a prædictis admissa esse de exceptis in eorumdem Prædecessorum Constitutionibus (quum id ad solos, ut præfertur, Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant seu præsumant; Nos quoque iisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, & innovamus; atque ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, inviolabiliter etiam perpetuo observari præcipimus; contrafacientes quoque, & transgressores, easdem omnes pœnas, quæ in præallegatis Constitutionibus indictæ sunt, omnino incurrere statuimus, & sancimus: Decernentes, in numero transgressorum hujusmodi eos etiam esse & censeri, qui, in spectum Ecclesiasticæ auctoritatis, & Canonicarum Sanctionum, præscripto ad Superiores Ecclesiasticos recursum posthabito, Ecclesias, & loca immunita obsidere præsumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui Sacro confugio se tinentur, alimenta deferantur, sive aliter, eisdem in Curia Sæcularis potestatem se dedere cogunt; Mos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes & singulas pœnas, atque censuras adversus Ecclesiasticæ Immunitatis violatores, in jure, ac in prædictis Constitutionibus Apostolicis latas atque statutas, incurrere decernimus ac declaramus. Sane hujusmodi artes atque violentias aliis etiam retro temporibus intentari consuevisse non ignoramus, sed simul etiam ab Ecclesia damnatas semper, atque proscriptas fuisse comperimus; idque satis demonstrant ea quæ in pluribus Provincialibus Conciliis, labentibus decimotertio, ac decimoquarto Ecclesiæ sæculis, statuta leguntur.

PONT. guntur: ibi enim expositis Ecclesiarum circumfessionibus, interceptione alio- ANNO  
 mentorum, aliisque artibus, quibus ii, qui ad Ecclesias confugerant, ad dedi-  
 A. X. tionem adigebantur, quicumque similia attentare præsumperint, anathematis 1749  
 macrone feriuntur. Et Nos igitur, qui Ecclesiæ spiritum circa præmissa to-  
 ties aperte declaratum, atque a Prædecessoribus Nostri constantiter servatum,  
 exuere neque possumus, neque volumus, eidem per omnia inhærentes, decer-  
 nimus, & declaramus, omnes & singulos, qui sub Ecclesiasticæ Immunitatis  
 tutela degentibus, hujusmodi ratione vim inferre ausi fuerint, præter alias  
 pœnas, atque censuras adversus ejusmodi Immunitatis violatores, ut præfer-  
 tur, latas atque sancitas, sine alia declaratione incurrendas, omni beneficio,  
 ac privilegio Ecclesiastici confugii, & asyli tam apud Ecclesias, & loca immu-  
 nia ab ipsis sic violata, quam apud alias quascumque Ecclesias, & Loca Sa-  
 cra, & Religiosa, indignos, atque privatos fore, & habendos esse, non secus  
 ac alii omnes, qui confugientibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia, aliove lo-  
 co immuni, violenter extrahunt, & adducunt; quos scilicet laudatus Prædeces-  
 sor Benedictus VIII. in sua allegata Constitutione, non illius tantum Ecclesiæ,  
 quam violarint, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ immunitate gaudere ne-  
 quaquam posse aut debere declaravit; & quorum Nos numero supradictos etiam  
 jure & merito accensendos esse decernimus.

Denique quum, sicut accepimus, inter temporalis Domini Nostri, ac non-  
 nullarum finitimarum Ditionum Curias, reciproca quædam consuetudo inole-  
 verit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex Ditionibus hujusmodi com-  
 miserint, & intra fines alterius se receperint, instante Curia illius Ditionis,  
 in qua delictum commissum fuit, capiantur, eidemque Curie tradantur; cum-  
 que, sicut etiam Nobis expositum fuit, hujusmodi traditionibus aliquando mo-  
 ram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujusmodi, in Terris, ad  
 quas confugerunt, sub Ecclesiæ alicujus, vel alterius loci immunitatis tutela se  
 receperint: Idcirco Nos, Ecclesiasticæ Immunitatis rationes cum recta Justitiæ  
 administratione, & Reipublicæ tranquillitate opportune copulare volentes, de-  
 cernimus, & mandamus, ut, si hujusmodi confugientes delictum aliquod ex  
 iis, quæ in Apostolicis Constitutionibus præfatis excepta sunt, in tempora-  
 li Romanæ Ecclesiæ dominio pataverint, indicia ad capturam requisita, ab  
 Episcopo Diocesano, seu respective viciniore illius loci, in quo delictum com-  
 missum fuit, excipiantur, seu cumulentur, eaque ad Episcopum alterius loci,  
 in quo delinquens asylum cepit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum,  
 quatenus traditioni præfate locus esse debeat, extractionem delinquentis e loco im-  
 muni, auctoritate sua; & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, fieri mandet.  
 Eademque ratione, si in præfatis aliorum Principum Ditionibus, in quibus  
 traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit,  
 quod, sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Constitutionis, sive ratione  
 Concordati cum Apostolica Sede initi, sive extensioni alterius Constitutionis  
 Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratæ, pro excepto  
 haberi debeat; volumus, & statuimus, ut Episcopus ille, ad quem, ratione  
 loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam re-  
 quisita cumulati faciat, eaque transmittat ad Episcopum Ditionis Ecclesiasti-  
 cæ, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit; ut hujus  
 scilicet Antistitis auctoritate, aliisque servatis servandis, a confugii loco ex tra-  
 hi, ac, si ita res fert, externæ postulanti Curie valeat consignari. Volumus  
 tamen, in quolibet ex præmissis casibus, in quibus delictis, ut supra, exceptis  
 tantummodo agitur, prædictarum Benedicti, & Clementis Constitutionum, seu  
 Concordatorum respective leges, atque tenores inviolabiliter observari; tum  
 scilicet in eo, ut delinquens Ecclesiæ nomine in carceribus retineatur; tum et-  
 iam in eo, ut per Episcopos dumtaxat, private quoad omnes alios etiam  
 Ecclesiasticos Judices, ex indicis, ut præfertur, ad torturam sufficientibus, decla-

FONT. declaretur, an delictum, de quo est quæstio, inter excepta connumerari de-  
 beat, nec ne; tum denique in eo, quod pertinet ad obligationem restituendi  
 A. X. reum ad formam dictarum Constitutionum, quatenus is in progressu causæ, 1749  
 indicia hujusmodi sibi adversantia purgaverit, atque diluerit.

Ipsas demum præsentem Litteras, & in eis contentæ quæcumque, perpetuæ  
 firmitatis vim, & robur habere, suoque integros atque plenarios effectus, in  
 locis atque Ditionibus prædictis, ac respective uniuscuique locorum, & gentium,  
 sortiri, & obtinere, atque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quo-  
 quomodo pro tempore spectabit in futurum, etiam sub statutis pœnis, atque  
 censuris per contravenientes ipso facto incurrendis, omnino servari; sicque  
 & non aliter, in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delega-  
 tos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, &  
 Cardinalium hujusmodi Congregationes, & Apostolicæ Sedis Nuncios, nec non  
 Sæculares Curias, & Magistratus, etiam supremos, aliosve quoslibet, quacum-  
 que præminencia, & potestate fungentes, & functionarios, etiam speciali nota,  
 & mentione dignos, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi,  
 & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere decerni-  
 mus, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate  
 scienter, vel iguoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet Apostolicis Constitutionibus,  
 Regulis, & Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiasticarum, aut  
 Sæcularium Curiarum legibus, edictis, statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam  
 immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & facultatibus, quibusvis per-  
 sonis, etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcumque sublimi di-  
 gnitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, & urgen-  
 tissimis causis, seu quibuscumque Regularium Ordinibus, etiam Mendicantium,  
 & Militaribus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, seu Monachorum, aut Cle-  
 ricorum Regularium Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Soc.  
 Jesu, aliisque quibusvis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & for-  
 mis, & cum quibuscumque clausulis, & decretis, etiam motu, & potestatis  
 plenitudine similibus, seu consistorialiter, ac aliis quomodolibet in contrarium  
 præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus,  
 & singulis, illorum tenores, formas, & causas præsentibus prolene, & suf-  
 ficienter expressis, atque etiam insertis, ac respective servatis habentes, ad  
 præmissorum effectum, hæc vice duntaxat, prædictis motu, scientia, & po-  
 testatis plenitudine derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque con-  
 trariis quibuscumque; seu si aliquibus communiter, aut divisim ab hac eadem  
 sit sede indultum, quod nullo in casu, seu extra certos casus, certisque de  
 causis excommunicari, suspendi, aut interdicti non possint, nisi per Litteras  
 ejusdem Sedis, facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de In-  
 dulto hujusmodi mentionem.

Ut autem præsentem Litterarum, & in eis contenta hujusmodi ad omnium noti-  
 tiam perducantur, nec quisquam de eis ignorantia prætereunda valeat, volumus  
 eandem ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Aposto-  
 lorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis Innocen-  
 tianæ, aliisque locis solitis, & consuetis ejusdem Urbis, per Cursores nostros,  
 ut moris est publicari, earumque exempla affigi, sicque publicatas, & affixas,  
 omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde affice-  
 re, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; ear-  
 um quoque Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicujus No-  
 tarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitu-  
 tæ munitis, eandem fidem, in iudicio & extra illud ubique haberi, quæ ip-  
 sis præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, & ostenderentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum declarationum,  
 ach-



PONT. definitivum, ordinationum, confirmationum, prohibitionum, mandatorum, ANNO  
 decretorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si  
 A. X. quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac 1750  
 B. B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.  
 Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ  
 MDCCLXIX. Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

WISA DE CURIA

J. C. Boschi.

Loco # Plumbi.

J. B. Eugenius.



PONT.

N U M. LXXVIII.

ANNO

A. XI.

E X T E N S I O

1750

*Universalis Jubilæi in Urbe celebrati Anno Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo, ad universum Catholicum orbem.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I

*Universis Christianis presentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**B**enedictus Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui dedit Nobis elapsam Jubilæi Annam secundum desideria cordis Nostri, per omnia felicem, fastumque transigere. Repleti sumus consolatione, superabundavimus gaudio, dum toto hujus Anni decursu, Dilectorum in Christo Nostrorum Ecclesiæque Filiorum fidem, religionem, pietatemque perspeximus. Vidimus confluentes ad hanc Urbem Nostram innumeros ex omni lingua, & populo, & natione, ex omni ordine, ætate, ac sexu, Christiani fideles, qui ipso adventu, & propriæ fidei fervorem, & amplitudinem Regni Dei testabuntur. Eosdem vidimus ad sacra ejusdem Urbis Tempia certatim accurrentes, in spiritu contrito, & humiliato, animarum suarum expiationi consulere, & sicut olivarum novellas in circuitu Mensæ Domini, vivificæ Christianæ unitatis, & pacis Sacramenta percipere: Tum etiam impigro studio, & religiosâ frequentia, ab una ad alteram sæpe procedentes Ecclesiam; nunc in Constantiniana Lateranensi Basilica, Salvatoris Nostri clementiam, per merita ipsius Beati Præcursoris, ejusdemque dilecti Discipuli & Evangelistæ exorantes; nunc in Liberiana Æde in Exquilis, gloriolæ Virginis Dei Genetricis opem, atque præsidium implorantes; nunc Sacram Apostolorum Principis Confessionem in Vaticano; nunc via Ostiensi Doctoris Gentium Martyrium osculantes, uberibusque lacrymis perfundentes, pro Ecclesiæ Catholicæ pace, & exaltatione, cunctorumque credentium incolumitate, & salute, unanimes ferventesque preces effundere. Quo spiritali gaudio auribus ejusdem Urbis vias, & fora areas, & colles, piis precationibus, suavis cantibus, ac Divini Nominis laudibus personare! Quoties commota sunt paterna viscera nostra, dum confertissimos vidimus Fidelium greges, Nostri pedibus circumfusos, in persona humilitatis Nostre, Vicariam Christi potestatem ve-

Pars II.

P

nera-

PONT. nerari, ac B. Petri Apostolatum, cujus dignitas in indigno hærede non defi- ANNO  
 A. XI. cit, effusis filiali obsequii significationibus prosequi! His populorum fragran-  
 tibus studiis Sacrorum præluxerunt exempla Pastorum, qui ad honorandam de 1750  
 more memoriam ejusdem Beatissimi Ecclesiæ Principis, hoc anno potissime fre-  
 quentes se contulerunt, & quorum Nos splendida Corona stipati, sacros Con-  
 ventus maxima cum dignitate, universæque Fraternitatis ædificatione, cele-  
 bravimus. Quid vero dicemus de Venerab. Fratribus Nostri Sanctæ Romanæ  
 Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque Curia Nostre Proceribus, qui piorum assiduitate  
 cæteris præeuntes, simulque Christianæ humilitatis exercitationibus infra quos-  
 cumque, licet abjectæ fortis, Fratres sese demittentes Christi bonus odor facti  
 sunt universæ Civitati, & omnibus, qui fuerunt in ea? Quid denum de to-  
 tius dilectissimæ Urbis Cleri, ac Populi devotione narrabimus, cujus pietatis  
 exempla, cujus charitatis officia erga advenas, & peregrinos, hoc Anno præ-  
 fertim largiter ac sedulo impensa, in universo mundo annuncianda fore non  
 dubitamus? Benedicti Filii Nostri, Romanæ Urbis Cives, & Incolæ, qui fe-  
 cerunt hanc misericordiam cum Fratribus suis. Nos autem confitebimur Do-  
 mino, quoniam benignus est, quoniam consolationes ejus lætificaverunt ani-  
 mam Nostram.

Sed præterea magna a Nobis spes jure ac merito concepta est, eundem  
 Clementissimum Dominum, imploratam votis Nostri misericordiam suam Nobis  
 ostensurum, idque demum Ecclesiæ suæ largiturum fore, quod tam con-  
 cordibus studiosisque obsecrationibus a se postulari concessit: ut scilicet Eccle-  
 siam ipsam Catholicam, & Regnum Filii sui, per totum terrarum Mundum  
 purget erroribus; ut inter Christianos Principes concordiam, & pacem con-  
 firmet; universamque Christi sui plebem ab omni mundana adversitate defen-  
 dens, ad æternæ salutis portum dirigat, atque perducatur. Quod ut ab eo-  
 dem Deo Optimo Maximo fidentius petere audeamus, de prædictorum Fra-  
 trum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, decrevimus,  
 Universos Christianifideles, qui ubique locorum, & gentium unius Fidei com-  
 munionem Nobis junguntur, in hujusmodi votorum societatem adscire, aperto-  
 que largius Indulgentiarum Thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore, ut  
 dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per pœnitentiam eluen-  
 do, se comparabunt, ac pio devotionis affectu ferventes, debitæque erga Se-  
 dem Apostolicam observantiæ specimen in hoc ipso præferentes, injuncta  
 pietatis & religionis opera exercent, & singulis in semetipsis, id quod  
 pro aliis postulabunt, obtineant; & quas pro Fratribus preces supplicatio-  
 nesque offerent, eidem honorum omnium largitori, innocentia, & charitatis  
 suæ merito commendent.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apo-  
 stolorum ejus auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi potestate,  
 quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus & singulis utriusque  
 sexus Christianifidelibus, in quacumque mundi parte existentibus, & in Apo-  
 stolicæ Sedis gratia & obedientia manentibus, etiam iis, qui forsitan elapso Anno  
 Romam venerunt, ibique seu alibi, quavis ratione, hoc idem Jubilæum a  
 Nobis concessum adepti sunt, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Com-  
 munionem refectis, qui intra sex menses, a die publicationis præsentium in  
 qualibet Diœcesi faciendæ computandis, Ecclesiam ipsius Cathedralis, seu Ma-  
 jorem, aliasque tres ejusdem Civitatis, aut Loci, sive in illius suburbis exi-  
 stentes, ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, aliisque de ipsorum man-  
 dato, designandas, semel saltem in die, per quindécim continuos, vel inter-  
 polatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Ves-  
 peris unius diei, usque ad integrum ipsius subsequenti diei vespertinum cre-  
 pusculum, devote visitaverint, ibique pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatio-  
 ne, Hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani  
 popu-

PONT. populi salute, & tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissi- ANNO  
 mam ejusdem Anni Jubilæi omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remis-  
 sionem, & veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor Basilicas, seu 1750  
 A. XI. Ecclesias, intra, & extra Urbem pro consequendo Jubilæo hujusmodi a No-  
 bis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent, & alia ad hoc re-  
 quisiita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Navigantes vero, & iter agentes, ut, si post elapsos menses hujusmodi,  
 ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, superscriptis  
 peractis, & visitata totidem vicibus Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut Pa-  
 rochiali loci eorum domicilii, seu stationis hujusmodi, eandem Indulgentiam  
 consequi possint, & valeant: Nec non prædictis Locorum Ordinariis, ut cum  
 Monialibus, Oblatis, aliisque Puellis, aut Mulieribus, sive in Monasteriorum  
 Clausura, sive in aliis Religiosis, aut piis Domibus, & Communitatibus vitam  
 degentibus, Anachoretis quoque, & Eremitis, ac aliis quibuscumque tam Lai-  
 cis, quam Ecclesiasticis Personis, Sæcularibus, vel Regularibus in Carcere, aut  
 Captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque  
 impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint,  
 super præscriptis hujusmodi visitationibus tantummodo; cum Pueris autem,  
 qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione  
 hujusmodi, dispensare, ac illis omnibus & singulis, sive per se ipsos, sive  
 per eorum, earumque Regulares Prælatos, aut Superiores, vel per prudentes  
 Confessarios, alia pietatis, charitatis, ac religionis opera, in locum visita-  
 tionum hujusmodi, seu respective in locum Sacramentalis Communionis præ-  
 dictæ, ab ipsis adimplenda præscribere; atque etiam Capitulis, Congregatio-  
 nibus tam Sæcularium, quam Regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus,  
 universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, Ecclesias hujusmodi processionaliter  
 visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum, pro suo prudenti ar-  
 bitrio, reducere possint ac valeant, earumdem tenore præsentium, concedimus  
 pariter, & indulgemus.

Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis, ut sibi, ad hunc effectum,  
 Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali  
 Ordinario loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum; cæteris  
 autem omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Laicis,  
 quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & In-  
 stituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, licentiam concedimus, &  
 facultatem, ut sibi ad eundem effectum eligere possint quemcumque Presbyte-  
 rum Confessarium, tam sæcularem, quam cujusvis etiam diversi Ordinis, &  
 Instituti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum Civitatibus,  
 Diœcesibus, & Territoriis Confessiones hujusmodi excipiendæ erunt, ad per-  
 sonarum Sæcularium Confessiones audiendas approbatum, qui intra dictum se-  
 mestris spatium, illas, & illos, qui scilicet præsens Jubilæum consequi sine-  
 re, & serio statuerint, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, & reliqua ope-  
 ra, ad id lucrandum necessaria adimplendi ad Confessionem apud ipsos pera-  
 gendam accedant, hac vice, & in foro conscientia dumtaxat, ab Excommu-  
 nicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis Sententiis & Censuris, a jure  
 vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis, etiam Ordinariis Locorum,  
 ac Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita,  
 seu per alias quascumque Apostolicas Constitutiones quomodocumque reserva-  
 tis, & a Sacris Canonibus fulminatis; nec non ab omnibus peccatis, & ex-  
 cessibus, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam iisdem Ordinariis,  
 ac Nobis, & Sedi Apostolicæ, ut præfertur, reservatis, injuncta ipsis pœni-  
 tentia salutari, aliisque de jure injungendis, absolvere; nec non Vota quæ-  
 cumque, etiam jurata, ac Sedi Apostolicæ reservata ( castitatis, Religionis,  
 & Obligatoris, quæ a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de præ-

**PONT.** judicio tertii, semper exceptis; nec non pœnalibus, quæ præservata a peccato Anno  
 to nuncupantur, nisi commutatio futura judicatur ejusmodi, ut non minus a.  
**A. XI.** peccato committendo refrænet, quam prior voti materia ) in alia pia, & sa- 1770  
 lutaria opera commutare; & cum Pœnitentibus hujusmodi in Sacris Ordini-  
 bus constitutis, etiam Regularibus, super occulta Irregularitate ad exercitium  
 eorumdem Ordinum, & ad superiorum assecutionem, ob Censurarum violatio-  
 nem dumtaxat contracta, dispensare possint & valeant, eadem auctoritate, &  
 Apostolicæ benignitatis amplitudine, concedimus & indulgemus.

Non intendimus autem per præsentis super aliqua alia Irregularitate vel  
 publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabi-  
 litate quoquomodo contractis, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere su-  
 per præmissis dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi,  
 etiam in foro conscientiæ, neque etiam ulli Confessario facultatem absolven-  
 di Complicem in quolibet inhonesto contra sextum Præceptum peccato; aut  
 Complici Confessarium hujusmodi ad effectum præsentium eligendi licentiam  
 impertiri, ut jam in aliis Nostri Literis incipien. *Sacramento Pœnitentiæ*,  
 Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo primo,  
 Kalendis Juniis, Pontificatus Nostri Anno Primo edicis, generaliter declara-  
 rum fuit; neque demum easdem præsentis iis, qui a Nobis, & Apostolica  
 Sede, vel ab aliquo Prælate, seu Judice Ecclesiastico, nominatim excommu-  
 nicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse decla-  
 rati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium  
 satisfecerint, & cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo  
 suffragari posse, aut debere.

Cæterum, si qui post inchoatam, hujus Jubilæi consequendi animo, præ-  
 scriptorum operum implementum, morte præventi, præfinitum Visitationum  
 numerum complere nequiverint, Nos piæ promptæque illorum voluntati be-  
 nigne favere cupientes, eosdem vere pœnitentes, & Confessos, ac Sacra Com-  
 munionem refectos, prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri  
 volumus, ac si prædictas Ecclesias diebus præscriptis reipta visitassent. Si qui  
 autem, post obtentas, vigore præsentium, absolutiones a censuris, aut Vo-  
 torum commutationes, seu dispensationes prædictas, serium illud, ac sincerum,  
 ad id alias requisitum, propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac proinde re-  
 quisita ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint, licet pro-  
 pter id ipsum a peccati reatu immunes censerentur vix possint, nihilominus hu-  
 jusmodi absolutione, commutationes, & dispensationes ab ipsis cum prædicta  
 dispositiones obtentas, in suo vigore persistere decernimus, ac declaramus.

Ut autem hujus consilii Nostri, quod pro totius Populi Christiani salute,  
 & notificatione suscepimus, optatum consequamur effectum, maxima, post  
 Deam fiducia Nobis reposita est in Venerab. Fratrum Nostrorum Ecclesiæ Dei  
 Antistitum cooperatione, & sedulitate. Itaque omnes Patriarchas, Primates,  
 Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ordinarios Locorum Prælatos, sive Or-  
 dinariam Localem jurisdictionem, in defectum Episcoporum, & Prælatorum  
 hujusmodi, legitime exercentes, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ  
 habentes, per nomen Domini Nostri, & Pastorum Principis Jesu Christi, &  
 per Charitatem Ecclesiæ ipsius Sponsæ hortamur, rogamus, atque etiam Apo-  
 stolica auctoritate ipsis injungimus, ut simul ac præsentium Literarum exem-  
 pla ad eorum manus pervenerint, non solum easdem solemniter publicare,  
 & in reliquis sibi superius injunctis exequi non prætermittant; verum etiam  
 omni studio adnitantur, ut Fideles sub eorum regimine constituti, oblatam  
 sibi occasionem reformationis, reconciliationis, & sanctificationis cum gaudio  
 suspiciant; ac se Apostolicæ Sedis favoribus, & gratis dignos exhibentes,  
 has ipsas in uberrimum animarum suarum, Ecclesiæ que universæ fructum  
 convertant. Quid jam ab ipsorum Antistitum zelo, in præparandis ab Uni-

PONT. A. XI. **verſalis Jubilæi acquisitionem ſubjectis ſibi plebibus præſtari aptaverimus, du- ANNO**  
**dum eiſdem per Apoſtolica ſcripta ex hac Sede directâ ſignificavimus Quid**  
**vero Nos ipſi hac in Urbe noſtra in eundem ſinem præſtiterimus, ad eorum 1750**  
 notitiam perlatum fuiſſe putamus. Quo demum pietatis fructu, quo religio-  
 nis exemplo, in hac ipſa Urbe, benedicente Domino, celebrata fuerit ipſius  
 Jubilæi ſolemnitas, nullum Terræ angulum latere arbitramur. Merito igitur  
 ab iſdem Eccleſiarum Paſtoribus expeſtamus, ac petimus, ut attendentes ad  
 Petram, ex qua exciſi ſunt, ſuam cum Romana Eccleſia unitatem, & comu-  
 nicationem in hac etiam oſtendere geſtiant, ut ſinguli in ſuis Civitatibus, &  
 Diœceſibus id efficere curent, quod ipſa Eccleſiarum Mater, pro totius Ca-  
 tholicæ Societatis profeſtu, & incremento, pro Chriſtiani Populi emendatio-  
 ne, & ſalute, expetit, quod eadem Romana Eccleſia illuſtribus exemplis com-  
 monſtrat, & docet. Omnes itaque Paſtoralis ſollicitudinis cura in id impend-  
 ant, ut commiſſos ſibi Populos in ejuſdem diſciplinæ puritate, chriſtianæque  
 pietatis fervore concordēs exhibeant, unusque per omnes Catholicas Eccleſias  
 bonorum operum ſplendor appareat; ut omnium Fidelium conſentientibus præ-  
 cibus exoratus Omnipotens Pater, Eccleſiam ſuam miſeratione continuata emun-  
 det, defendat, amplifcet; Supremos Principes, qui ejus ordinatione in ſub-  
 limate ſunt, cœleſtibus benedictionibus cumulet; univerſosque credentes, per  
 viam pacis, & per mandatorum ſuorum ſemitas, ad æternam ſalutem, quam  
 Nobis Unigenitus ipſius Filius promeruit, gratiæ ſuæ munere perducatur. Tunc  
 demum gaudium noſtrum plenum erit; ipſique Eccleſiarum Paſtores de profe-  
 ſtu Sanctarum Ovium una nobiſcum exultatione gaudebunt.

Chariſſimos demique in Chriſto Filios Noſtros, Imperatorem electum, ac  
 Reges, & Principes omnes Catholicos, quorum plerique pro hujus Jubilæi ad  
 eorum Regna, atque Domina extensione ſuum Nobis deſiderium ſignificaverunt,  
 quum ſaris intelligere non dubitemus, ex hoc ſalutari opere in eorum Ditio-  
 nibus exequendo, cum piæ converſationis augmento, ſinceræ erga ipſos obe-  
 dientiæ ſtudio, in populis eorum Ditioni ſubjectis magis magisque firmatum  
 iri, Divinæque propitiationis auxilium, ad ipſorum Dominantium, eorum-  
 que Principum proſperitatem & pacem, efficacius implorari; idcirco eor-  
 dem omnes & ſingulos ſidentius hortamur, atque rogamus, ut omnia adju-  
 vamenta & auxilia præſtent dictis Eccleſiarum Prælatiſ, ad hoc ut pium hujus-  
 modi opus aptiſſimis mediis promovere, & ad optatum ſinem perducere  
 valeant.

Præſentes quoque Literas per omnia validas, & efficaces, ſuoſque plena-  
 rios effectus; ubicumque per dictos Ordinarios Eccleſiarum Præſules publicatas,  
 & executioni mandatas fuerint, ſortiri, & obtinere, omnibuſque Chriſtife-  
 libus in Apoſtolice Sedis gratia & obedientia manentibus, in hujusmodi locis:  
 commorantibus, ſive ad illa poſtmodum ex navigatione, & itinere ſe recipi-  
 entibus, pleniffime ſuſfragari volumus, atque decernimus; non obſtantibus  
 de Indulgentiis non concedendis ad inſtar, aliisque Apoſtolicis, & in Uni-  
 verſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Conſtitutionibus,  
 Ordinationibus, & generalibus, ſeu ſpecialibus abſolutionum, ſeu relaxatio-  
 num, ac diſpenſationum reſervationibus, etiam in prædicta Bulla Cœnæ con-  
 tentis; necnon quorumcumque, etiam Mendicantium, & Militarium Ordini-  
 um, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, etiam Societatis Jeſu,  
 etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis,  
 ſtatutis, legibus, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Pri-  
 vilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem conceſſis, præſertim in  
 quibus caveatur expreſſe, quod alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis,  
 & Inſtituti hujusmodi Profeſſores extra propriam Religionem peccata ſua con-  
 fiteri prohibeantur: Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſuffici-  
 enti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & in-  
 diviſi-

PONT. dividua mentio facienda, vel alias exquisita forma ad id servanda foret, hu- ANNO  
 A. XI. jusmodi tenores pro insertis, & formas pro exactissime servatis habentes, pro  
 hac vice, & ad præmissorum effectum dumtaxat, plenissime derogamus, cæte- 1750  
 risque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earundem præsentium Transumptis, sive Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus, adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostræ extensionis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini- cæ millesimo septingentesimo quinquagesimo, Octavo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

*D. Card. Passioneus.*

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

Loco  $\oplus$  Plumbi.

J. B. Eugenius.

PONT.

N U M. LXXIX.

ANNO

A. XI.

J E J U N I U M V I G I L I Æ

1751

S. Matthiæ Apostoli Anno 1751. occurrentis ultima die Carnisprivii, transferri posse permittitur in Sabbatum Sexagesimæ.

*Epistola Encyclica, ad Archiepiscopos, & Episcopos per ditionem Pontificiam constitutos.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**P**Rodiit jamdudum sub Dat. Kalendis Januarii Anni 1748. Epistola Nostra Encyclica ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos Pontificiæ temporalis Ditionis Nostræ conscripta, ut tribus gravissimis absurdis, quæ Bacchanaliorum tempore communiter accidere dignoscebantur, opportuno rimedio occurreremus. Horum primum eras, quod postrema nocte eorundem Bacchanaliorum, choreæ, vigiliæ, ludi eo usque protrahebantur, ut initium sequentis diei, qui sanctæ Quadragesimæ primus est, in illis absumeretur; adeo ut non paucos ab hujusmodi ludis, vigiliis, saltationibus descendentes cernere esset, detracta quidem ab ore larva, sed tamen iisdem vestibis, quibus personati discurrerant, inductos recta ad Ecclesias proficisci, ibique Divinis Mysteriis interesse, & sacros Cineres de more accipere; inde vero domum se referentes, totum plerumque mane primi quadragesimæ diei dormiendo transigere. Alterum erat, quod in aliquibus temporalis Pontificiæ Ditionis locis sextis, etiam Feriis, atque iis quoque diebus, qui de præcepto Festi sunt, larva uti, & per-

PONT. personatos homines vagari permitteretur. Tertium, quod in aliquot similiter ANNO prædictæ Ditionis Nostræ locis, diebus Festis, tam de mane, quam pomeri-  
 A. XI. dianis horis, quibus Vespertina in Ecclesiis Officia celebrantur, & Christiana 1751  
 Catechesis habetur, Circulatoribus, aliisque id genus scuriis copia fieret, ut in publicis plateis, & compitis ludicorum populo spectaculum exhiberent. Pravis hisce consuetudinibus, & corruptelis cum in supradicta Epistola, quæ in Bullarii Nostri tom. 2. impressa est num. XLV. opportuna a Nobis remedia adhibita, & præscripta sint; non modo quidquid in eadem statuitur, ac decernitur plene in præsentia confirmamus, sed Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus Legatis, nec non Gubernatoribus in Ecclesiastico Dominio existentibus, ac singulis, quo ad propriam Diocesim, Episcopis, ut exacte eadem observari curent, exixe studioseque mandamus.

§. 1. At præter hanc, alia accedit causa, cum alteras hæc Encyclicas Litteras Fraternitatibus Vestris conscribendas putaverimus; eaque ad vertentem annum 1751. refertur, quo nempe in postremam Bacchanaliorum diem incidit Vigilia cum jejunio S. Matthiæ Apostoli. Qua de re, ut singulis Ditionis Nostræ Præsulibus, quid actum fuerit innotescat, quæ hic sequitur, duximus exponenda.

§. 2. Præiens hic annus 1751. nondum inierat, quum ex variis partibus tam ab Italia remotis, quam etiam deinde ex locis, quæ intra Italiam sunt, reddite Nobis fuerunt Litteræ variorum Episcoporum, ac Prælatorum, qui advertentes, hoc anno Vigiliam cum jejunio S. Matthiæ in postremum Bacchanaliorum diem incidere, Nobisque demonstrantes, nullo pacto evitari posse, quin hujusmodi jejunii scandalosæ violationes, & publicæ, & fortasse etiam communes futuræ essent, cum satis superque notum sit nullum Bacchanali licentiæ, novissimo præsertim die, ac sequenti nocte, frenum esse; hanc agendi rationem propendebant, ut hoc anno translatio fieret Vigiliæ S. Matthiæ, eaque in diem Sabbati præcedentem, qui hebdomadæ Sexagesimæ novissimus est, retraheretur. Hanc autem a se propositam rationem quorundam Auctorum opinione fulciebant, qui docent, esse hanc Episcopo in propria Diocesi facultatem, ut gravi ac legitima causa interveniente, tum jejunia, tum Festa de præcepto sua Ordinaria auctoritate ex uno ad alium diem transferat; & specialiter cum Vigilia S. Matthiæ in postremum Bacchanaliorum diem incidet, ad evitanda scandala, quæ ex publica violatione jejunii de præcepto oritura forent, licitum esse ipsis, prædicta sua Ordinaria auctoritate, eandem Vigiliam ad præcedentem diem Sabbati transferre.

§. 3. Propositas hujusmodi instantias negligere, aut dissimulare minime Nobis conveniens esse existimavimus, neque permittendum duximus, ut res libero cursu procederent, absque eo, quod illarum moderamini aliquo modo prospiceretur; cum Nobis, pro iis, quæ Bacchanalium tempore licenter nimis, atque intemperanter fieri compertum habemus, plene persuasum sit, si res, in quo statu sunt, relinquuntur, nec aliqua opportuna pro iis ratio excogiterur, non modo præscriptum in Vigilia S. Matthiæ jejunium neglectum iri, quod publice etiam fortasse eveniet; verum, cum delinquentibus pœna inflingenda erit, non nisi paucos infimæ, ac miseræ conditionis homines eandem laturos, immunibus interim iis qui opibus potentes sunt, vel quia non deerit ratio efficiendi, ut ea quæ ab ipsis admissa fuerint, ad eorum, qui præsumunt, aures minime deferantur; vel etiam quia, licet illorum delicti notitia ad eos pervenerit, ea, quæ prudentia carnis est; hos admonere non prætermittet, minime conveniens esse hujusmodi de causis cum Magnatibus sæculi in contentionem venire, eamque concordiam dirimere, quæ pro bono rerum regimine tantopere necessaria est. Quamobrem hac, quam subjicimus, ratione responsum a Nobis fuit.

§. 4. Primo, non inanem, sed probabilem esse timorem, quo, cum hoc anno

PONT. anno jejunium cum Vigilia S. Matthiæ in ultimum Bacchanaliorum diem in- ANNO  
dicat, futurum dubitabatur, ut idem jejunium neglectui haberetur.

A. XI. §. 5. Secundo autem, non inusitatum, aut novum esse, quod, ubi legiti- 1751  
ma aliqua causa intercedat, Vigiliæ, seu jejunii ad aliquam præcedentem diem  
translatio fiet. Hujus rei exemplum habetur in Vigilia Nativitatis S. Joannis  
Baptistæ, quæ Vigilia, quoties in feriam quintam incidat, qua Solemnitas  
Corporis Christi celebratur, jejunium in præcedentem Feriam quartam anti-  
cipatur, secundum Constitutionem, *Cum eventre*, quæ Pontificis Urbani VIII.  
232. est, quin tamen in eadem Feria IV. ulla aut in Officio, aut in Missa  
Vigiliæ mentio fiat, juxta Decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quod  
a sanctæ memoriæ Clemente XI. approbatum fuit, & quod in ejusdem Bul-  
lario inter prædictæ Congregationis Decreta nonnum numeratur. Idem etiam  
fieri videmus in solemni festo illius Sancti, qui cujuslibet Civitatis, aut Diœ-  
cesis Patronus principalis habetur. Etenim, si in hujusmodi festum diem jeju-  
nium aliquod inciderit, illud ad præcedentem diem transfertur, quemadmo-  
dum apposite a Cardinali Cajetano animadvertitur in *sua Summa, in verb. je-  
junium. Quo ad textum §. De rationabili*, & sicut etiam Sanchez *lib. 5. Conf.  
cap. 1. dub. 5. num. 27.*, ac Leander, *Oper. Moral. part. 3. tract. 5. disput. 10.  
quæst. 39.*, aliorum, qui concordia sententia sunt, auctoritatem adducentes,  
prosequuntur.

§. 6. Ille a Nobis casus plane omissus est, quo, cum in secundam Feriam  
incidat solemne aliquod Festum, quod Vigiliam cum jejunio habeat, jejunium  
ad præcedens Sabbatum transfertur, secundum textum Decretalis in *cap. Ex  
parte, de Observantia jejuniorum*; cum notum Nobis sit Ecclesiam Catholicam  
gravioribus, atque altioribus de causis jejunium die Dominico fidelibus inter-  
dixisse; ad refellendam videlicet, coarguendaque hæresim Manichæorum, qui  
propter insensum animum, quem adversus Christi veram Resurrectionem ha-  
bebant, in ipsis contemptum die Dominico jejunabant, quemadmodum a Syl-  
vio in 2. 2. D. Thomæ qu. 147. art. 5. qu. 8. apposite animadvertitur.

§. 7. Verum aliorum prædictorum casuum rationem habentes, illud tertio  
loco reputavimus quod si jejunium ea de causa anticipabatur, ut Dies festus,  
exclusa jejunii mœsticia, congrua animorum exultatione celebraretur, multo  
potiori ratione anticipari jejunium poterat, ne idem magno cum scandalo pu-  
blice, ac pœne communi irreverentia exponeretur; eo magis quod, si rem  
ipsam penitus inspiciamus, non incongruum dici videretur, inter præfa-  
tos casus, ac nostrum, eandem quasi rationem intercedere, cum fortasse in  
ipsis jejunium non minus ad excludendam mœsticiam anticipetur, quam pro-  
pter timorem, ne in die publicæ lætitiæ ipsius jejunii observantia negligatur.

§. 8. Propositis tribus considerationibus capitibus quartum cum succederet,  
ut nimirum videretur, num, cum Sancti Matthiæ jejunium in Sabbatum Se-  
xagesimæ anticipari vellet, fieri id ab Episcopis in propriis Diœcesibus pos-  
set, non requisita Pontificia Nostra auctoritate, sed eorum Ordinariæ dum-  
taxat potestatis jure. Qua de re duas esse Auctorum opiniones animadverti-  
mus: Earum altera Ordinariæ Episcopi in propria Diœcesi Auctoritati facul-  
tatem omnem attribuit, dummodo gravis, ac legitima causa concurrat, ejus-  
modi esse arbitrantur evidens periculum publicæ jejunii violationis, quæ ulti-  
mo Bacchanaliorum die sane eveniret, si tali die jejunandum foret. Hujus  
sententiæ sunt, Gobat in *sua Theologia Sacramentali tract. 5. cas. 3. sect. 2. in  
Appendice num. 111. & seq. La Croix in tom. 1. lib. 3. part. 2. num. 1273.* qui  
etiam *tom. 2. lib. 6. num. 2083.* idipsum rursum confirmat, & subdit, quod  
etiam anno 1694. a Congregatione Sacrorum Rituum decretum fuerit, jeju-  
nium in ultimum Bacchanaliorum Sabbatum minime esse anticipandum, quo-  
ties Vigilia S. Matthiæ in eorundem Bacchanaliorum postremum diem inci-  
dit, ut videre est in Decreto xcii. in Bullario Innocentii VII. inserto, &  
rela-



PONT. relato a Salmaticensibus in eorum *Cursu Morali tom. 6. tract. 23. cap. 2. punct. 3. ANNO*  
*num. 93.* huic tamen præscripto tunc esse locus debeat cum Episcopus jejunii  
 A. XI. anticipationem animarum saluti minime expedientem existimet; numquam  
 vero cum iustæ eidem causæ sunt, ut illud anticipari jubeat.

§. 9. Altera autem Sententia, quæ anticipationi jejunii contraria est, non  
 eam Episcopo potestatem esse contendit, ut in sua Diœcesi eandem statuere  
 valeat, etiam si Vigilia Sancti Matthiæ in eum incidat diem, qui Bacchana-  
 liorum postremus est. Ita magna vi contendunt Theophilus Raynaudus *Hete-*  
*roclit. Spiritual. tom. 15. pag. 273. num. 34.* Meratus ad *Gavantum tom. 2. par. 1.*  
*Sect. 7. cap. 4. sub n. 23. §. Si Vigilia,* Cavalerius ad *Decreta Congregationis Sacro-*  
*rum Rituum part. 2. tom. 1. pag. 134., & sequent., Diana in Edit. coord. tom. 3.*  
*tract. 3. quest. 88. num. 3., Leander part. 3. disp. 10. qu. 42. Monacellus in Form-*  
*Legal. part. 2. tit. 16. formul. 4. num. 12., Ferraris in Bibliotheca Canonica tom.*  
*4. in verb. Jejunium num. 26.*

§. 10. Posteriorem hanc opinionem, non communior modo, sed & ra-  
 tioni magis consentaneam, ac meliori fundamento innixam esse, dubitandum  
 profecto non est. Quidquid enim sit de rationibus, quæ a præfatis Auctoribus  
 ad suam confirmandam assertionem afferuntur, quibus sane adæquatum respon-  
 sum dare haud difficile esset; si Vigilia cum jejunio pro Festo Sancti Matthiæ  
 ab Innocentio III. de præcepto constituta fuit in *cap. Ex parte de Observan-*  
*tia jejuniorum*, ubi nimirum ab eo Pontifice sopita fuit controversia, quam  
 quidam excitaverant, qui neque Vigiliam, neque jejunium in honorem S.  
 Matthiæ observandum esse contendebant, propterea quod licet ipse fuerit Apo-  
 stolus, non tamen directe per Christi vocem vocatus sit; si ante Innocentium  
 III. Pontifex Alexander III. interrogatus ab illis, qui jam tunc Vigiliam cum  
 jejunio pro S. Matthiæ Festo observabant, quænam pro annum bissexilem  
 adhibenda regula foret, respondit Vigiliam semper eo die, qui Festum præ-  
 cedit, celebrari debere, eo casu excepto, quo eadem in diem Dominicum in-  
 cideret: *Festum S. Matthiæ juxta consuetudinem Ecclesiarum, Vigilia, eatenus*  
*præcedet, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo, inter se & Solemnitatem,*  
*aliam diem admittat; in qua utique, nisi Vigilia venerit in Dominica die jeju-*  
*nium celebretur: ut legitur in cap. Quæsit, § Festum, de Verborum significa-*  
*tione, quæ Alexandri Decretalis, tum in Appendice ad Concilium tertium La-*  
*teranense cap. 22. pag. 1718. tom. 10. Conciliorum Collectionis Labbeanæ, tum*  
*apud Martene de Antiquis Ecclesiæ Ritibus tom. 3. lib. 4. cap. 31. num. 23. refer-*  
*tur; facili negotio intelligitur Auctoritatem Ordinariam minime posse Vigiliam*  
*Sancti Matthiæ, etiamsi in ultimum Bacchanaliorum diem incidat, ad præce-*  
*dens Sabbathum transferre; cum Ordinariæ auctoritati nulla sit potestas deroga-*  
*gandi, aut dispensandi in iis, quæ a Romanis Pontificibus, atque a Jure Ca-*  
*nonico decreta sunt, quemadmodum a Nobis in Tractatu Nostro de Synoda*  
*Diœcesana lib. 7. cap. 30. demonstratum est.*

§. 11. Sic itaque a Nobis responsum fuit Episcopis, ac Prælati, a quibus  
 rogati fuimus, num ipsi Vigiliam Sancti Matthiæ ad præcedens Sabbathum trans-  
 ferre possent; quibus tamen adjunximus, quod quum Pontificia Auctoritas  
 Nostra eo pertingat, quo Ordinaria eorum Auctoritas pervenire nequit, Nos  
 eisdem libenter licentiam, & facultatem impertiebamur ad hoc, ut hoc anno  
 Vigiliam cum jejunio S. Matthiæ anticipare possent, eandemque in Sabbato  
 Sexagesimæ celebrandam statuere; & sic illam ab ea die, quæ S. Matthiæ  
 Festum immediate præcedit pro hac vice disjungere; cum satis superque per-  
 suasum Nobis sit, si eadem in ultimo Bacchanaliorum die celebrari deberet,  
 Ecclesiastici præcepti transgressionem pene inevitabilem fore. Præterquamquod  
 penitus perspectum habemus, quantum Nobis onus incumbat, ut omnem Fra-  
 tribus Nostris operam, atque ajutricem manum præstemus ad procul arcendas  
 ab eorum Diœcesibus Dei offensiones.

PONT. A. XI. §. 12. Notum unicuique est, ab Apostolorum usque temporibus in more ANNO fuisse, ut in Ecclesiis honesta illa convivia haberentur, quæ *Agapæ* dicebantur, quæque a Tertulliano in suo *Apologetico* cap. 39. tam bene describuntur. 1751 Notum pariter est, illos, qui ab iis frequentandis se abstinebant, a communione Fidelium segregari consuevisse; quam etiam ob causam Hæreticorum Eusathianorum agendi ratio in Synodo Grangrensi *Can. xi.* damnata fuit. Notum tandem etiam est, propter abusus, quos in Agapis exoriri animadversum fuit, easdem tum a Concilio Laodicensi *Can. xxviii.* tum a Concilio III. Carthaginensi *Can. xxx.* interdictas fuisse. Quisquis prædictam Ecclesiasticæ disciplinæ rationem, ac methodum ea, qua par est, attentione secum reputando, animadvertat, eandem minime dubitasse antiquam Apostolicam consuetudinem, propter ea, quæ incommoda, & absurda eveniebant, omnino abrogare, non erit, cur quidquam mirari debeat, si ad eos præcavendos abusus, qui nulla ratione evitari possint, non ad perpetuum quidem tempus, sed pro unica tantum vice, in die jejunii variatio fiat, remanente tamen obligatione, ut idem jejunium in subrogata die adimpleatur. Aliis profecto, atque aliis compluribus uti potuissemus exemplis graviorum etiam derogationum circa Ecclesiastica præcepta inductarum, aut concessarum, quæ in Ecclesiæ Annalibus occurrunt: Verum illud de Agapis, tamquam convenientibus & huic proposito conjunctis selegimus, quoniam in eo non secus ac in nostro casu de præcavendis gulæ excessibus agebatur.

§. 13. Dum autem supradictis Episcopis, ac Prælati respondimus, iisdem studiose mandavimus, ut Ecclesiasticos Sæculares, ac Regulares hortarentur, ne anticipatione jejunii uti vellent, sed ut ipso die Vigiliæ S. Matthiæ, ultimo videlicet Bacchanaliorum die jejunarent, cum minime existimandum sit, eos in Bacchanalium intemperantiis immersos esse, sicut Laici homines ut plurimum sunt.

§. 14. Hæc igitur per Nos responsa data sunt iis, qui scire cupientes, quænam per hunc annum ratio circa ultimum Bacchanaliorum diem, in quem S. Matthiæ Vigilia incidit, adhibenda foret, rem ad Nos detulerunt. Nunc eadem omnia per Epistolam hanc Nostram Archiepiscopis, & Episcopis Temporalis Ditionis Nostræ nota facimus, ut si quis eorum metuat, ne in sua Civitate, vel Diœcesi, ultimo Bacchanaliorum die præceptum jejunii violetur, eo uti remedio possit, quod a Nobis indicatum est, eodemque modo, ac forma, quæ de super expressa sunt; qua quidem in re Nos illi amplam facultatem concedimus, & impertimur. Sin autem id minime metuatur, hujusmodi res in suo naturali cursu relinquatur. Tuis interim, Venerabilis Frater, precibus Nos commendantes, Tibi, Gregique tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxx. Januarii MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

## DE EXTRACTIONE REORUM

Ad Sacræ Inquisitionis Officium spectantium a Locis immunibus, ad  
quæ forte confugerint.

*Epistola Encyclica ad Inquisitores contra Hæreticam pravitatem deputatos.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**E**lapso proxime Anno MDCCL. edita a Nobis fuit Apostolica Constitutio, data Idibus Martii, cujus initium est *Officii Nostri*, quæque agit de locali Ecclesiarum immunitate. In ea Nos Decessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Gregorii XIV., Benedicti XIII., & Clementis XII. Constitutionibus inhærentes sublatis de medio quibusdam cavillationibus & subterfugiis, quibus earum executio impediabatur, decrevimus, atque statuimus, ut is, qui criminis excepti reus foret, si quando in immunem locum confugeret, extrahi ab eo deberet, quotiescumque indicia ad torturam sufficientia haberentur, quæ delictum comprobarent; utque præterea extractio non nisi auctoritate Episcopi, & cum intervenita Personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputandæ fieri deberet; ac demum, ut dum Curia sæculari traditio fieret, indicendæ censuræ essent, ab eadem incurrendæ, nisi Extractus Ecclesiæ restitueretur, quoties ab eodem in progressu Causæ purgata fuissent indicia, ex quibus ipse patrati delicti reus arguebatur. Quia vero memorati Decessores Nostri decreverant, extractionem a loco immuni non nisi a solis Episcopis, aut a Prælatis, qui eisdem Superiores essent, fieri debere exclusis inferioribus, licet Ordinariis, ac *Nullius Diœcesis*, & separatam Territorium habentibus, quo in casu extractio ad viciniorem Episcopum devolveretur; idem a Nobis pariter in citata Constitutione Nostra decretum fuit.

§. 1. Hæreseos crimen ut probe compertum habetis, exceptum crimen est, quique illius est reus, Asylum Ecclesiæ minime gaudet, iis etiam inhærendo, quæ in Constitutione Gregorii XIV. qua Immunitatis localis regula ac norma præscribitur, decreta fuerunt. Cum autem in Congregatione S. Inquisitionis Feriæ v. die 28. Januarii vertentis Anni MDCCLI. coram Nobis de more habita, excitatum dubium fuisset, quæ ratio servanda, & qui modus adhibendus esset, quoties reus Hæreseos extrahendus esset ab Ecclesia, ad quam confugisset, ne in carcerem duceretur, sive eum ex vinculis, quibus tenebatur, aut ex trinemibus, aliove loco, ad quem relegationis, aut operis faciendi causa damnatus fuerat, fuga evasisset; Nobis, qui præcedenti Anno memoratam Constitutionem condidimus, reservavimus, ut super huiusmodi re pronunciareremus; quod nunc per ea, quæ subjicimus, præstare intendimus.

§. 2. Aut agitur de Hæreseos crimine, quæ præcipua Tribunalis Sancti Officii inspectio est; aut de aliis exceptis criminibus, quæ immunitate non gaudent; aut de aliis criminibus, quæ minime excepta sunt, & quæ immunitate gaudent, sed ideo ad id Tribunal pertinent, quod ab aliquo ex illis commissa sit, qui utpote ipsius Tribunalis jurisdictioni subiecti, iudicium illius subire debent.

§. 3. Si de crimine Hæreseos agitur, cum a Decessore Nostro Joanne XXI., qui XXII., dictus est, in sua Constitutione, cujus initium est; *Ex parte vestra*, in Bullario Romano tom. 1., jam decretum fuerit, quod Hæretici, aut de Hæresi suspecti, ne non Judæi, qui, cum ad Catholicam Fidem conversi fuerint, deinde in Apostasim incidunt, si ad Ecclesiam confugiunt, statim per

PONT. Inquisitorem ab eadem extrahi debeant, minime quidem Nostra mens est, ut ANNO  
 prædictæ Constitutioni derogemus, immo eandem observari volumus, eam  
 A. XI. tamen methodum adhibendo, ac servando, quam modo subjungimus: videli- 1751  
 cet, quod Inquisitor, quoties hujusmodi reus ab Ecclesia extrahendus erit,  
 omnem adhibeat curam, ut id majori, qua decet, erga Domum Dei reveren-  
 tia contingat. Et quoniam fieri omnino nequit, ut ante extractionem, indi-  
 cia, quæ contra Reum habentur, Episcopo communicentur, cum Secreti Lex  
 id minime patiatur; & quoniam, ubi etiam id fieri posset, inutile id profus  
 esset, cum notum sit, sacrum Inquisitionis Tribunal ad capturam minime pro-  
 cedere, nisi semiplena delicti probatio præcesserit; non tamen illud omittat,  
 ut vel ante, vel post capturam, Episcopum de ea certiore faciat, tum pro-  
 pter reverentiam, quæ illius Dignitati debetur, tam ut, quantum fas est,  
 id, quod in Constitutionibus Gregorii, Benedicti, Clementis, ac Nostra de-  
 cretum est, adimpleatur. Quod etiam ea de causa ita a Nobis docetur,  
 propterea, quod viderimus, olim in Congregatione S. Officii, quæ coram Præ-  
 decessore Nostro Urbano VIII. Feria quinta 10. Junii 1638. habita fuit, pro-  
 posito casu, ac discusso dubio; *An Reus de hæresi inquisitus, confugiens ad  
 Ecclesiam, debeat extrahi ab Episcopo, vel Inquisitore*: Pontifex auditis votis;  
 respondit: *Reum posse extrahi ab Inquisitore cerciorato, ante vel post Ordinario.*

S. 4. Ubi autem de aliis criminibus exceptis agatur, quæ tamen hæreseos  
 minime sunt, ac multo magis si de iis agatur, quæ inter excepta non recen-  
 sentur, etiam si ad sacri Tribunalis cognitionem, vel quia ab aliquo ejusdem  
 jurisdictioni subiecto commissa sint, vel alio quocumque nomine, pertineant;  
 declaramus eos, qui casuum minime exceptorum Rei sunt, Immunitate gau-  
 dere debere; quoties autem casuum exceptorum Rei, qui tamen Hæreseos Rei  
 non sint; ab Ecclesia extrahi debeant, ea omnia exactè observanda esse, tum  
 quæ in Constitutione Nostra, tum quæ in aliis præcedentibus Constitutionibus  
 decreta sunt, indicia nimirum, quæ ad torturam sufficientia sint, Episcopo  
 communicari debere, cum hic Secreti lex minime impedimento sit; Præterea  
 extractionem non nisi auctoritate Episcopi, & cum interventu Personæ Eccle-  
 siasticæ, ab eodem deputandæ faciendam esse, aliaque omnia servanda, quæ  
 in dictis Constitutionibus leguntur.

S. 5. Quæ hætenus dicta fuerunt, eorum etiam respectu servanda sunt, quæ  
 ex carceribus, sive ex trireme, sive ex loco eorum relegationis effugiunt, &  
 in Ecclesiæ alicujus vel loci immunis asyllum se se recipiunt; si enim hi Rei,  
 vel damnati propter Hæreseos crimen sunt, eorum extractio ab Inquisitore  
 facienda erit, ita tamen ut de ea, vel ante, vel post, Episcopus certior fiat;  
 si vero Rei, aut damnati sint propter aliud delictum exceptum, non autem  
 propter crimen Hæreseos, sive pro alio delicto, quod minime exceptum sit;  
 quod ad primos, extractio fiat Episcopi auctoritate, & Ecclesiastica Persona  
 interveniente, ad eodem Episcopo deputanda; quoad secundos autem, si in  
 Asylo, ad quod confugerunt, remanere sinantur, etiam si ex triremibus cum  
 catenis effugerint, dummodo ad prædictarum triremium, aliorumve Justitiæ  
 Ministrorum, manibus liberi essent, nisi forte Episcopus indultum a Sede Apo-  
 stolica habeat, ut a triremibus fugitivos extrahere ab Ecclesiis possit, cum in  
 hoc casu, ob fugitivum recuperandum, ad eundem recurrere liceat; vel etiam  
 ad Apostolicam Sedem, si hujusmodi indulto Episcopus careat; cum ipsa San-  
 cta Sedes in particularibus casibus, quoties id delictum exigat, nequaquam re-  
 quat Episcopis auctoritatem impertiri, eos ab Ecclesiis extrahendi, qui e car-  
 ceribus ac triremibus effugerint; licet criminis excepti minime Rei sint. Hæc  
 Inquisitoribus, quæ significaverimus, habuimus, atque interim illorum singulis  
 Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 20. Februarii MDCCLII.  
 Pontificatus Nostri, Anno Undecimo.

PONT.

ANNO

A. XI.

N. U. M. LXXXI.

1751

DE TOLLENDIS ABUSIBUS

*Ab Oratoriis privatis, quæ sunt in domibus Laicorum.*

Epistola Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos  
Regni Poloniæ.

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**M**AGNO cum animi Nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in  
Diocæsis vestris controversias, ac molesta dissidia, propter Oratoria  
privata, insurrexisse; quibus præcidendis cum omnis per vos cura ac  
diligentia abhibita fuerit, non modo optato sine frustrati sitis, sed & in alio-  
rum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem, &  
notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vo-  
bis, ut per hanc Sanctam Sedem certæ vobis regulæ indicentur, ad quarum  
normam, sublatis abusibus, privati Oratorii Privilegium exerceri debeat; id-  
que ad eum finem, ut cum Ordinationes vestræ Pontificia auctoritate nostra  
munitæ fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant,  
verum majus semper eidem honoris, atque æstimationis pondus accedat. Li-  
cet autem vestræ hujuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos  
vobis libros indicando, tam in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur  
Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam  
alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea Sanctæ  
Sedis Decreta vel dissimulant, vel ignorant, quæ assertionibus eorum omnino  
opponuntur; Nihilominus cum Nos Venerabiles Personas Vestras præcipuo, ac  
speciali affectu prosequamur, per Encyclicam hanc Epistolam nostram, qua fieri  
poterit brevitate, tum eorundem Decessorum Nostrorum, tum nostram super  
hac re mentem, sensumque aperiemus: quibus quidem præter obedientiam,  
quæ eidem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanat, aliud  
etiam nescio quid majoris ponderis inest, materiæ ipsius nomine, quæ eorum  
objectum est, quæque in quæstione versatur; cum omnis hujusmodi res ab  
Apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo jure Summis  
Pontificibus reservata est, cum eadem præcipuam normam desumere debeat ex  
intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper,  
quam alii cuilibet notior esse debet; adeo ut quidquid a Vobis secundum ea,  
quæ in Encyclica hac Epistola Nostra continentur, ordinabitur, & statuetur,  
id pro exequendis Summorum Pontificum præscriptis præstitum esse dicendum  
sit; cuius rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitatem, & auctoritatem  
Fraternitatibus vestris aditam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus  
sit, Nos ipsarum præsentium Literarum tenore vobis ad hujusmodi effectum  
concedimus, & impertimur.

S. I. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat Sacella, quæ  
in Episcopalibus Palatiis vestris habetis, quo Missa, vel per vos, vel per alios  
celebranda, aliave quapiam sacra functione, quæ officii ac dignitatis vestræ  
propria sit, obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc  
a proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetustate Sacellorum  
exempla indicabimus; quæ Episcopi in proprio Episcopio a publicis Ecclesiis  
distincta, ac separata habebant, in quibus sanctam Missæ Sacrificium celebra-  
bant. Horum primum Sacellum est S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo

S. Gre.

PONT. S. Gregorius in *Homil. 37. super Evangel.* narrat, quod licet gravi morbo op- ANNO  
 A. XI. primeretur, in *Oratorio Episcopii sui Missas fecit* tam ut propriæ quam ut eo-  
 rum, qui illum visitatum adveniebant devotioni satisfacerent. Alterum exem- 1751  
 plum est S. Joannis Elemosinarii Episcopi Alexandrini, qui sicut in actis ip-  
 sius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui Missa nondum pe-  
 racta discedebant, quum ipse ad eandem celebrandam in publicam Ecclesiam  
 se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in Sanctam  
 Ecclesiam, nam poteram mihimet facere Missas in Episcopio.* Prædictum exem-  
 plum legere est apud Thomassinum *de veteri, ac nova Ecclesiæ disciplina part.  
 1. lib. 2. cap. 93. num. 6.* Alia exempla in Opere de *Oratoriis privatis* in scripto  
 cap. 6. collecta reperiuntur ( quod Opus novissime a Joanne Baptista Gattico  
 Canonico Lateranensi Romæ in lucem editum est ) per quæ Episcoporum jus  
 circa Sacella in propriis Episcopalibus Palatiis habenda validis fundamentis in-  
 nixum comprobatur.

§. 2. Huic quidem jurî Sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione déro-  
 gavit; quippe quod tantummodo *sess. 22. de observandis, & evitandis in cele-  
 bratione Missæ*, propter multa, quæ parum decenter fieri identidem continge-  
 bat, Episcopis præcepit, ne sæcularibus, ac regularibus Missas celebrare per-  
 mitterent *privatis in domibus*, & extra Ecclesias, aut Oratoria publica, quæ  
 Divino cultui destinata essent; quod nullam cum Capellis, quæ in Episcopa-  
 libus Palatiis sunt, rationem habet, quum hæc sub privatarum domorum no-  
 mine nunquam censi possint. Idem pluries a Congregatione Venerabilium  
 Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpre-  
 tam, in aliquot ejusdem Resolutionibus, validis rationibus innixis, declara-  
 tum est, quas Nos in nostro *de sacrificio Missæ Tractatu* retulimus *sect. 2. §. 45.  
 & seq.*; Latina edit. Patav. Nos enim, tunc etiam cum *in Minoribus* consti-  
 tuti, Opus aliquod inscriberemus, illud præcipue Nobis gloriosum duximus,  
 ut nulla in parte a Romanæ Curie Tribunalium sententiis recederemus, qui-  
 bus ut plurimum a Pontificiis Oraculis auctoritatis robor accedit.

§. 3. Illud tantummodo de hujusmodi Episcoporum privilegio dici poterat,  
 quod, cum idem ad Sacella, quæ in Episcopis sita sunt restringeretur, nullo-  
 modo Episcopis favere poterat; tum cum iidem extra proprias domos versa-  
 rentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel  
 Missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas Ecclesias se confer-  
 re cogentur, vel a Locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel  
 Missam celebrari facere, vel ipsi eandem celebrare, in illa habitatione, in  
 qua forte diversarentur.

§. 4. Verum recol. mem. Prædecessor Noster Bonifacius Papa VIII. in De-  
 cretali sua *Quoniam Episcopi, de Privilegiis in Sexto*, male factum reputans,  
 Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare, aut eidem non  
 interesse, eidem concessit, ut etiam extra propriam Diocesim Altari portati-  
 li, seu viatico uterentur: *presenti Constitutione indulgemus iisdem, ut Altare  
 possint habere viaticum, & in eo celebrare, aut facere celebrari, ubicumque absque  
 interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire Divina.* Dignum  
 animadversione verbum est, *Ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam,  
 quæ extra Diocesim sita sunt, comprehendit.

§. 5. Præcipuam etiam animadversionem dictæ Congregationis Concilii Re-  
 solutiones merentur cum ad Quæsitum eidem propositum, num videlicet Epi-  
 scopus, qui extra propriam Diocesim est, ad utendum privilegio Altaris via-  
 tici petere ejus rei veniam ab Episcopo Locali teneatur; minime eum teneri  
 respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII. privilegium fuisset; quoniam  
 illius Pontificis ætate antiquum Jus in suo vigore perstabat, cui, quemadmo-  
 dum mox dicetur a Conc. Trid. postea derogatum fuit, secundum quod Epi-  
 scopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter,  
 cum

PONT. cum eidem Congregationi alterum Quæsitum propositum fuisset: Num Privilegio pro Bonifacium VIII. Episcopis concessio, vel Trid. Conc. vel Pontificis ANNO  
 XI. A. Pauli V. Decretum, de quo pariter mox dicitur, præjudicium ullum attulissent; nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in Concilio, quam in citato Decreto sublata quidem Episcopis facultas fuerit, quam aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis expoliati remanserint, quæ proprias personas respiciunt, quæque eorundem dignitatis, atque characteris propria sunt: Prædictæ Resolutionis a Nobis referuntur in Nostro Tractatu de Sacrificio Missæ Latinæ edit. Patav. sect. 2. §. 42. nec non in Commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas tom. 4. super Constit. 2. Urbani V. n. 15. & seq. & a Gattico in recenti ejusdem Tractatu de Oratoriis domesticis in tit. de usu Altaris portatilis cap. 12. n. 1. & seq.

1751.

§. 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus præjudicium privilegii asserere, quam abusus eorundem; quod quidem satis, superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus privilegii Altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, & quod post Concilium Tridentinum, ac Paulinum Decretum illesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra Diocesim, ad Laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi Missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Missæ, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium privilegium ostentarent vel ut Laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non prætermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictionis subjectis contigisset. In Codicibus Actorum, seu Regestis Congregationis prædictæ lib. 48. Decretorum fol. 471. Resolutiones ipsæ referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis Prædecessore Nostro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703. sequens Decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: *Episcopi etiam in aliena Diœcesi extra Domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut per plures e suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolant, ad remedium gradus fit: Ad abusus hujusmodi eliminandos &c. Sanctissimus Dominus Noster, &c. expresse declarat, Episcopis, & his majoribus Prælati, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque sub prætextu Privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrare facere.*

§. 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tolleretur, numquam autem ut recto Privilegii usu, quidquam detraberetur. Et quia relata verba prohibitiva utpote nimis ampla, & effrænata, cuique præbere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti Privilegio Altaris portatilis, tum cum vel Diocesim visitant, vel iter faciunt, aut alia justa de causa extra residentiam sunt, atque in Laicorum domibus morantur; illato de hujusmodi re sermone in Congregationibus, quæ sub Innocentio XIII. immediato Clementis ejusdem Successore, habitæ fuerunt, quarum Nos tunc in minoribus existentes, a Secretis fuimus, opportunum factu judicatum est, ut ea, quam mox subjecimus, Declaratio fieret, quæ postea inserta fuit in ejusdem Innocenti literis incipientibus *Apostolici Ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis Bono Ecclesiasticæ disciplinæ regimine condidit, quasque etiam ejusdem Successor Benedictus XIII. in forma specifica confirmavit, & ut in omnibus locis pro regula, ac norma habe.

PONT. haberentur, in appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas, ipsam vero Declarationem inter ejusdem Concilii Decreta retulit. Tit. xv. Cap. A. XI. III. in quo quidem Concilio Nos quoque ad sacrorum Canonum Interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: *Declaramus, quod quum in prædicto Decreto, de Clementis XI. Decreto sermo est, statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis erigere Altare ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi forte, occasione Visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus a Jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia, absentes a Domo propria ordinariæ habitationis, moniam idcirco faciant in aliena Domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis non secus, ac in Domo propria ordinariæ habitationis.*

§. 8. Optimum factu judicavimus in Encyclica hac Epistola Nostra exponere Vobis hæc, quæ ad Fraternitates Vestras præcipue pertinent, nimirum quantum Vobis concessum est quoad Sacella, seu Cappellas, quæ in Episcopalibus Palatiis vestris sunt, quantum item Vobis in alienis Domibus, & extra vestra Diocesim facere permissum est; causas etiam Concessionum, ac Privilegiorum indicavimus, necnon eorundem abusus, atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut Vos discrimen agnoscat, quod intercedit inter Cappellas Episcopaliæ Aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi, & commodo vestro, quam dignitatis vestræ decori providetur, & privata Oratoria in Domibus laicorum, sive intra, sive extra Diocesim vestram, in quibus aliquando Vobis pro præcipuo sine hujusmodi commodi, & consolationis vestræ, Privilegio Altaris erigendi, ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum Vos contra abusus privatorum Oratoriorum in Domibus Laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod alienos in aliorum Domo defectus dum corrigitis, interim vestræ domi, atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propositum, quæ in domibus laicorum sunt gradum facientes aliqua præmittimus.

§. 9. Primum quidem est privatorum Oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, Apostolos Sacra Mysteria privatis in Domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus in suis notis ad Can. Trullanos apposite animadvertit: Alterum autem, privata Oratoria in Domibus laicorum, subsequentibus etiam sæculis fuisse cum persecutiones jam cessarent; cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius Tom. 1. Musæi Italici impressum edidit, Collecta legatur, quæ recitanda erat in Missa, quæ celebrabatur in domo cujuscumque; nec ad hujusmodi quidem assumptum aliæ deficiunt probationes, quas Nos in Tractatu Nostro de Sacrificio Missæ sect. 1. §. 10. cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis hujusmodi Oratoriis privatis in Domibus laicorum, seu potius facultatibus Missam in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Justiniani Novella 58. dicemus, in qua ne in domesticis Oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil præterea de Novellis 4. & 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit, asserens, adeo tunc privata Oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missæ celebrarentur, ut non solum Optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis Domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quæ proxima temporibus Nobis sunt, satis erit illa indicasse, quæ in dicto tractatu de Sacrificio Missæ loco superius citato, a Nobis allata fuerunt.

§. 10. Quartum, quod licet fere semper in laicorum Domibus privatorum Ora-



PONT. Oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebratur; semper tamen ANNO  
Episcoporum licentia necessaria fuit: ad quam concedendam ipsi valde faciles

A. XI. plerumque erant: *Missarum solemnitas non ubique, sed in locis ab Episcopo con-* 1731  
*secratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.* Verba sunt *Can. Missarum, de Consecr. dist. 1.* Hæc autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut Oratoria domestica, licet frustra prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Græcorum non nisi unicum Altare erat, & postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eundem diem celebrari minime poterat. Ballamon in *Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo cenebatur Sacerdoti licentia celebrandi Missam in privatis laicorum Oratoriis, quoties super Mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

§. 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum, post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, Opera Cardinalis Osii, & Nuncii Commendonii, in magno conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsis Concilii Historia per Cardinalem Pallavicinum conscriptum *lib. 24. cap. 13.* videre est) in *sess. 22.* in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ, sequenti modo statutum, & ordinatum fuerit: *Neve patiantur, de Episcopis sermo est, privati in Domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum Cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi, cum adjecta derogatione culibet privilegio, exemptioni, & consuetudini, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, ac consuetudinibus quibuscumque; ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum Oratoriorum privatorum in Domibus laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quæ ab ipsis daretur, celebrandi Missam in Oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum præcepto a Concilio eisdem ipsis imposto, ne id permittere debeant; ac perinde prædictum Jus ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiæ temporum, & Oratoriorum privatorum in laicorum Domibus dilatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque huiusmodi semper fuit Conciliaris Testis intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii privativa ejusdem interpretis; quæque etiam a sel. record. Prædecessore Nostro Paulo Papa V. in Epistola Encyclica Anno 1515. ad omnes Episcopos expedita, approbata fuit; quæ quidem Epistola tum apud varios Auctores, tum etiam in citato Tractatu Nostro de Sacrificio Missæ *sect. 2. §. 42.* impressa reperitur. Et in ea quidem alia quæcumque verborum Concilii intelligentia reprobatum, multaque de irreverentia erga Missæ Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti præbebat. Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii Decreto, unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.**

§. 12. Postquam Jus concedendi Oratoria in privatis laicorum Domibus Sedis Apostolicæ reservatum fuit, dici vix potest quantum curæ, ac diligentie adhibita sit pro recto ejusdem moderamine. Qua de re in Archivio Congregationis Concilii, cuius olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad majores Dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiantur. Hæc tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis literarum in forma brevis, quæ conceduntur, colligere licet: Oratoria scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vice suo delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, & apte compositum sit, & num aliquod eorum, quæ necessaria sunt, in eodem desit;

PONT. ut Episcopus sit, qui celebrandi Missa licentia hujusmodi secundum rationabile ANNO  
 illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in Ora-  
 A. XI. torio celebretur; & quod hæc Missa celebretur a Sacerdote vel Sæculari, vel 1751  
 Regulari, dummodo Sæcularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis a Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Pascatis, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, & aliis solemnioribus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, Annunciationis, & Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Titularis Ecclesiæ Loci: Exprimuntur personæ, quarum præsentia necessaria est, ut in privato Oratorio Missa celebrari possit; aliæ item, quæ, dum supradictis præsentibus Missa celebratur, eidem interesse possint, & Ecclesiastico præcepto satisfacere, denique declaratur, omnia sine Parochialium Jurium præjudicio fieri debere.

§. 13. Atque hæc sunt, quæ in consuetis privatorum Oratoriorum Brevibus continentur. Quædam vero alia expediri contingit Brevia, quæ extraordinaria sunt; ut quum, exempli gratia, justis cuipiam de causis concessio sit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in Rubricis prefixus est, vel etiam in diebus exceptis, & alia hujuscemodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum Oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controversiæ exortæ sint, Apostolica Sedes per hujusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non prætermisit.

§. 14. In Ordinariis Brevibus, ut plurimum duobus Conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem præsentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Numquam exorta difficultas est, an, cum aut Vir, aut Uxor Missæ interfunt, si consanguinei, & affines, qui in eadem domo habitant, præsentés pariter adsint, Ecclesiastico præcepto diebus Festis satisfaciant, id tamquam tutum, ac Brevis literæ coherens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter Conjugum adsit, sed unus ex Consanguineis, aut Affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo jubente in privato Oratorio Missa celebrari, & num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, & affines, eandem audientes Festo die Ecclesiastico præcepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem diviis de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii die 3. Decembris 1740. in causa, cujus inscriptio erat Marlicen. Oratorii, propositum, ac discussum esset; decisum fuit, non posse in privato Oratorio Missam celebrari, nisi Indultariorum præsentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, Viri, vel Uxoris ad quos Breve directum erat; quemadmodum in T. 9. Resolutionum Concilii anni 1740. & p. 89. & seq.; videre est.

§. 15. Cum autem Decreti hujusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos sub die 7. Januarii 1741. Confirmatum fuit; ac præterea demandatum, ut in hujusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam, ac determinatis personis concessio sit, ut unam in privato Oratorio Missam celebrari facere possint, quæ Missa pro filiis, consanguineis, & affinibus valeat, majoris claritatis gratia subiecta clausula adjungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, & affines prædicti unicam dictam Missam, vobis quidem præsentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Ut autem, quæ Indultariæ personæ sint facile agnosci posset, sine quarum præsentia Missa celebrari non potest, neque, qui eandem audit, præcepto satisfacit; adjunximus, ut pro Indultariis personis illæ haberentur, quæ in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatæ forent, cum ad eandem ipsis Breve dirigatur.

PONT. §. 16. Nos ab hujusmodi norma minime recedimus: verum quia aliqua in- ANNO  
 terdum in corpore Brevis persona nominatur, qua præsentè conceditur, ut  
 A. XI. Missa celebrari possit, & quod alii affines, consanguinei, vel familiares eam- 1751  
 dem audientes, præcepto satisfaciant, etiam si prædicta persona in Fronte  
 Brevis minime nominetur; hinc est, quòd firma semper ea regula manente,  
 ut possit in privato Oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex Indultariis perso-  
 nis adsistit, quæ in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominantur; dicimus, posse  
 Missam celebrari, etiam si nulla earum personarum præsens adsit, quæ in  
 Fronte, seu Inscriptione Brevis nominantur, dummodo illa præsens sit, cui  
 in Brevis corpore nominatum & expressa facultas tribuitur, ut possit in priva-  
 to Oratorio tum cum ipsa adsistat, facere ut Missa celebretur.

§. 17. Atque ut res exemplo magis pateat: Datur Viro & Uxori facultas  
 faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirig-  
 itur. Hic autem vir superstitem habet Matrem; hæc vero in Fronte, seu In-  
 scriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur,  
 quod ipsa quoque Mater eandem Missam celebrari facere possit, & valeat, id  
 sufficiens est, ut sola Matris præsentia adhibita Missa in Oratorio celebrari pos-  
 sit, etiam si Mater in Fronte, seu Inscript one Brevis nominata non sit. Quæ  
 hætenus dicta sunt, in hujusmodi generis Brevis indicantur; verum curæ No-  
 bis erit, ut imposterum feliciter etiam, & sine ulla confusione exprimentur.

§. 18. In consuetis, sive ordinariis Brevis, solennes, quemadmodum di-  
 ctum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur,  
 in quo tres a quolibet Sacerdote Missæ celebrantur. Interdum illi, qui privati  
 Oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eadem, va-  
 letudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum  
 autem in hujusmodi Brevis de unica tantum Missa sermo sit; orta difficul-  
 tas fuit: Num possint die Natalitio a Sacerdote, qui in ipso celebrat, tres Mis-  
 sæ celebrari, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilii ejusdem a Secretis  
 eramus, peculiare dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus,  
 sub die 13. Januarii 1725. resolutum a Congregatione fuit, quod a Sacer-  
 dote tres Missæ celebrari possent, quemadmodum tom. 3. Thesauri Resolutio-  
 num pag. 109. & seq. & pag. 106. videre est.

§. 19. Reliquum est, ut de Sacris Functionibus dicatur, quæ in iis Orato-  
 riis fieri possunt, quæ in domibus privatorum sunt, & in quibus non plures,  
 quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte curiam  
 ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod  
 ad Baptismatis Sacramentum attinet, jam in Viennensi Concilio sub Pontifice  
 Clemente V. decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, præ-  
 terquam in Ecclesiis, in quibus Sacri hujus Lavacri Fontes reperiuntur, nisi  
 cum casus necessitatis adesset, aut cum de Regum vel Principum filiis ageretur,  
 quemadmodum in Clementina unica de Baptismo, & ejus effectu, videre est.

§. 20. Quod autem Sacramentum Pœnitentiæ respicit, jam in Rituali Ro-  
 mano sub Titulo de Sacramento Pœnitentiæ, cum de Sacerdote sermo sit, qui  
 Confessiones audit, statutum fuit: *In Ecclesia, non autem in privatis ædibus,*  
*Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum incidit, studeat tamen*  
*id decenti, ac patenti loco præstare.* Rituale a Pontifice Paulo V. confirmatum  
 fuit. Et magnus Ecclesiasticæ disciplinæ Instaurator S. Carolus Borromæus tum  
 in instructione Sacramenti Pœnitentiæ, tum in monitis ad Confessarios, atque  
 in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio, id inculcare non prætermi-  
 sit, quemadmodum in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, editionis Civitatis ejusdem  
 part. 1. pag. 11. part. 4. pag. 520. eadem part. 4. pag. 761. & pag. 773. videre est;  
 pag. autem 775. Superioribus Regularium inculcat, ut id a Subditis eorum ex-  
 acte ad implendum curent. Cum autem a prædictis Confessariis Regularibus  
 prolata in medium facultas esset audiendi ubique Confessiones Fidelium, quam

**PONT.** sibi ea ratione asserabant, quod in Pontificis Clementis X. Bulla, *Supera*, **ANNO**  
**A. XI.** ( in prædicta Constitutione sua ) fuisse tributam Regularibus audiendi Confes- **1751**  
 siones Sacramentales in privatis Domibus, ac proinde minime licere eisdem  
 Regularibus cujuscunque Ordinis &c. Sacramentum Pœnitentiæ administrare in  
 Domibus privatis extra casus a Jure permisos. Quod Decretum cum Præ-  
 sulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in Ap-  
 pendice ad Synodum Fulginatensem, quæ a bon. mem. Josaphat Baptistelli  
 Civitatis ejusdem Episcopo Anno 1722. celebrata fuit.

§. 21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quæ ab unoquoque  
 Catholico Paschatis tempore recipienda est, ex præscripto tam Decreti Con-  
 ciliæ Lateranensis in. cap. *Omnia utriusque sexus, de poenitentis, & remissionibus*,  
 tum Conciliæ Tridentini *sess. 13. cap. 8. Can. 10.* nempe est, qui ignoret, præ-  
 ceptum hoc in propria Parochiali Ecclesia adimplendum esse, aut in alia Ec-  
 clesia cum proprii Episcopi, vel Parochi licentia, secundum varias Diocesium  
 consuetudines. Porro felic. record. Prædecessor Noster Paulus Papa IV. Fra-  
 tribus Minoribus privilegium concessit, ut Sacram Eucharistiam omnibus Chri-  
 stianis Fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis  
 Resurrectionis; atque hoc privilegium a sanctæ memoriæ altero Prædecessore  
 Pio Papa V. *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

§. 22. Verum quia, secundum præcedentem Eugenii IV. Constitutionem,  
 Paschale tempus, intra quod Communionis præceptum adimplendum est, a  
 Dominica Palmatum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum  
 exortum debium fuisset, num licitum Regularibus foret intra præscriptum eo-  
 rundem dierum terminum sacram Eucharistiam Fidelibus in eorum Ecclesiis  
 distribuere; resolutum fuit, die Paschatis nemini distribui posse, ne illis qui-  
 dem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam Paschali præcepto in propria Paro-  
 chiali Ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis  
 diebus Fideles in eorum Ecclesiis Sacra Eucharistia reficere; hac tamen con-  
 ditione, ut Paschalem in propria Parochiali Ecclesia Communionem recipere  
 deberent. Illustria Congregationis Conciliæ Decreta sunt quibuldam in Cau-  
 sis, Senonensi videlicet, Burdegalensi, & Mechliniensi, quæ a Nobis in nostro  
*de Synodo Diocesana Tractatu lib. 7. cap. 42. num. 3.* relata sunt.

§. 23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in Sacro Trid. Concilio  
*sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ*, quæ subjicimus verba legantur: *Optaret qui-  
 dem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spiri-  
 tuali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo  
 ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberius perveniret*, non desuit, qui ex  
 iisdem verbis deduceret, quod certe & clare inde consequatur; ut in privatis  
 Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia  
 possit iis, qui Missæ præsentibus adsunt; neque ad hoc præstandum ullo parti-  
 culari Indulto opus sit. Super hujusmodi quæstionis capite Nos in *Nostri In-  
 stitut. 34. §. 3.* differuimus, inter eas, quam tum, cum Bononiæ resideremus  
 Ecclesiæ illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Insti-  
 tutiones cum Italico Sermone edidissimus, postea Romæ Latine reddidit; at-  
 que impressæ sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus;  
 verum aliam esse subjunximus, quæ Episcopi licentiam requirit, ut qui do-  
 mesticum Oratorium domi habet, dum Missæ in eodem interest, communicare  
 possit. Huiusmodi opinio tam bono rerum ordini, tum Romanæ etiam con-  
 suetudini sive praxi, coherens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in  
 privato Oratorio recipi Communionem posset ab iis, qui in eodem Missæ inter-  
 sunt, quam vel Sæcularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, nisi vel  
 Nostram, vel Generalis Vicarii nostri licentiam obtinisset.

PONT. §. 24. Neque etiam in præsens voluntas Nobis, aut ratio est, cur ad hoc ANNO  
 A. XI. Communionem illis distribuenda, qui Missæ præsentibus cum sint, eandem pe- 1751  
 tunt, quæ aliquot ab hinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini  
 Concilii verba retulissimus, atque eorum zelum commendavimus, qui inter  
 Sanctæ Missæ celebrationem Communionem recipiunt; Ecclesiasticos quoque  
 Pastores excitavissimus, ne Eucharistico Cibo illos fraudarent, qui ejusdem fa-  
 melici forent; cum, inquam, animadvertissimus, ejusmodi, circumstantias  
 dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia  
 opportunum factu existimet Sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missæ inter-  
 fuit, minime distribui; eo magis quod, juxta præsentis temporis disciplinam,  
 libera eidem facultas patet, ut eandem alio loco, atque alio tempore recipe-  
 re possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris præcepto obedi-  
 entia præstari deberet; cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum in-  
 ducium præbuisset, quam parum animo dispositus, ac paratus esset ad Altaris  
 Sacramentum recipiendum; quemadmodum in Literis nostris, quarum ini-  
 tium est, *Certiores effecti*, & quæ in Bullario nostro tom. 1. num. 64. legun-  
 tur videre est.

§. 25. Atque hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæcumque in Encyclica hac  
 Epistola nostra Vobis exponere opportunum existimavimus; a quo quidem sac-  
 tis intelligetis, quod, legendis & considerandis Apostolicis Literis concessionum  
 Oratorii, Decessorum Nostrorum Decretis, harum Coogregationum Resolutio-  
 nibus, quæ a Nobis etiam in præsentia confirmata sunt, nullus amplius liti-  
 bus, & controversis locus reliquus sit. Verum quia Vos illud fortasse Nobis  
 responsuros arbitramur, optime quidem hæc omnia habere, verum eo difficul-  
 tatem redire, quod quæcumque decreta atque ordinata sunt, minime obser-  
 vantur; ne grave Vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex ne-  
 glecta Brevium lectione, & consideratione, aut ex ignoratione Decretorum,  
 & Pontificiarum Resolutionum, originum habet, Nos quidem in hoc num-  
 quam culpandi erimus; idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet  
 ætate nostra, & multis, ac difficilimis curis assidue Nos prementibus, in En-  
 cyclicam hanc Epistolam nostram, quidquid hæc super re scire opus erat, in-  
 ferere non detrectavimus.

§. 26. Quod si Vos etiam id præstare curabitis, ut in Diocesanis Synodis  
 vestris, in vestris item Edictis, quæ a Vobis pro bono Diocesis vestræ regi-  
 mine publicantur, Pontificiorum Decretorum, ac Resolutionum desuper indi-  
 catarum observantiam inculcatis; duplex inde bonum extabit, ut, & vivam  
 in Vobismetipsis eorundem memoriam teneatis, atque ab aliis, aut ignoran-  
 tiam expellatis, aut eandem, utpote crassam deinceps, atque supinam, inex-  
 cusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt, atque in  
 præsentiarum tenent nostri Italiæ Episcopi, qui aut Pontificiorum Decreto-  
 rum, quæ super privatis Oratoriis condita sunt, Summam in Synodis suis  
 inseruerunt, aut in Appendice ad ipsas Synodos eadem Decreta *per extensum*  
 adjunxerunt, quemadmodum in Synodo anno 1724. a bon. mem. Cardinali de  
 Via Arimini habita, in altera anno 1726. celebrata a bon. mem. Cardinali Pi-  
 gnatelli Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quæ anno 1736. ha-  
 bita fuit a Ven. Fratre nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinesi tunc  
 temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

§. 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia  
 in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea præsentibus diebus con-  
 tingere scandala, quæ nunquam præteritis temporibus evenerint. Satis super-  
 que pro certo habemus, ea, quæ hodie sunt, alio tempore accidisse. Ac ne  
 a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacræ leges  
 ad privata Oratoria pertinentes a Sacerdotibus violantur, propter præsidium,  
 quo

PONT. quo nituntur, Magnatum Seculi, apud quos Cappellani munere inserviunt; ANNO  
idem nono etiam Seculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis Archie-  
A. XI. piscopus Lugdunensis, de eadem re queratur in suo Tractatu de Privilegio & 1751  
*jure Sacerdotii cap. 11.* Non tamen ideo vobis Sacerdotalis constantia, atque  
animus deponendus est. Pia ac religiosa Populorum Natio est; & si quando  
aliquis abusus in privatis ejusdem Oratorii contingat, cum id Magnati, cu-  
jus in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo,  
& ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur, sperare est, ipsum  
omne suum inobedienti Cappellano præsidium certo sublaturum. Et si quando  
infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur; præsto vobis sem-  
per spiritualia arma sunt, quibus contra Cappellanos uti potestis. Fortasse  
autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum  
fuit, pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc sta-  
tu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad  
Encyclicam hanc Epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

§. 28. At enim inconvenientia a Privilegiatis, & Exemptis proficisci vos  
fortasse dicturos prævidemus, nimirum a Regularibus, de quibus in prædicto  
recursu ad hanc Sanctam Sedem facta plura insinuantur. Nos autem id vobis  
dicimus, nulla privilegia, nec exemptiones esse, quæ impedire possint, quo-  
minus abusus exterminentur.

§. 29. Habebant sine dubio Regulares privilegium Altaris viatici, & ut su-  
per eodem Altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum  
licentia, celebrare possent, quemadmodum in Decretali Honorii III. *in Cap. In-  
his, de privilegiis*, videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut Missam pos-  
sent celebrare etiam in Domibus laicorum, sive super Altari viatico, sive su-  
per Altari fixo, etiamsi laicus privilegium Oratorii privati minime haberet;  
propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet,  
licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum Sacrum Tri-  
dentinum Concilium in citata *sess. 22.* in Decreto jam citato *de observandis, &  
evitandis in celebratione Missæ*, Episcopis præcepisset, ne permittant, ut in  
privatorum Domibus Missæ celebrentur a *Secularibus, aut Regularibus quibus-  
cumque*, eidemque dedisset facultatem procedendi, tamquam Apostolicæ Sedis  
Delegatos, contra refractarios, *Ut Delegati Sedis Apostolicæ*; atque omnibus  
privilegiis, exemptionibus, & consuetudinibus contrariis, cujuscumque gene-  
ris essent, derogasset: *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationi-  
bus, ac consuetudinibus quibuscumque*; hinc necessario sequitur, Sacrum Conci-  
lium Tridentinum tam præcedentibus Altaris viatici privilegiis derogasse,  
quam facultati Missam in privatorum Domibus, sine Episcopi licentia cele-  
brandi; atque ulterius Episcopum, tamquam Sedi Apostolicæ Delegatum,  
contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero am-  
plius esse privilegium, vel exemptionem quæ obstet, quæque impediat, quo-  
minus abusus tollantur.

§. 30. Nihil autem valent ea, quæ quibusdam promovetur, assertio videlicet,  
Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud  
*in corpore Juris* inclusum sit; etenim Sacrum Conc. Trid. iis etiam derogare  
privilegiis mentionit, quæ *in corpore Juris* inclusa sunt, nullam etiam de iis  
expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis deter-  
minando, generali adjecta a contraria privilegia derogatione; quemadmodum  
celebris Præsul Fagnanus *in cap. Nonnulli num. 42. & seq. sub tit. de Rescri-  
ptis* ample demonstrat.

§. 31. Quod si forte quis hoc unquam objiceret, concessum sæpe ab Apo-  
stolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Trid. Conc. Altaris viatici usum  
concedi; Fratemitatibus vestris notum esse debet, hujusmodi privilegium in  
iis locis concedi, ubi Ecclesiæ non sunt, aut si sunt, talis Hæreticorum po-  
tentia

PONT. tentia est, ut in eadem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint. Uno verbo præcisæ necessitati providetur; quod quidem, ANNO  
A. XI. ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu, plane diversum est. 1751

§. 32. Gregorii XIII. Decessoris nostri privilegium legite, quod anno 1580. Fratribus Ordinis Prædicatorum Provinciæ Polonicæ concessit, quod Bullarii Religiois illius Familiæ tom. 7. pag. 192. insertum est: *In quibusdam Civitatibus, Oppidis, & locis Provinciæ Polonicæ tanta hæreticorum potentia, & impietas existit, ut Catholicos impune opprimant, nec iisdem Catholicis Missas in Ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi, ac pro tempore existente Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciæ Priori Provinciali, ut licentiam, & facultatem dictis Professoribus Altaria portatilia habendi cum debitis reverentia, & honore, super quibus in Domibus Nobilium Civium, & Incolarum Civitatum, Oppidorum, & locorum dictæ Provinciæ, in quibus vel Ecclesiæ desunt, vel tanta est hæreticorum potentia, & impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus, & honestis, per se ipsos Missas in præsentia Personarum Catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica Auctoritate tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.*

§. 33. Legite item jam superius citatum Clementis XI. Decretum, quod, majoris etiam commoditatis vestræ gratia, hic annexum vobis transmittimus; etiamsi, tum cum illud conditum fuit, præter publicationem ejusdem Romæ factam, ad Ordinarios per loca, tam intra, quam extra Italiam, transmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem, absque eo, quod nostris rationibus, & animadversionibus Nos idem roborandum suspiciamus, (quod quidem facere Nobis in proclivi esset, cum præstantiorum, inter Pontificii Juris peritos, Auctorum assertiones ubique in promptu sint,) manifeste cognoscere poteritis, subsistat nec ne amplius portatilis Altaris privilegia, quæ Regularibus concessa fuerunt, & num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis num permissum Regularibus sit, secundam in privato Oratorio cuiuspiam concessio Missam celebrare, cum prima jam celebrata est, nec pro secunda hujusmodi Missa peculiare Indultum adest. Cognoscetis, num in prædictis privatis Oratoriis licitum eisdem sit, vel ante Auroram, vel post Meridiem, Missam celebrare; num celebrare eandem possint diebus iis, qui in Indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino hujusce rei necessitas sit, illud Nos in præsentia Decretum confirmamus, ac Fraternalitatum vestrarum curæ committimus, ut pro exacta ejusdem observantia invigiletis: cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurrere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quæ ab ipsa Apostolica Sede contra hujusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

§. 34. In eo, qui ad Nos factus est, recursus, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet, sine licentia vestra, Regulares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in Synodis vestris, aut in vestris Edictis decretum fuerit, ne ullus Sacerdos, vel Sæcularis, vel Regularis, exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sive intra, sive extra Cænobium, quin prius a Vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam a Vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod præstari debet, quodque ab Episcopis præstari solet, quemadmodum apud Clericatum de Sacramento Ordinis decis. 19. num. 42., ubi Episcopales Synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus, postquam a Vobis, tam in hac materia, quam in alia Oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, præstitum fuerit, vestra nihilominus præcepta violabuntur, ac pœnæ a vobis impositæ & inflictæ negligentur; nequa-

PONT. quaquam certe Nos Officio nostro decrimus, ut totam auctoritatem nostram ANNO  
in favore vestro interponamus; cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut Epi-  
A. XI. scoporum, qui Fratres nostri sunt, jura facta testa serventur. Interim tam 1751  
Fraternitatibus vestris, quam Populis curæ vestræ commissis Apostolicam Be-  
nedictionem peramanter impertimur.

Datum ex Arce Gandulphi die 2. Junii MDCCLI. Pontificatus Nostri An-  
no Undecimo.

## D E C R E T U M


Felicis recordationis CLEMENTIS PP. XI.

Circa Celebrationem in Oratoriis privatis emanatum 15. Decembris 1703.

**N**onnulli Episcopi & complures Regulares, sub pretextu privilegiorum, ea si-  
li licere putant, quæ prohibita sunt, siquidem Episcopi etiam in aliena Diœ-  
cesi, extra domum propriæ habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faci-  
unt Altare, ibique per unum, aut plures e suis Cappellanis vivificant Christi  
Hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobi-  
lium personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apo-  
stolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indul-  
tum, vel absque presentia personarum, quarum contemplatione gratiosè concessio  
emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus,  
quibus per Constitutiones Diocesanas, aut etiam Decreta Sacræ Congregationis Con-  
cilii, celebrari prohibetur, aut quæ in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quo-  
minus in illis celebrari possit; aut etiam Altari portatili uti non verentur; in  
Sacrarum Sacramentorum contemptum, ac sancti Sacrificii irreverentiam Quamobrem;  
ad abusum hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo  
Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus Noster ex unanimi Voto S. R. E. Cardina-  
lium Concilii Tridentini Interpretum, in hærendo Declarationibus alias hac de re  
editis, expresse declarat: Episcopis & his majoribus Prælati, etiam Cardinalatus  
Dignitate fulgentibus, neque sub pretextu privilegii clausi in corpore Juris, neque  
alio quoquo titulo, nullo modo licere, extra domum propriæ habitationis, in do-  
mibus laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam  
si Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ  
Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis,  
quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujuscvis Ordinis,  
aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque  
Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sa-  
cerdotibus, etiam si essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pen-  
tecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni Festis solemnioribus, ac Die-  
bus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus, prædictis Regularibus,  
& Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis cele-  
brare non licere, ubi jam unica Missa, quæ Indulto conceditur, fuerit celebrata;  
super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informa-  
re; atque illa etiam in casibus præmissis celebrari nequeat post meridiem; deman-  
dando ulterius, & declarando in omnibus casibus, personas quascumque dictas Mis-  
sas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quo vero ad Altare porta-  
tile, iterum in hærendo Declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privi-  
legia concessa nonnullis Regularibus in Cap. In his, de Privileg. ac per aliquos summos  
Pontifices aliis regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque  
celebrandi absque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino re-  
votata esse, per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares  
prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, pro ut præsentis tenore mandat  
Episco-



PONT. *Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad penas* ANNO  
 A. XI. *præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto sels. 22. cap. unico, usque ad censuras late sententiæ; tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum; ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset: & ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat &c.* 1751



PONT.

N U M. LXXXII.

ANNO

A. XI.

De his, quæ vetita sunt Hebræis habitantibus in iisdem Civitatibus, & Locis, in quibus habitant Christiani.

1751

*Epistola Encyclica ad Præmiam, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ.*

B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**A** Quo primum supremæ Dei bonitati complacitum est, ut Sanctæ Catholice Religionis nostræ primordia in Poloniæ Regno constituerentur, quod circa decimi sæculi finem sub Prædecesore nostro Leone VIII. Ducis Mieceslai, & Conjugis Dambrovkæ Christianæ opera contigit, apud Dlugofs Annalium veltorum Scriptorem *lib. 2. pag. 94.* Literis consignatum est; ab eo usque tempore pia semper ac devota Polonorum Natio adeo constans in suscepto Sanctæ Religionis proposito perstitit, adeo ab omni Sectarum genere abhorruit, ut, licet illæ nihil intentatum reliquerint, ut in Regnum istud introductæ suam ibidem sedem statuerent, atque in eodem suorum errorum, hæresum, vel pravarum opinionum semina dispergerent, eo fortius Polonorum constantia se se illarum conatibus opposuerit, & luculentiora fidelitatis suæ præbuerit testimonia.

Sane, quod ad propositum hoc nostrum aptissimum, & per se multo maximum habendum est, non modo gloriosa illa Martyrum, Confessorum, Virginum, Virorum Sanctitatis fama insignium, quibus in Poloniæ Regno nasci, enutriri, & mori contigit, memoria est, quæ in sacris Ecclesiæ fastis recensentur; sed & complurium ibidem Conciliorum, ac Synodorum celebratio, quæ feliciter ad exitum perducta sunt, & quibus magna cum gloria de Lutheranis victoria reportata est, qui omnes rationes, ac vias experti sunt, ut sibi aditum, receptumque in idem Regnum paterent. Jam vero tum magnum Petrocoviense Concilium, quod sub magno Prædecesore, & Concive nostro Gregorio XIII. Præsule Lipomano Episcopo Feronensi, & Nuntio Apostolico eidem præsidente, celebratum fuit, in quo tanta cum Dei gloria libertas concessa, quæ in Regnum illud aditum, ac domicilium quærebat, præscripta fuit; tum demum amplum illud Synodaliū Constitutionum Provinciæ Gnesnensis volumen, in quo ea omnia literis consignata sunt, quæ a Polonis Episcopis utiliter, & sapienter acta, ac provisæ fuerunt, ut in Populis regimini eorum commissis Christiana Religio adversus Judaicam perfidiam illibata servaretur, licet temporum conditio ferat, ut iisdem Urbibus, atque Oppidis, tum Christiani, tum etiam Judæi contineantur, quæ quidem luculentissime comprobant, quantam, quod ante dictum est, Polonorum Natio ex eo sibi laudem comparaverit, quod Sanctam Religionem a Majoribus suis ante tot sæcula susceptam sartam semper studuerit, testamque servare.

Cum multa eorum capita sint, de quibus dudum mentionem fecimus, de  
 Pars II. S nullo,

PONT. nullo, præterquam de novissimo, merito est, quod conqueri debeamus: adeo ANNO  
 ut vel cum fletu illud exclamare cogamur: *Mutatus est color optimus*. Sane tum  
 A. XI. ex iis, quæ per graves, ac fide dignas Personas, Polonicarum rerum peritas 1751  
 Nobis fuerunt exposita, tum ex querelis eorum, qui in Regno sunt, quique  
 zelo ducti, ad Nos, atque ad hanc Sanctam Sedem recursum habuerunt, notum  
 Nobis factum est, adeo isthic Judæorum numerum multiplicatum esse, ut  
 aliquot Loca, Civitates, atque Oppida, quæ, ut ex ruinis constat, muro ante  
 probe circummunita erant, quæque, ex antiquis Tabulis, sive Regestis,  
 magno Incolarum Christianorum numero frequentata fuisse apparet, diruta  
 modo, situ, & squalore fœda, ac magno Judæorum quidem numero referta,  
 Christianorum autem quasi plane destituta reperiantur. Præterea esse aliquot  
 in eodem Regno Paræcias, quarum Populus cum non leviter diminutus sit,  
 ac proinde redditus, earum minor effectus, prope jam in eo sint, ut  
 ab eorum Parochiis deferantur. Ad hæc omnem utiliorum mercium nego-  
 tiationem, qualis liquorum, atque etiam vini est, ab eisdem Judæis teneri,  
 ipsos ad exercendam publicorum redituum procuracionem admitti, conductas  
 insuper ab eisdem Cauponas, Prædia, Pagos, Possessiones haberi, per quæ in  
 miseros Christianos homines, qui in rustica arte censentur, hærillem potestatem  
 nasci, non modo eos immitti & inhumano imperio ad labores, atque  
 opera duriter exercent, atque ad immanium onerum vecturas compellunt; sed  
 pœnas etiam imponunt, quibus ad verbera quoque, & plagas in corpore ferendas  
 coguntur. Quo fit, ut illi infelices ab auctoritate hominis Judæi, tamquam  
 Subditi de nutu, & potestate Domini, dependeant. Qui licet in hisce  
 pœnis inflingendis Christiani Administri opera uti teneantur, penes quem facultas  
 eosdem puniendi sit; cum tamen hic Viri Judæi, qui Dominus est, mandata exequi  
 necesse habeat, eidem ne ab officio removeatur, tyrannica illius implenda sunt.

Præter publicas autem procuraciones, quæ, ut modo diximus, a Judæis habentur;  
 Cauponarum, Pagorum, Prædiorum conductiones, a quarum rerum  
 exercitio tot ac tanta in Christianos homines præjudicia dimanant; alia insuper  
 accedunt absurda, quæ si rite expendantur, iis, quæ exposita fuere, majus  
 damnum, ac perniciem asferre possunt. Quod enim gravissimum censendum  
 est, ipsi Judæi in Magnatum domos ad domesticæ, sive œconomicæ rei gerendæ  
 munus, quod Magisterii Domus nomine venit, admissi in unius domus tanquam  
 conturbatio cum Christianis versantes, imperii specimen super eosdem assidue  
 proferunt, atque ostentant. Jam vero in Urbibus, & Locis, non modo Judæos  
 Christianis passim permixtos cernere est, sed illud absurdi adjungitur, quod  
 iidem Christianos utriusque sexus etiam pro famulis servitio suo addictos domi  
 retinere minime vereantur. Porro autem ipsi Judæi cum exercendis mercaturis  
 potissimum occupentur, postquam ea via grandem pecuniæ summam consecerunt,  
 nimio uluratum excessu Christianorum census, ac patrimonia penitus exhauriunt:  
 ac licet ipsi etiam a Christianis hominibus cum gravi, & immodico scœnore  
 pecunias cum suarum Synagogarum indejussione mutuentur, facile, cuique  
 attendenti, patet, id ea causa ab eisdem fieri, ut copia nummorum a  
 Christianis habita eaque in mercaturis faciendis occupata, non solum ex ea  
 tantum lucri faciant, quantum pacto scœnori solvendo satis sit, simulque  
 proprias ea ratione facultates amplificent; sed ut eodem tempore, quot sui  
 creditores sunt, tot suarum Synagogarum, ac sui ipsius Patronos habeant.

Celebris ille Monachus Radulphus, immodico olim ductus zelo, adeo contra  
 Judæos exarsit, ut sæculo duodecimo, quo vixit, Galliam, Germaniamque  
 percurreret, & contra eosdem Judæos, utpote Sanctæ Religionis nostræ hostes,  
 concionando, Christianos inflammaverit, ut ipsos ad interfectionem dele-  
 rent; quæ causa fuit, ut tam magnus Judæorum numerus interficeretur. Quidnam  
 vero eum, si hodie in vivis ageret, facturum, aut dicturum putandum  
 est,

PONT. est, si quæ in præsentia in Polonia contingunt, fieri videret? Nimio huic, & ANNO  
 A. XI. stola sua 363. quam ad Clerum, & Populum Galliæ Orientalis dedit, ita scri- 1751  
 ptum reliquit: Non sunt persequendi Judæi, non sunt trucidandi, sed nec ef-  
 fugandi quidem. Interrogate eas Divinas paginas. Novi quid in Psalmo legitur  
 prophetarum de Judæis: Deus ostendit mihi, inquit Ecclesia; super inimicos meos,  
 ne occidas eos, ne quando obliviscantur Populi mei. Viri quidem apices nobis sunt  
 repræsentantes Dominicam Passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes Regiones,  
 ut dum justas tantæ facinoris pœnas luunt, testes sint nostræ Redemptionis. In E-  
 pistola autem 365. ad Henricum Archiepiscopum Moguntinum ita ab eodem  
 scriptum est: Nonne copiosus triumphat Ecclesia de Judæis per singulos dies, vel  
 convincens, vel convertens eos, quam si semel & simul consumeret eos in ore gla-  
 dii? Numquid incassum constituta est illa universalis Oratio Ecclesiæ, quæ offer-  
 tur pro perfidis Judæis a Solis ortu usque ad occasum, ut Deus, & Dominus au-  
 ferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis a suis tenebris eruantur?  
 Nisi enim eos, qui increduli sunt, credituros speraret superfluum, & vanum vi-  
 deretur orare pro eis.

Contra Radulphum item Petrus Cluniacensis Abbas ad Ludovicum Franco-  
 rum Regem dum scripsit, eundem quidem hortatus est, ne Judæorum exci-  
 dium fieri permetteret; verum eodem tempore ipsum excitavit, ut pro excelsis  
 eorum in illos animadverteret, eosque bonis iis expoliaret, quæ vel a  
 Christianis abstulissent, vel per usuras accumulassent, atque eorum prærium in  
 Sanctæ Religionis usum, utilitatemque converteret, quemadmodum in Anna-  
 libus Venerabilis Cardinalis Baronii ad annum Christi 1146. videre est. Nos  
 quidem in hac re non minus, quam in omnibus aliis, eandem agendi nor-  
 mam suscipimus, quam Venerabiles Decessores nostri Romani Pontifices ten-  
 uerunt. Alexander III., gravibus propositis pœnis, Christianis interdixit,  
 ne continuum apud Judæos servitium, aut famularum susciperent: Ne Judæo-  
 rum servitio se assidue pro aliqua mercede exponant; cujus rei ratio hæc, quæ  
 sequuntur, ab eodem exponitur: Quia, Judæorum mores, & nostri in nullo  
 concordant, & ipsi (scilicet Judæi) de facili ob continuam conversationem, &  
 assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animas  
 inclinarent; quemadmodum in Decretali: Ad hæc, de Judæis, legitur. Inno-  
 centius III. postquam narravit, quod a Christianis intra Urbes eorum Judæi  
 reciperentur, hujusmodi receptionis methodum, & conditionem talem esse de-  
 bere admonet, ne ipsi maleficium pro beneficio rependant: Qui tamquam mi-  
 sericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illatam retributionem impen-  
 dunt, quam juxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio & ignis  
 in sinu suis consueverunt hospitiibus exhibere: Idemque Pontifex asserens conve-  
 niens esse: Judæos Christianis, non autem hos illis inservire, addit: Ne filii  
 Libere filie famulentur Ancillæ, sed tamquam servi a Domino reprobati, in cu-  
 jus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos  
 illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit; quæ verba in Decre-  
 tali sua, Etsi Judæos reperiuntur. In alia item: Cum sit nimis, sub eodem ti-  
 tulo de Judæis, & Saracenis, ne Judæi in publicis officiis adhibeantur, interdi-  
 cit: Prohibentes, ne Judæi in publicis officiis præferantur, cum sub tali prætextu  
 Christianis plurimum sint insens. Innocentius etiam IV. dum ad Sanctum Lu-  
 dovicum Francorum Regem scriberet, cui Judæos e Regni sui finibus expel-  
 lere in animo erat, consilium hujusmodi approbat, quoniam ipsi minime illa  
 observarent, quæ respectu ipsorum a Sede Apostolica præscripta essent: Nos  
 ad animarum salutem totis affectibus aspirantes, expellendi prædictos Judæos vel  
 per se vel per alios, præsertim cum statuta contra eos a Sede prædicta edita, si-  
 cut accepimus, non observent plena Tibi, auctoritate præsentium, concedimus facul-  
 tatem, quemadmodum apud Raynaldum, ad annum Christi 1253. n. 34. videre est.

PONT. Si autem quærat, quænam res illæ sint, quæ Judæis intra eandem Ur- ANNO  
 bes, in quibus Christiani habitant, degentibus, ab Apostolica Sede interdicun-  
 A. XI. tur; ea ipsa omnia omnino esse dicemus, quæ hodie in Poloniæ Regno agen- 1751  
 di facultas eisdem permittitur, & quæ superius a Nobis exposita sunt. Ad  
 hujus rei veritatem manifestò deprehendendam non multa quidem librorum  
 lectione opus fuerit. Titulum Decretalium *de Judæis, & Saracenis*, percurre-  
 re satis est; Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, Nicolai IV.  
 Pauli IV., S. Pii V., Gregorii XIII., & Clementis VIII. Constitutiones in  
 promptu sunt, atque in Bullario Romano habentur. Vos autem Venerabiles  
 Fratres, ut eadem illa clarissime perspiciatis, ne ipsam quidem lectionis cu-  
 ram suscipere opus habetis. Omnia in Decretorum vestrorum Synodis statuta,  
 atque præscripta vobis occurrunt; cum ipsi quidem minime prætermiserint in  
 suis Constitutionibus ea omnia inferere, quæ, quod ad præsentem materiam  
 attinet, a Romani Pontificibus sancita, atque ordinata sunt.


Summa autem difficultatis in eo sita est, quod Synodali. Sanctionum vel  
 memoria excidit, vel executio negligitur. Vobis itaque, Ven. Fratres, onus  
 incumbat, ut eandem renoveris. Vestri hoc officii ratio hoc exoptat, ut ea-  
 rumdem executioni sedulo insistatis. In hoc autem ab Ecclesiasticis hominibus,  
 sicut par, & æquum est, initium facite, quos in recta agendi ratione viam  
 alias commoustrare, & exemplo cæteris præluere opus est. In Dei enim mi-  
 seratione Nos sperare juvat, bonum Ecclesiasticorum hominum exemplum aber-  
 rantes Laicos in rectam semitam reducturum. Quæ quidem a vobis eo facilius,  
 ac fidentius præcipi, & mandari poterunt, quod, ( prout certis atque idoneis  
 Auctoribus allatum est ) vestra neque bona, neque jura per vos Judæis locari,  
 nullum cum eisdem mutuas pecunias dandi, atque accipiendi negotium inter-  
 cedere, unoque verbo ab omni cum eisdem commercio liberos omnino Vos  
 atque immunes esse Nobis innotuit.

Ratio, ac methodus a sacris Canonibus ad debitam a contumacibus obedi-  
 entiam exigendam præscripta, ea est, ut in maximi momenti causis, cujusmodi  
 præsentis sunt, Censuræ adhibeantur, & ut inter casus reservatos illi etiam  
 adjungendi sunt, a quibus discrimen Religioni, atque exitum imminere pro-  
 videatur. Probe notum vobis est Sacrum Trid. Concil. jurisdictionis vestræ fir-  
 mitati consuluisse, tum cum vobismetipsis jus reservandi casus asseruit; neque  
 eos ad publica tantum crimina restrinxit, verum etiam *ad atrociora, & gra-  
 viora*, dummodo mere interna non sint, extendit, atque ampliavit. Complu-  
 ries autem ab hujusce Almæ Urbis nostræ Congregationibus in variis Decre-  
 tis, & Encyclicis Epistolis decisum ac pronuntiatum fuit, atrociores inter, at-  
 que graviores casus, eos recenseri debere, ad quos procliviores homines sunt,  
 & qui conjunctam Ecclesiasticæ Disciplinæ, sive salutis animarum, quæ Epis-  
 copali curæ commissa sunt, perniciem habent, quemadmodum a Nobis in no-  
 stro Tractatu *de Synodo Diocesana lib. 5. cap. 5. per iotum*, fuisse ostensum est.

Ad hanc autem rem nihil per vos auxilii a Nobis desiderari patiemur, ac  
 pro expediendis difficultatibus, in quas procul dubio incideretis, si vobis con-  
 tra eos Ecclesiasticos procedendum esset, qui a jurisdictione vestra exempti  
 sunt, Nos Ven. Fratri Archiepiscopo Nicæno nostro isthic Nuntio opportuna  
 pro eodem negotio mandata præscribimus, ut ab eodem, juxta facultates sibi  
 traditas necessaria præstentur. Illud simul pro certo vobis pollicemur. Nos  
 tum cum opportunitas feret, enixe atque omni efficacia de hac re cum illis  
 etiam agere non prætermitturos, opportuna quorum auctoritate, ac potentia  
 adjuncta, effici potest, ut a Nobili Poloniæ Regno hujusmodi labe, atque  
 ignominia auferatur. Vos autem Venerabiles Fratres, a Deo primum, qui  
 honorum omnium auctor est, ferventiori cordis affectu opem exposcite. Ab  
 eodem Nobis etiam, atque huic Apostolicæ Sedis auxilium precibus vestris im-  
 plorate; & dum omni vos charitatis plenitudine complectimur, Fratritati-  
 bus

PONT. bus vestris, & Gregibus curæ vestræ commissis Apostolicam Benedictionem per- ANNO  
ramanter impertimur.

A. XI. Datum ex Arce Gandulphi die 14. Junii 1751. Pontificatus nostri Anno 1751  
Undecimo.



PONT.

N U M. LXXXIII.

ANNO

A. XI.

NONNULLÆ SOCIETATES,

1751

Seu Conventicula de' Liberi Muratori, seu des Francs Magons, vel aliter nuncupata, iterum damnantur, & prohibentur: cum invocatione brachii, & auxilii Sæcularium Principum, & Potestatum.

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**P**ROVIDAS Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Leges, atque Sanctiones, non solum eas, quarum vigorem vel temporum lapsu, vel hominum neglectu labefactari, aut extingui posse vereamur, sed eas etiam, quæ recentem vim, plenumque obtinent robur iustis gravibusque id exigentibus causis, novo Auctoritatis Nostre munimine roborandas confirmandasque censemus.

§. 1. Sane sæl. record. Prædecessor Noster Clemens Papa XII. per suas Apostolicas Literas Anno Incarn. Dom. MDCCXXXVIII. iv. Kal. Maii Pontificatus sui Anno VIII. datas, & universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est, *Eminentissimi*: nonnullas Societates, Cætus, Conventus, Collectiones, Conventicula, seu Aggregationes, vulgo *de' Liberi Muratori*, *des Francs Magons*, vel aliter nuncupatas, in quibusdam regionibus, tunc late diffusas, atque in dies invalescentes, perpetuo damnavit, atque prohibuit; præcipiens omnibus, & singulis Christifidelibus, sub poena Excommunicationis ipso facto, absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi possit, ne quis auderet vel præsumeret hujusmodi Societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari aut interire, & alias prout in eisdem Literis latius & uberius continetur, quarum tenor talis est; videlicet:

C L E M E N S E P I S C O P U S

S E R V U S S E R V O R U M D E I.

Universis Christifidelibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

§. 2. **I**N Eminentissimo Apostolatu Specula, meritis licet imparibus Divina disponente Clementia constituti, juxta creditum Nobis Pastoralis providentiæ debitum, ut ( quantum ex alto conceditur ) sollicitudinis studio iis intendimus, per quæ erroribus, vitisque aditu intercluso, Orthodoxæ Religionis potissimum servetur integritas, atque ab Universo Catholico Orbe difficilissimis hisce temporibus perturbatorum pericula propellantur.

Sane vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuit, longe lateque progredi, atque

PONT. atque in dies invalescere nonnullas Societates, Cœtus, Conventus, Collectiones, ANNO  
 Aggregationes, seu Conventicula, vulgo de' Liberi Muratori, seu Francs Maçons, A. XI. aut aliqua quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus 1751  
 cujuscumque Religionis, & Sectæ Homines affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto æque, ac imperio fœdere, secundum Leges, & Statuta sibi condita, invicem consociantur; quæque simul etiam operantur, cum districto iurejurando ad Sacra Biblia interposito, tam gravium pœnarum exaggeratione in violabili silentio obtegere adstringuntur.

Verum, cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, & clamorem edat sui indicem; hinc Societates, seu Conventicula prædicta vehementem adeo Fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem Aggregationibus nomen dare, apud prudentes & probos idem omnino sit, ac pravitatis & perversioris notam incurvere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odia lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut in plurimis Religionis memoratæ Societates per Sæculi Potestates tamquam Regnorum securitati adversantes, proscriptæ ac provide eliminatæ jampridem extiterint.

Nos itaque animo volentes gravissima damna, quæ ut plurimum ex hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis, nedum temporalis Reipublicæ tranquillitati, verum etiam Spirituali Animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum Civilibus, tum Canonis minime coherere sanctionibus; cum Divino eloquio doceamur, diu, noctuque, more Servi fidelis & præsentis Dominicæ Familiæ præpositi, vigilandum esse ne hujusmodi Hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innixos sagittent in occultis; ad latissimam, quæ iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de justis, ac rationabilibus Causis Nobis notis, easdem Societatis, Cœtus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula: De' Liberi Muratori, seu Francs Maçons, aut alio quocumque nomine appellatæ, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinali consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, damnanda, & prohibenda esse statuimus, & decrevimus, prout præsentis Nostræ perpetuo valitura Constitutione damnamus, & prohibemus.

Quocirca omnibus, & singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, Ordinis, Dignitatis, & Præminentie, sive Laicis, sive Clericis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis districtè, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu, aut quæstio colore audeat, vel præsumat prædictas Societates De' Liberi Muratori, seu Francs Maçons, aut alias nuncupatas, inire, vel propagare, conservare, ac in suis ædibus seu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu communitatem facere, ut alicubi convocetur; iisdem aliquid ministrare, sive alias constitutum, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, vel indirecte, per se, vel per alios quoquo modo præstare, necnon alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu interferant, vel ipsas quomodolibet juvent, ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, Cœtibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus, seu Conventiculis, prorsus abstinere se debeant sub pœna Excommunicationis per omnes, ut supra, constitutas ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo, per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Volumus insuper, & mandamus, ut tam Episcopi, & Prælati, Superiores, aliique Locorum Ordinarii, quam Hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati, Inquisitores, adversus transgressores, cujuscumque sint status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, vel præminentie, procedant, & inquirant, eosque tamquam

PONT. quam de hæresi vehementer suspectos condignis pœnis puniant, atque coerceant; iis ANNO  
 enim, & eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi,  
 A. XI. ac condignis pœnis coercendi, & puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, 1752  
 brachii sæcularis auxilio, liberam facultatem tribuimus, & impertimur.

Volimus autem, quod earundem præsentium transumptis etiam impressis manus  
 alicujus Notarii publici subscriptis & sigilo Personæ in dignitate Ecclesiastica con-  
 stitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhi-  
 beretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam Nostre Declarationis, damnationis,  
 mandati, prohibitionis, & interdictionis, infringere, vel ei ausu temerario con-  
 traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei,  
 ac Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ  
 MDCCXXXVIII. quarto Kalendas Maii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

§. 3. Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere, ac vulgo  
 factare non dubitaverint, dictam Excommunicationis pœnam a Prædecessore  
 Nostro, ut præfertur, impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa  
 præinserta Constitutio a Nobis confirmata non fuerit; quasi vero pro Aposto-  
 licarum Constitutionum a Prædecessore editarum subsistentia, Pontificis succes-  
 soris expressa confirmatio requiratur.

§. 4. Cumque etiam a nonnullis piis ac Deum timentibus Viris Nobis insi-  
 nuatum fuerit, ad omnia calumniarum subterfugia tollenda, declarandamque  
 animi Nostri tum ejusdem Prædecessoris mentem ac voluntatem, magnopere  
 expediens fore, ut ejusdem Prædecessoris Confirmationi novum Confirmationis  
 Nostre suffragium adjungeremus.

§. 5. Nos, licet huculque, dum pluribus Christifidelibus de violatis ejusdem  
 Constitutionis legibus vere pœnitentibus, atque dolentibus, seque a damnatis  
 hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis omnino recessuros, & numquam im-  
 posterum ad illas & illa reddituros ex animo proflentibus, absolutionem ab  
 incurfa Excommunicatione, tum antea sæpe, tum maxime elapso jubilæi An-  
 no benigne concessimus, seu dum facultatem Pœnitentiarius a Nobis deputatis  
 communicavimus, ut hujusmodi Pœnitentibus, qui ab ipsis confugerent, eam-  
 dem absolutionem Nostro nomine & auctoritate impertiri valerent; dum etiam  
 sollicito vigilantia studio instare non prætermisimus, ut a competentibus Ju-  
 dicibus, & Tribunalibus, adversus ejusdem Constitutionis violatores pro delicti  
 mensura procederetur, quod & ab eis re ipsa sæpe præstitum fuit; non qui-  
 dem probabilia dumtaxat, sed evidentiæ, & indubitata argumenta dederimus,  
 ex quibus animi nostri sensus, ac firma ac deliberata voluntas, quoad censu-  
 ræ per dictum Clementem Prædecessorem, ut præfertur impositæ vigorem, &  
 substantiam, latis aperte inferri debuerant: siquæ autem contraria de Nobis  
 opinio circumferretur, Nos eam securi contemnere possemus, causamque No-  
 stram, iusto Dei omnipotentis judicio relinquere, ea verba usurpantes, quæ  
 olim inter sacras actiones recitatas fuisse constat: *Præsta, quæsumus, Domine,*  
*ut mentium reprobarum non curemus obloquium; sed eadem pravitate calcata exo-*  
*ramus, ut nec teneri Nos laceationibus patiaris injustis, nec captiosis adulationi-*  
*bus implicari, sed potius amare quod præcipis: ut habet antiquum Missale, quod*  
*S. Gelasio prædecessore Nostro tribuitur, & a Venerabili Servo Dei Josepho*  
*Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, que inscribitur: Contra ob-*  
*loquentes.*

§. 6. Ne tamen aliquid per Nos improvide prætermisum dici valeret, quo  
 facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, atque os obstruere  
 aucto prius nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardina-  
 lium consilio, eandem Prædecessoris Nostri Constitutionem præsentibus, ut  
 supra,

PONT. supra, de verbo ad verbum insertam, in forma specifica, quæ omnium amplissima, & efficacissima habetur, confirmare decrevimus; pro ut eam ex certa ANNO  
 A. XI. scientia, & Apostolicæ Auctoritatis Nostræ plenitudine, earumdem præsentium literarum tenore in omnibus, & per omnia, perinde ac si nostris motu 1752  
 proprio, auctoritate, ac nomine primum edita fuisset, confirmamus, roboramus, & innovamus, ac perpetuam vim, & efficaciam habere volumus, & decernimus.

§. 7. Porro inter gravissimas præfatæ propositionis, & damnationis causas in præinserta Constitutione enunciatas, una est, quod in hujusmodi Societatibus, & Conventiculis, cujuscumque Religionis, ac Sectæ homines invicem confociantur; qua ex re satis patet, quam magna perniciæ Catholicæ Religionis puritati inferri valeat. Altera est æctum, & impervium secreti fœdus, quo occultantur ea, quæ in hujusmodi Conventiculis fiunt; quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimium diversa protulit: *Honestæ semper publico gaudent, scelera secreta sunt*. Tertia est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt; quasi liceat alicui, cujuscumque promissionis, aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus, omnia fateri teneatur, quæcumque exquiruntur ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi Conventibus fiat, quod sit contra Religionis, aut Reipublicæ Statum, & Leges. Quarta est, quod hujusmodi Societates non minus Civilibus, quam Canonicis Sanctionibus advertari dignoscantur, quum scilicet jure Civili omnia Collegia, & Sodalicia præter publicam auctoritatem confociata prohibeantur; ut videre est in Pandectarum *Lib. XVII. tit. 22. de Collegiis, & Corporibus illudis*; & in celebri Epistola C. Plinii Cæcili secundi, quæ est *XCVII. lib. X.* in qua ait, edicto suo, secundum Imperatoris mandato, vetitum fuisse, ne Hætariæ essent, idest ne Societates, & Conventus sine Principis auctoritate iniri & haberi possent. Quinta est, quod jam in pluribus Regionibus memoratæ Societates, & Aggregationes Sæcularium Principum Legibus proscripæ, atque eliminatæ fuerant. Ultima demum, quod apud prudentes, & probos viros eadem Societates, & Aggregationes male audirent, eorumque judicio, quicumque eisdem nomina darent, pravitatis, & perversionis notam incurrerent.

§. 8. Denique idem Prædecessor in præinserta Constitutione Episcopos, & Superiores Prælatos, aliosque Locorum Ordinarios excitat, ut pro illius executione, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilium invocare non prætermittant.

§. 9. Quæ omnia, & singula non solum a Nobis approbantur, & confirmantur, eisdem Ecclesiasticis Superioribus respectively commendantur, & injunguntur; verum etiam Nos ipsi pro Apostolicæ sollicitudinis officio præsentibus Nostris Literis Catholicorum Principum, omniumque sæcularium Potestatum opem, auxiliumque ad præmissorum effectum invocamus, & enixo studio requirimus; quum ipsi Supremi Principes, & Potestates electi sint a Deo defensores Fidei, Ecclesiæque protectores; ideoque eorum manus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut Apostolicis Constitutionibus debitum obsequium, & omnimoda observantia præstetur, quod iis in memoriam revocarunt Tridentinæ Synodi Patres *Sess. XXV. cap. XX.*; multoque antea egregie declaraverat Imperator Carolus Magnus, suorum Capitularium *tit. 1. cap. 2.* Ubi, post demandatam omnibus sibi subditis, Ecclesiasticarum Sanctionum observantiam, hæc addidit; *Nam ullo pacto agnoscere possumus qualiter Nobis Fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis Sacerdotibus, inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis Ditionum suarum Præsidibus & Ministris injungens, ut omnes & singulos ad debitam obedientiam Ecclesiæ Legibus exhibendam omnino compellerent; gravissimas quoque pœnas adversum eos indixit, qui hoc præstare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentibus eisque inobedientes fuerint inventi, sciant, se nec in nostro Imperio hono-*



PONT. honores retinere, licet etiam Filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque no- ANNO  
 bificum, aut cum nostris Societatem, aut communitatem ullam habere, sed magis  
 A. XI. sub districtione & arriditate poenas luent. 1750

§. 10. Volumus autem, ut earundem præsentium Transumptis, etiam im-  
 pressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Digni-  
 tate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ  
 ipsis Originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ Confir-  
 mationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitio-  
 nis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis  
 autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Bea-  
 torum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ  
 MDCCLI, Quintodecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.


VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 28. ejusdem Mensis, & Anni.



PONT.

NUM. LXXXIV.

ANNO

A. XII.

DE BONIS ECCLESiarUM,

1752

Quæ semel ad Infidelibus occupata, deinde in Christianorum  
 potestatem devenerunt.

Epistola ad R. P. Nicolaum Lercari Sacr. Congregationi de Propaganda Fide  
 Secretarium conscripta, occasione Postulatorum a R. P. Archiepiscopo Antiba-  
 rensi eidem Congregationi prepositorum.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilectæ Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

URBEM Antibarum, italice *Antivari*, eo nomine appellatam, propterea  
 quod in ora illius regionis, quæ nunc *Albania* dicitur, contra Barium  
 Apuliæ Civitatem constituta sit, jamduam, ut nosse, Othomanicæ  
 Dominationis jugum premit, ab anno scilicet 1571. ut testatur Republicæ  
 Venetæ senator Jacobus Diedo in nitida, quam nuper edidit, Historia ejusdem  
 Reipublicæ tom. 2. lib. 7 pag. 261. : Neque Venetis datum est, illius possessionem  
 recuperare, magno licet virtutis conatu, tum anno 1648., tum etiam anno  
 1717 in id incubuerint, ut idem Historicus prosequitur. De hac Urbe P. Da-  
 niel Farlati tom. 1. *Illyrici Sacri*, in *Prolegomenis part. 2. cap. 5. §. 3. pag. 150.*  
 ita scribit: *Antibarium Urbis præcis ignota, quod sæculis posterioribus condita*  
*fuit, e regione Bari civitatis Apuliæ, a qua nominata est, quasi contra Barium;*  
 idemque Auctor iudicet, Diocæsa Urbe in ruinis jacente Archiepiscopalem illius  
 Pars II. T titu-

PONT. titulum translatum fuisse Antibarum; & nomina Episcoporum suffraganeorum, ANNO  
 qui novo Archiepiscopo assignati fuerunt, descripta legi in Bulla Alexandri  
 A.XII. Papæ II. ; ut autem Sedes Archiepiscopalis in præfata civitate collocaretur, 1752  
 occasionem desumptam fuisse ex infortunio, quod accidit quatuor Episcopis,  
 Antibarensi, Cattarensi, Olchiniensi, & Suacensi, qui dum Spalatum pete-  
 bant, ut Provinciali Concilio interessent, naufragio perierunt; ut videre est  
 in laudatis Prolegomenis part. 3. sect. 2. §. 5. pag. 308.

Venerabilis Frater hodiernus Archiepiscopus Antibarensis, pastoralis zeli  
 laude magnopere commendatus, quum Diocesim suam vísisset, & acta vísi-  
 tationis ad Congregationem de Propaganda Fide misisset, super duobus sequen-  
 tibus capitibus opportunum sibi lumen ab eadem præberi, & adjumenta præ-  
 stari postulavit. In primo capite exponit, Turcas Albania potitos, magnam  
 partem bonorum ad Ecclesias pertinentium occupasse, quorum nonnulla dein-  
 de Christianis fidelibus divendita, alia vero eisdem ad colendum tradita fuerunt.  
 In secundo autem refert, nonnullos ex Christianis, domos habentes proximas  
 Ecclesiis everfis, & prædia prædijs Ecclesiæ olim pertinentes usurpasse. Quæ-  
 rit propterea quomodo in his se gerere debeat; & an hujusmodi malis reme-  
 dium nullum, & quodnam sit adhibendum; declarans se lumine sibi præstito  
 usurum. ut opportunis documentis instruat Confessarios, qui ea vehementer  
 exoptant; quum aliqui sint ex hujusmodi possessoribus, qui nihil pensi ha-  
 beant, alii vero propriæ conscientiæ stimulos cohibere cupiant, atque a cen-  
 suris absolvi, quas contra detinentes Ecclesiarum bona statutas, & latas esse  
 non ignorant. Addit præterea Archiepiscopus, hoc idem, quod in præfata  
 vísitatione peragenda, in sua Diocesi evenire comperit, in aliis quoque Al-  
 bania Diocesibus contingere, ita ut manibus magno operi admotis, tumultus,  
 & discordias suscitatum iri pertimescat.

Utroque capite hujusmodi in Congregatione de Propaganda Fide mature  
 discussio, existimavit ipsa, debere Archiepiscopum, accitis ad se Missionariis,  
 Parochis, & Confessariis, eisdem injungere, ut pœnitentibus demonstrant,  
 non posse eos sine propriæ conscientiæ damno detinere bona, quæ olim ad  
 Ecclesias pertinentia, deinde a Turcis occupata in eorum manus devenerunt,  
 sive ea a Turcis ipsis emerint, sive tanquam derelicta sibi usurpaverint; ideo-  
 que necessarium omnino esse, ut aliquem legitimum titulum habeant, quo se  
 in eorum bonorum possessione confovere possint: totamque difficultatem in  
 novo hujusmodi legitimo titulo adveniendi versari. Quamobrem ipsa Cong-  
 regatio proposuit, ut possessores Archiepiscopum adire debeant, eique di-  
 stinctam exhibere indicationem quantitatis bonorum, quæ ex antiquo Ecclesia-  
 rum censu ad eos ita pervenerunt. Ipsi autem Archiepiscopi æquitati &  
 prudentiæ permittendum, ut & Ecclesiarum utilitati, quantum fis est, pro-  
 videre, & possessoribus novum legitimum titulum procurare studeat, eos ad-  
 mittendo ad novos contractus, puta, emphyteuticos, tenuissimis etiam cano-  
 nibus impositis, juxta facultates, quæ a Nobis præfato Archiepiscopo concedi  
 poterant. Concluserit denique, hac facilitate dumtaxat erga illos agendum, qui  
 invitati ad præmissa præstanda accesserint, contumacibus in propria perditio-  
 ne derelictis. Quum vero hæc omnia a te, Dilecte Fili, juxta tui ministerii  
 debitum, Nobis diligenter relata fuerunt, & pro opportuna facultatum con-  
 cessione supplicatum; Nos vero ad rem accurate inspiciendam, & perpenden-  
 dam, nonnihil temporis sumplerimus; nunc tandem decrevimus sententiam  
 nostram hac super te, quæ magni momenti effectus parere potest, in scrip-  
 tis redigere.

Sane a nemine in dubium revocatur, quid in bello justo capitur, quod ad  
 hostem pertinebat, in victoris dominium transire; mobilia scilicet in illius  
 potestatem, qui primus ea occupaverit, immobilia vero in dominium supremi  
 Principis, qui bellum intulit, ut sibi pro ipsius belli expensis satisfaciat, ali-  
 quando

PONT. quando etiam, ut majores ad defensionem vires sumat, ac se a futuris even- ANNO  
tibus tueatur. Sylvius in 2. 2. qu. 40. art. 1. quæsit. 6., & conclus. 7. Covaruvias

A. XII. in 2. part. Relict. Regul. Possessor malæ fidei s. 11. sub num. 6. Similiter extra con- 1753  
troversiam est, in bello injusto, totum id, quod capitur, restituendum; quum  
occupatio hujusmodi nihil aliud sit, quam formalis rapina. Ita docet S. Thom.  
2. 2. qu. 66. art. 8. ad primum: en ejus verba: Circa quædam distinguendum est:  
quia si illi qui deprædantur hostes, habeant bellum justum, ea, quæ per violentiam  
in bello acquirunt, eorum efficiuntur; & hoc non habet rationem rapinæ;  
unde nec ad restitutionem tenentur &c. si vero illi, qui prædam accipiunt ha-  
beant bellum injustum, rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur, Illu-  
stria sunt exempla veterum Romanorum, qui quum injustitiam belli suscepti  
agnoverunt, quicquid abstulerant, prompte restituerunt, ac detrimenta, quæ-  
cumque victis, & debellatis populis præliando intulerant, summa fide repara-  
runt. Hæc in Livii Historiis occurrunt; ac duo hujusmodi exempla a Valerio  
Maximo referuntur, alterum, quod pertinet ad Faliscos a Quinto Lutatio do-  
mitos, alterum ad Camarinos a Publio Claudio devictos, atque per varias  
Orbis plagas dispersos. Cum Publius Claudius Camarinos ductu atque auspiciis  
suis captos animadvertibat; tam quia parum liquida fide id gestum ab Imperato-  
re videbatur; (Senatus) maxima cura conquestos redemit, iisque habitandi gra-  
tia locum in Aventino assignavit, & prædia restituit &c. justitiæque promotissimo  
tore effecit, ut exitio suo lætari possent, quia sic renati erant.

Hinc patet, quum bellum, quo Turcæ Antibarum occuparunt, omni pro-  
cul pubio fuerit injustum, quicquid ea occasione ab ipsis captum & occupa-  
tum fuit, sive mobile, sive immobile fuerit, id eos injuste usurpasse, veram-  
que in eo rapinam commisisse; quare omnia justitiæ ratio postulet, ut ab  
ipsis cuncta restituerentur Christianis, quos fortunis suis injuste spoliarunt,  
vel, illis vita functis, eorum hæredibus & successoribus. Sed hoc non est præ-  
sentis quæstionis subjectum; & si esset, frustra de eo ageretur, quod in per-  
ditis, & desperatis rebus habendum est. Quæstionis cardo vertitur circa bona,  
quæ Turcæ Christianis vendiderunt, & nunc ab emptoribus detinentur; quæ-  
riturque utrum, qui ea emerint, quinque emptorum hæredes aut legitimis  
Successores sunt, tuta conscientia retinere illa possint, an vero eadem legiti-  
mis Dominis restituere teneantur; idque eo magis, quod agitur de bonis ad  
Ecclesias, & Monasteria pertinentibus quorum injusta detentio censurarum pœ-  
na multatur; quodque, quum Ecclesiastici, non secus ac Pægrini, in bellis,  
minime sint partes Reipublicæ nocentis, efflagitat ipsa ratio, ut nec illorum,  
nec istorum personæ lædantur, neque bonis suis exturbentur, ut legitur De-  
cretali: *Innovamus, de Tregua, & Pace*; ubi, necessitatis publicæ causa, hoc  
ipsum privilegium ad mercatores etiam, & agricolas extenditur, ut optime  
ad citatum Textum perpendunt Repetentes. Quamquam autem id sæpe sæpius  
re ipsa non observetur: Quos Canones rationabiles ac sanctos, quantum ad id,  
quod positivi juris pertinet, an abusus deleverit, nescio: verba sunt Cardinalis  
Cajetani in ejus Summa, verbo: *Belli damna* s. 4. de damnis; illud tamen non  
obstat, quominus prædictorum Canonum ratio habenda sit, quoties de anima-  
rum directione in foro conscientiæ agatur.

De Peregrinis, Clericis, & Ecclesiis, ad sensum laudatæ Decretalis, loqui-  
tur Sylvius loco citato conclus. 5. *Spoliare peregrinos, & hospites, qui sunt in  
urbe hostili, non licet, nisi constet de eorum culpa, quia non sunt pars Reipubli-  
cæ adversæ: neque etiam licet spoliare Ecclesias, Monasteria, vel Ecclesiasticos,  
etiamsi ex causa rationabili data sit civitas prædæ militum, quam neque ipsi ve-  
re sint pars populi hostilis.*

De extensione autem hujusmodi juris ad mercatores, & agricolas, agit Lay-  
mann. in Commentariis ad eandem Decretalem, ubi, postquam illud statuit,  
quod Clerici, & Pægrini, membra non sunt Republ. nocentis, ideoque in

PONT. bellis etiã, quæ jure inferuntur, nec in persona, nec in rebus damnum ANNE  
 pati aliquod debent, hæc addit: *Quædam vero personæ non sunt pars Reipubli-*  
 A. XII. *cæ nocentis, ut mercatores & agricolæ; & his parcendum est propter publicam* 1752  
*necessitatem, ne commerciis, & agricultura impediatis, magis incommodum af-*  
*feratur.*

Denique quod licet Canonice Leges in praxi negligantur, earum tamen ratio necessario habenda sit, ad animas, conscientiasque tuto dirigendas, re-  
 Æ, sapienterque suo more differit Covarruvias in 2. p. Relec. Regul. Possessor.  
 malæ fidei §. II. sub num. 8. §. At hæc leges.

Quæstionis statu sic constituto, ideoque ad intimam illius discussionem de-  
 scendentes necessarium ducimus in hac nostra Epistola inferere duo Decreta an-  
 ni 1630. jam typis edita in Operibus Peyrini tom. 3. Privileg. in addit. cap. 4.  
 num. 30. & 31. & Auctoribus cæteroquin, qui postea scripserunt, probe cognita,  
 ut ex infra dicendis apparebit, licet fortasse accuratam totius rei notitiam  
 non habuerint. Nam ea omnia tamquam decreta Congregationis supremæ In-  
 quisitionis, & quidem a Pontifice Urbano VIII. approbata & confirmata edi-  
 derunt. Verumtamen constat, Dubia, super quibus Decreta emanarunt, a P.  
 Francisco Longobardo Ordinis Minorum Tuneti Missionario transmissa fuisse  
 ad Congregationem de Propaganda Fide, quæ quum a suis Theologis diligen-  
 ter ea examinari fecisset, consilium cepit eadem ad Congregationem Sancti  
 Officii remittere. Hæc autem insignium suorum Theologorum ope, quorum  
 nomina in ipsius Tribunalis Actis recensentur, in novum illa deduxit exa-  
 men. Quindecim porro fuerunt Dubia a P. Longobardo transmissa; atque ad  
 ea omnia tum Theologi Congregationis de Propaganda Fide, cum Consultores  
 supremæ Inquisitionis sua responsa ediderunt. Verum ex iisdem Dubiis aliqua  
 relata fuerunt in Congregationibus habitis coram Pontifice Urbano VIII., ad  
 quæ Pontificium adhuc extat responsum: Reliqua vero minime competum  
 est, an coram Pontifice proposita fuerint. Inter hæc autem quintum illud &  
 sextum numerantur, quæ nimirum præsentem respiciunt controversiam: ita  
 ut error facti sit, id quod Auctores asserunt, responsa scilicet ad quintum &  
 sextum Dubium Oraculo Pontificio confirmata fuisse; quum nihil aliud revera  
 sint, quam responsa Theologorum Congregationis de Propaganda Fide, & Con-  
 sultorum S. Officii, quæ tamen suo robore non carent, quum a doctis Viris,  
 & Sacra Theologiæ, jurisque Canonici peritissimis emanaverint.

Proposuit igitur P. Franciscus Longobardus sequentem quæstionem ordine  
 quintam: *Utrum Christiani liberi qui hic ( idest Tuneti ) negotiandi gratia com-*  
*morantur, & alii captivi, ementes a Pyratibus infidelibus bona a fidelibus rapta,*  
*& in hac Urbe venum exposita, vel dono ea recipientes, ut hic, ad proprios usus*  
*utantur, vel ad terras Christianorum lucri gratia transmittant, peccent mortaliter,*  
*& teneantur ad restitutionem.*

Responsio Theologorum de Propaganda Fide fuit sequens: *Patres deputati*  
*existimarunt, bona Christianorum a Pyratibus, posse Fideles absque noxa mortua-*  
*li, & onere restitutionis, emptione, venditione, aut alio quocumque legitimo ti-*  
*itulo sibi accipere, ac in proprios usus convertere, non obstante, quod sint in bello*  
*injusto rapta.*

Sequitur sexus casus a P. Longobardo propositus: *Utrum antedicti, præser-*  
*tim Mercatores liberi, non solum peccent ratione rei male acceptæ, sed injustæ ac-*  
*ceptionis, tamquam rapientium receptatores, & consequenter teneantur in solidum*  
*ad restitutionem, non solum meritum emptarum, sed omnium præterea damnorum*  
*Christianis illatorum. Ratio dubii, est, quia, ut quidam asserunt, Pyratæ inter*  
*depredandum, aliqua rapiunt spe vendendi dictis captivis vel liberis Christianis,*  
*quæ hac spe sublata, non raperent, ut Infidelibus non necessaria, neque utilia*  
*hæc autem non semper accidit in rebus magni pretii, & ipsi Mercatores liberi prin-*  
*cipaliter hic morantur, ut emanet merces loci, & præterea eorum incolatus multum*  
 vide

PONT. videtur conferre ad miserorum captivorum redemptiones secretius, facilius, & vi- ANNO  
lius faciendas, præter quotidianas eleemosinas, quibus non solum sublevant neces-  
A.XII. sitates captivorum, sed etiam supeditant ex magna parte Oratoriis, & Ministris 1752  
Divini Cultus.

Theologi de Propaganda Fide ita responderunt: A Patribus deputatis concor-  
di voto decisum est, Fidelium neminem Tunceti commorantium teneri ad restitu-  
tionem bonorum raptorum per Pyratas Christianis, neque incurere noxam peccati  
mortalis; etiamsi Pyratæ bona illa subripiant spe lucri ex futura venditione eisdem  
Fidelibus facienda, alias non furaturi: licet peccare possint ex complacencia super  
furto rerum per Pyratas Christianis sublatarum.

A Theologis de Propaganda Fide, ad Consultores Sancti Officii translatum  
fuit Dubiorum examen: & hi quidem sententiam illorum approbaverunt &  
confirmarunt: Nonnulli tamen addiderunt, ad hoc ut emptores Christiani ab  
omni peccati nota immunes essent, necessarium fore, ut animum paratum ha-  
berent ad restitutionem emptarum rerum, si unquam verus earum Dominus  
compareret, easque redimere vellet, soluto pretio, quod emptor Turcis in  
emptione numeravit. Aliqui tamen qualificatores dixerunt, requiri animum res-  
titutionis, accepto pretio, si dominus rerum occurrerit. Neque hoc ad pacandas  
conscientias inopportuna, aut a ratione alienum est. Molina in Opere de  
Justitia & Jure tom. 1. tract. 2. disp. 118. num. 5. ita scribit: Ad pacandas ta-  
men conscientias illud est addendum, quando verisimile est, illas, idest merces,  
quas Christiani homines a Turcis aut Saracenis emerint, qui eas per vim oc-  
cupaverant, deventuras numquam esse in potestatem suorum dominorum, ut ordi-  
narie eveniet, licitum esse eas emere vili etiam pretio, eo animo, ut si proprius  
Dominus comparerit, illas accipiat pro eodem pretio; sin minus emptor illas sibi  
retineat. Quoniam verisimile est, eam esse præsumptam dominorum voluntatem;  
& quoniam quodammodo essent irrationabiliter inviti, nisi id ita vellent. Aique  
ita respondi aliquibus Christianis captivis, qui in Africa emerunt vili pretio a  
Mauris aliqua de spoliis Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit. Atque  
hec sententia communis dici potest; cui reliqui omnino suffragantur: Coninch.  
disp. 31. de bello dub. 7. num. 126. Reginald. tom. 2. lib. 21. cap. 8. sect. 4. nu. 117.  
Decallil. lib. 2. tract. 1. disp. 10. nu. 429. Tannet tom. 3. disp. 2. qu. 6. nu. 76. &  
77. Fragos. de regim. Christianæ Reip. tom. 3. part. 1. lib. 3. disp. 5. num. 16. Ca-  
stro Paulus Oper. Moral. tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 5. num. 27. Bonacio Oper.  
Moral. tom. 2. de restitutione in genere disp. 2. qu. ult. punct. ult. 9. 3. nu. 23. Diana  
in Edit. Coord. tom. 7. tract. 7. resol. 33. n. 8. Eorum etiam aliqui, & præcipue  
Molina, & Castro Palaus, addunt, id locum habere in sacris rebus mobilibus,  
puta Calicibus, aliisque sacris suppellectilibus. De his enim fortius procedere  
censenda est superius indicata præsumptio; quod scilicet Christianidelibus, ad  
quos hujusmodi res ablatæ pertinent, molestum non sit, aut saltem esse non  
debeat, illas in dominio potius aliorum Christianorum, quam Turcarum, &  
Saracenorum existere.

Hugo Grotius in suo Tractatu de Jure belli ac pacis lib. 2. cap. 10. §. 9. nu. 1.  
hanc statuit regulam: Rem alienam bona fide emptam, restituendam, nec posse  
erogatum pretium repeti: ac immediate sequentem addit exceptionem: "Cui re-  
" gularè hæc addenda mihi videtur exceptio, nisi quatenus dominus rei suæ pos-  
" sessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuit, ut puta,  
" si res apud Pyratas fuerit; tunc enim deduci poterit, quantum dominus im-  
" pensurus libenter fuerat. Ipsa enim facti possessio præsertim recuperatu dif-  
" ficilis, est aliquod æstimabile; & in hoc dominus post rem amissam censetur  
" factus locupletior. Et in lib. 3. cap. 10. §. 6. num. 1. postquam docuerat,  
" quod qui detinet rem in bello injusto ab alio captam, eam restituere tenetur:  
" Qui damnum ipse non dedit, sed rem bello injusto captam ab alio penes se  
" habet; tenetur eam reddere: quia cum alter ea carere debeat, nulla causa  
" subest.

PONT. „ subest naturaliter iusta, non consensus ipsius, non malum meritum, non ANNO  
 „ compensatio: „ relata paulo ante exceptionem resumit, & ita prosequitur  
 A.XII. „ num. 2. Poterit tamen, si quid sumptus aut operæ impendit is, qui rem te- 1752  
 „ net, deducere tantum, quantum domino valebat adipisci desperatam posses-  
 „ sionem, secundum ea, quæ alibi explicata sunt. Quod si rei possessor culpæ  
 „ exors eam consumpserit, aut eliminaverit, non tenebitur, nisi in quantum  
 „ censei potest locupletior factus. „ Jure Civili cautum est, ut qui alienum  
 „ servum, ab hostibus prius captum emerit, illius dominium acquirat, ea tamen  
 „ lege, ut eum teneatur restituere antiquo domino, si hic pretium rependat,  
 „ quod emptor, quamvis mancipii conditionem non ignoraret, pro illius em-  
 „ ptione perfolvit. Si autem hic eum alienum esse nescivit; statuitur, domino  
 „ comparenti ac pretium offerenti restituendum, dummodo infra triennii spatium  
 „ comparuerit; quo tempore elapso, antiquus dominus jure redimendi cadit:  
 „ ut colligitur *ex lege in bello §. quis servum ff. de captivis & postliminio reversis*,  
 „ alteri conjungenda *L. Ab hostibus C. eod. tit.* Hæc omnia comprobant justum  
 „ omnino esse id, quod Theologi S. Officii responsis Theologorum Congregatio-  
 „ nis de Propaganda Fide addiderunt; Eandemque certiore, stabilioremque red-  
 „ dunt sententiam illorum, qui docent, pretium restituendum esse illi, qui nu-  
 „ merata pecunia, rem ab hostibus etiam in bello injusto captam sibi acquisivit.  
 „ Quamquam enim Hugo Grotius, quod pertinet ad restitutionem pretii, cum  
 „ aliis prælegatis Auctoribus non consentiant, quum tamen a domino tantum em-  
 „ ptori rescindendum velit, quantum ipse ad rei amissæ possessionem recuperandam  
 „ æquo animo impendisset; si hujus æstimatio summæ a Forensi Calculatore re-  
 „ cte ineatur, magnum profecto erit, nisi ad eam pecuniæ quantitatem pertin-  
 „ gat, quam emptor pro rei acquisitione perfolvit.

Quæ hætenus exposuimus in rebus mobilibus tantummodo locum habent; ideoque tota disputationis difficultas nunc eo redacta est, ut videatur, an hæc eadem, quæ de mobilibus dicta sunt, immobilibus etiam rebus aptari possint; quandoquidem dubia, quæ nunc examinantur, quæque præsentis disquisitioni occasionem præbuerunt, mobilia bona non respiciunt, sed immobilia. Porro si aliqua differentia inter mobilia, & immobilia intercederet, & ratio, quæ pro illis valida reputatur, pro his æque afferri non posset; vel si aliqua adesset legum dispositio, quæ rerum immobilium dominis magis faveret, facile quisquam affirmare posset, quod, licet is, qui a Turcis res mobiles in bello captas mercatus fuerit, eas tuta conscientia detinere queat, modo animus ipsi sit ad restitutionem paratus, quotiescumque dominus comparuerit, & pecuniæ impensæ solutionem obtulerit; non idem tamen iudicium de emptore immobilium ferre liceret.

Diximus autem, ea, quæ superius exposita sunt, locum sibi vindicare in so-  
 lis mobilibus: Decreta enim anno 1630. edita, de mobilibus loquuntur, ac de  
 mobilibus item differunt supra recensiti Auctores. Innuimus etiam dubitari  
 posse, an aliqua differentia juris intersit inter mobilia, & immobilia bona: at-  
 que hujus differentiæ ratio a Nobis nunc exponenda est. Fundamentum, quo  
 innititur ea sententia, quod Christiani tuta conscientia retinere possint bo-  
 na mobilia, quæ a Turcis emerunt, a Turcis autem in bello injusto aliis Chri-  
 stianis hominibus ablata fuerant, in præsumpta dominorum voluntate positum  
 est, quæ scilicet aut consentit, aut non dissentit omnino, ut prædicta eorum  
 bona mobilia ab aliis Christianis acquirantur. Etenim ex mobilibus nullus  
 fructus percipitur; domini autem libentiore animo, aut minore certe molestia  
 ferre debent, quod illa in Christianorum potestatem deveniant, potius quam in  
 dominio Turcarum remaneant, a quibus facilius disperderentur; ut recte pon-  
 derat Molina loco laudato, atque etiam prosequitur Verjuy in suo *Pastorali*  
*Missionariorum tractat. 4. art. 13. de Hereticis §. Probatur etiam ratione.* Quoniam  
 vero hæc ratio a præsumpta dominorum voluntate desumpta, ad immobilia,  
 quæ

PONT. quæ Christifideles emunt, extendi nequit, tum quia domini fructus amittunt, ANNO  
 tum quia hujusmodi bonorum dispersionis timor non adest; hinc oritur indica-  
 A. XII. ta juris differentia, quæ inter mobilium, ac immobilium acquisitionem inter-  
 cedit. Denique paulo ante significavimus aliquid forsan reperiri posse legibus  
 præscriptum, quod immobilibus, non item mobilibus favet. Sane in *L. Si quis  
 bello ff. de re militari* sequentia verba legere est: *Si quid in bello captum est,  
 in præda est, non postliminio reddit*: quibus verbis mobilia significantur, ut  
 animadvertit Glossa. At vero in *L. Si captivus, eod. tit.* leguntur hæc alia:  
*Expulsis hostibus ex agris, quos ceperant, constitit, dominia eorum agrorum ad  
 priores dominos redire, nec aut publicari, aut prædæ loco cedere*: quæ Doctori-  
 bus argumentum præbent asserendi, majori privilegio in bellis gaudere immo-  
 bilia, quam mobilia bona. Hæc enim postquam in militum manus deven-  
 runt, licet deinde pax conficiatur, non amplius restituuntur; illa vero anti-  
 quis dominis, pace inita, illico redduntur: ut recte animadvertunt Molina loco  
 citato §. Covarruvius part. 2. Relat. Regul. Possessor malæ fidei §. 11. num. 7.  
 resolut. 33. num. 3. Castro Palau tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 4. num. 24. Qui-  
 bus sic stantibus, conclusum superius a Nobis est, facile quempiam propugna-  
 re posse, ex rationibus adductis concedi quidem Christifidelibus, ut mobilia  
 de Turcis empta, licet ab his in bello injusto occupata fuerint, tuta conscien-  
 tia detineant, dummodo ea restituere domino parati sint, qui pretio oblato  
 redimere illa velit; ac id de emptore immobilium non æquè affirmari posse.  
 Id autem nunc, Auctorum scita, atque rationes ad trutinam revocando, de-  
 monstrandum aggredimur.

P. Leonardus Lessius obiit antequam decreta anni 1630. emanarent, scilicet  
 anno 1623. In ejus Opere Theologico in S. Thomam, exhibentur resolutio-  
 nes nonnullorum conscientiaæ casuum, in quorum sexto, verbo *Beneficium*, se-  
 quentem sibi proponit quæstionem, ordine secundam: *An Catholici emere pos-  
 sint ab Hæreticis bona Ecclesiastica?* atque ita respondet: *Non licet Catholicis  
 emere bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum ab Hæreticis occupata, & confiscata,  
 nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolu-  
 menti, & fructibus, qui inde obtulerunt: quia bona illa in specie sunt aliena,  
 similiter fructus illorum*; Ex quibus sequitur, ut inferius ostendemus, empto-  
 rem ab Ecclesiis, & Monasteriis numquam repetere posse pretium bonorum  
 hujusmodi a se persolutum. Quum autem objiciendam sibi prævideret, quod  
 bona illa, nisi emissent Catholici, remansissent penes Hæreticos, qui perci-  
 perent ex eis fructum; respondet id minime ad rem facere, quandoquidem  
 Hæretici quoque ad restitutionem obligarentur. Denique id Catholicis consilii  
 præbet, ut cum bonorum dominis agentes, cum iis paciscantur, ac novos  
 contractus ineant, quorum præsidio bonorum possessionem tuta conscientia  
 retinere valeant.

Post Decreta anni 1630. scripserunt sequentes Auctores de illis expressam  
 facientem mentionem. Verjuys loco citato a Lessii opinione recedit in eo, quod  
 respicit restitutionem fructuum, sed cum eo sentit, quod ad fundi restitutio-  
 nem pertinet, etiamsi dominus emptori solutum pretium non rependat: Ra-  
 tionem autem sic opinandi in præsupposita bona hæc collocat, quæ si vere  
 adsit, possessorem a fructuum quidem, minime vero a fundi restitutione exi-  
 mere potest. *Poste Catholicos bona fide possidentes Monasteria, domos, Tempia,  
 vel similia bona immobilia, illa tantisper sibi pacifice retinere, quamdiu a pro-  
 priis dominis occupari non possunt; nec interea obligantur ad interesse, aut quid-  
 quam solvendum pro fructibus.* Ardekinus in sua Theologia tripartita tom. 2.  
 part. 2. tract. 6. quæst. 10. quarit, *an Catholici possint emere bona aliorum Ca-  
 tholicorum, injusto bello ab Hæreticis occupata*: ac respondet, id fieri posse, I.  
 si dominorum voluntas in eo contenta est; II. si Pontifex assensum præbeat,  
 ad quod adstruendum affert citata Decreta anno 1630. edita III. si conventio-  
 nibus

TENT. nibus inter Catholicos, & Hæreticos Principes initis cautum sit, ut Hæretici ANNO  
 Catholicorum bona retinere possint, ac libere de illis disponere, quæ omnia  
 A. XII. extra casum præsentis quæstionis versantur. Ibi autem religiosus Auctor pro- 1752  
 cul dubio loquitur de bonis immobilibus; inter cæteras enim sententiæ suæ ra-  
 tionis, utilitatem perpendit, & commodum Catholicæ Fidei, cui magis pro-  
 desse asserit, quod bona penes Orthodoxos, quam in Hæreticorum manibus  
 existant: *Et sane plures ob causas, multo conductibilibus videtur, bona illa tali  
 emptione in manus Catholicorum devolvi, qui tanto potentius possunt negotium Fi-  
 dei protegere, ac propagare, quam si ea penes hæreticos perpetuo remanerent: quæ  
 quidem ratiocinatio immobilibus convenit non item mobilibus Verum rationes  
 illæ ab Austrore indicatæ, & a Nobis paulo ante relatæ, nullius aut levis ad-  
 modum roboris sunt. Etenim dum bona immobilia ad Catholicos olim perti-  
 nentia, illisque in bello injusto ablata, Orthodoxi ab Hæreticis emunt, præ-  
 sumpta dominorum voluntas adesse non potest, ut supra dictum est; Decreta  
 vero anno 1630. edita, quæ de mobilibus loquuntur, ad immobilia trahi ne-  
 queunt: Denique conventiones, & concordata inter Catholicos Principes lai-  
 cos, & Heterodoxos invita super possessione, ac detentione bonorum Ecclesia-  
 sticorum, ab Apostolica Sede improbantur; ut proluxe probat P. Schmalzgrue-  
 ber *consil. tom. 2. consil. 15. qu. 1.* & hæ sunt conventiones, ad quas alludit cita-  
 tus Auctor. De hac materia loquitur etiam La Croix Presbyter Societatis Jesu  
*in sua Theologia Morali tom. 1. lib. 3. part. 2. num. 972.* ac Decreta anni 1630.  
 se probe nosse indicat: ac quum nil aliud ipse faciat, quam ea referre, quæ  
 a supra laudatis Auctoribus dicta fuerunt, in neutram partem allegari, aut  
 proferri potest.*

P. Carolus Franciscus a Breno Ord. Min. Strictioris Observantiæ, in suo  
*Manuali Missionarium Orientalium tom. 2. lib. 1. cap. 3. quæst. 21.* hanc proponit  
 quæstionem. *An bona Ecclesiastica ab Infidelibus redempta, restitui necessario de-  
 beant, vel saltem transactio adhiberi;* ac respondet, restituenda esse; tum quia  
 Christianus, sciens bona illa Ecclesiæ esse, alienam rem mala fide possideret;  
 tum quia non potuit Infidelis raptor in emptorem Christianum transferre jus  
 majus illo, quod ipsemet in bona divendita habeat: ideoque, si venditor,  
 propter rapinæ vitium, nullum omnino jus habuit in rem violenter ablatam,  
 occupatam, & postea divenditam; nihil pariter juris in eandem rem acquisi-  
 vitæ dicendus est, qui eam mercatus fuit: Tum denique, quia regula genera-  
 lis est, quod etiam ille, qui furti ignarus, a fure aliquid emit, in foro con-  
 scientiæ ad restitutionem tenetur, simul ac verus, legitimusque dominus occur-  
 rit. Invehit deinde in eos, qui quum ab Infidelibus aliquid ad Ecclesiam perti-  
 nens mercati sint, debiti sui partes implere se putant, si Parochos, ad quorum  
 Ecclesias res emptæ pertinent, ad convivium, & cœnas invitent. Non omittit  
 Pater a Breno sæpe memorata decreta anno 1630. condita commemorare, sed  
 ea pertinere censet tantummodo ad bona mobilia a pyratibus capta, ac inde Chri-  
 stianis divendita, quorum verus dominus sperari nequit, ut ad ea redimenda  
 compareat. Denique sibi objicit, quod qui numerata pecunia ab Infidelibus  
 emit Ecclesiæ bona, rem eidem Ecclesiæ utilem gesserit; ideoque non solum  
 nullum exinde damnum pati, verum etiam aliquam si fieri potest, utilitatem  
 percipere debeat: Huic argumento respondet, emptores, qui rem ab Infideli-  
 bus redemerint, id emolumentum ex emptione capere, ut ab Ecclesia pretium  
 repetant, aut ad aliquam cum ipsa compositionem deveniant: *Ementes bona  
 Ecclesiæ ab usurpatoribus Infidelibus, restituere quidem tenentur, quum sua bona  
 illa non sint, sed accepto pretio, vel alia compositione cum Prælati habitata. Ve-  
 rum quum Auctor ad aliam ex prima consequentem quæstionem gradum faciat,  
 videlicet utrum emptor restituere bona teneatur, etiamsi Prælati nec pretium  
 reddere, nec compositionem ullam facere velit, & hujusmodi quæstioni affir-  
 mative respondeat; videtur profecto id, quod ante affirmaverat, evertere, &  
 non*



Part. non cohærenter ratiocinari: Si vero Prælati quidquam ipsis redimentibus restituere nollet, aut transactionem, vel compositionem ullam facere, adhuc emptores, seu redimentes illi restituere omnino tenerentur, quum bona illa reipsa sint Ecclesiæ, ac infortunio suo tribuere, quod emerint rem alienam, eo modo, quo discurremus de ementibus a fure, quotiescumque ab ipso repetere pretium minime possint.

Quibus sane diximus Auctorem evertere id, quod antea affirmaverat. Superius namque voluerat, emptorem a vero domino pretium recuperare. Nunc autem ipsius domini arbitrio permittens huiusmodi pretium reddere, aut non reddere, vult porro, rem ab emptore, etiam sine pretii recuperatione, restitui. Diximus etiam, eundem non cohærenter ratiocinari. Quum enim statuerit, immobilium dominium penes antiquum dominum semper remanere, nec unquam ad emptorem transiisse; ex hoc satis aperte consequitur, non quidem rei pretium solvendum esse a legitimo domino, qui eam recuperare intendit, sed potius rem ipsam, sine ulla solutione, aut pretii restitutione, ab eo recuperandam esse; aliter enim rem suam emere cogeretur. Quod si aliquis responderet, id ab æquitate, & iustitia alienum non esse, quoniam juxta Decretum anni 1630. idem omnino contingit in mobilibus, quæ sine solutione pretii a domino recuperari non possunt; responderetur, dominium mobilium, quamvis resolubile, in emptorem transire, qui deinde illa domino pretium offerenti, restituere tenetur; id autem minime accidere emptori immobilium, quorum dominium remanet semper apud legitimum dominum. Rerum porro dominium a priore domino ad alterum non transfertur, nisi id aut lex jubeat, aut hominis voluntas præscribat. Emptores autem tam rerum mobilium, quam immobilium, pro eo quod ad legem attinet; æquali prorsus jure censentur. Nulla enim lege præscriptum est, ut dominium rerum sive mobilium, sive immobilium, a vero domino ad illum, qui eas ab invaloribus, ac raptoribus mercatus fuerit, transferantur. Sed differentia, quæ inter mobilium, ac immobilium emptorem intercedit, ab hominis voluntate oritur; quia nimirum domini voluntas, ut supra dictum est, illi non autem illi, favere præsumitur.

Itaque Decretis anni 1630. nullo modo contraire nobis videtur, si asseramus, satis fundatam esse opinionem illam, quæ immobilium domino justribuit, ut sine ulla pretii restitutione recuperare valeat bona sua, cum omnibus fructibus inde perceptis ab illo, qui numerata pecunia ea ipsa ab invaloribus emit. Id enim exigit natura belli injusti, in quo huiusmodi bona occupata fuerunt; id expedit eorum Auctorum sententia, qui optima ratione docent, eum, qui furtivam rem se emere dubitat, aut suspicatur, non posse deinde a domino repetere pretium, quod furi numeravit: *Emptor malæ fidei si sibi emit rem, quam vel sciebat, vel dubitabat, seu suspicabatur esse furtivam, non potest a domino illius rei repetere pretium, quod numeravit furi venditori, quoniam talis repetitionis nullum habet justum titulum*: verba sunt Sylvii in 2. 2. S. Thom. qu. 62. quæst. 6. art. 6. conclus. 3. pag. 461. ultimæ editionis Antuerpiæ: Id exigit opinio communis eorum, qui docent, etiam illum, qui rem furto sublatam, bona fide, vel ab ipso fure, vel ab alio mercatus fuit, teneri eandem domino reddere, nec solum pretium ab eo repetere posse; ut videre est apud Sanchez in summa lib. 2. cap. 23. num. 2., & apud Bonacinam tom. 2. de restit. in gen. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. proposit. 2. num. 4. Id ipsum deducitur ex regula, quam sequuntur majora Tribunalia; quorum videlicet auctoritate decernitur, bona immobilia Ecclesiarum ab Hæreticis occupata, statim ac ab ipsorum manibus elapsa fuerint, ipso jure redire ad Ecclesias, ad quas pertinebant: uti videre est in Decisionibus Heripolen. Monasterii 10. Junii 1707, & 17. ejusdem mensis cor. bon. mem. Cassarellio, confirmatis in decis. 362. n. 1. tom. 5. cor. bon. mem. Lancetta Decano. Ita præscribit famigeratus Textus Innocentii III. in cap. Scæpe. De restitutione spoliatorum. Quum enim jus Civile beneficium interdicti Unde vi, sive restitutionis concessisset duntaxat adversus

PONT. illum, qui per vim alium de possessione dejecerat, & contra ejus hæredem Anno  
 universalem; ut habent *Lex 1. §. ult.*, & *lex. 2. ff. Unde vi*; minime vero con-  
 A.XII. tra illum, in cujus potestatem res furto ablata devenerat; ut patet ex *L. 7.* 1752  
*ff. eod. tit.*; etiamsi ille, dum rem emit, furtivam eam esse non ignorasset;  
 idque ea ratione, quod interdictum *Unde vi* directe propositum fuerat adver-  
 sus eum, qui vim intulisset: *Unde tu illum vi dejecisti*. Magno illo Pontifici  
 parum tuta visa est hæc Juris Civilis dispositio; ideoque decrevit, ut reme-  
 dium Possessori *Unde vi* locum etiam haberet adversus illum, qui spoliium qui-  
 dem non commiserat, sed rem, quam alienam, ac furto sublatam esse non  
 ignorabat, a spoliatore mercatus fuerat: *non obstante Juris Civilis rigore, san-  
 ctimus, ut si quis de cætero scienter rem talem acceperit; quum spoliatori quasi  
 succedat in vitium &c. contra possessorem, & hujusmodi spoliato per restitutionis  
 beneficium succurratur*: Atque sequentem Decreti sui attulit rationem: *Eo quod  
 multum interst, quoad periculum animæ, injuste detinere, aut invadere alienum*.  
 Hoc denique postulat Canonici Juris Adagium, quod est in *Can. Rapinam 14.*  
*quæst. 5.* ubi sic legitur: *Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui est  
 ablata, reddatur*.

Si autem ea; quæ hætenus dicta sunt, locum habent in casu eorum, qui  
 fundos ab injustis invalorebus occupatos emerunt; & hi quidem illos, nullo  
 recepto pretio, restituere tenentur; quam excusatione tueri se poterunt alii  
 illi, qui, ut refert Archiepiscopus Antibarenis, agros, & fundos ad Eccle-  
 sias, & Monasteria spectantes, ipsi furtim invaserunt, & per occasionem adja-  
 centiæ, aut vicinitatis usurparunt? Quomodo hi ab obligatione restitutionis,  
 qua manifeste tenentur, se eximere poterunt? Leges Civiles usucapionem lon-  
 gi temporis in rebus furtivis, ob malæ fidei vitium, nequaquam admittunt.  
 Cum autem inter antiquos Prudentes orta esset quæstio, an furtum in solis  
 rebus mobilibus, an vero etiam in rebus immobilibus locum haberet; cumque  
 eorum valuisset opinio, qui asserebant, furtum de mobilibus tantummodo in-  
 telligendum esse; ulterius deinde progressi, in eo convenerunt, ut si quis,  
 absque vi, licet mala fide, alicujus rei immobilis possessionem usurpasset, non  
 ipse quidem posset hujusmodi rem usucapione suam facere, posset tamen alius,  
 qui ab ipso rem illam bona fide accepisset; ut videre est in *L. furtum 37. §. 1.*  
*ac in L. seq. ff. de Usucap.*, atque in Institutionibus Justiniani eodem titulo. Sed  
 neque hic subsistit immoderata laxitas Auctorum Juris Civilis, qui, ad indu-  
 cendum Usucapionis jus, satis habuerunt, bonam fidem initio adeptæ posses-  
 sionis adfuisse; parum solliciti si mala fides deinde supervenisset; ut videre li-  
 cet in *L. 48. §. 1. ff. de acquirendo rerum dominio*, & in *L. unic. C. de usucap.* At  
 Sacri Ecclesiæ Canones, nil aliud, quam æquitatem, animarumque salutem  
 respicientes, tot inutiles subtilitates sustulerunt, statuentes, nullam præscri-  
 ptionem induci, nisi bona fides, & initium possessionis, & medium, & finem  
 comitetur: *Quoniam omne: quod non est ex fide, peccatum est; synodali judicio  
 definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civi-  
 lis: quum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ  
 absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, uni qui præscribit, in  
 nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*. Verba sunt Innocentii III.  
 in *cap. ult. de præscriptionibus*. Hæc autem bona fides in nemine sane eorum,  
 de quibus nunc sermo est, admitti potest; quum incredibile sit, in toto asser-  
 tæ usucapionis decursu, nullam eis suppetiisse notitiam, quod bona occupata  
 ad Ecclesiam pertinuerint.

Quod si prædicti possessores hoc saltem contenderent, se bona hujusmodi re-  
 tinere posse tamquam a dominis nimirum ab Ecclesiis, & Monasteriis, dereli-  
 cta, quo casu bona sunt occupantis, juxta *§. penult. & ult. Institutionum de  
 rerum divisione & L. 1. & seq. ff. pro derelicto*; in magno quidem errore ver-  
 sarentur. Etenim inter bona derelicta numerari non possunt illa, quæ domi-  
 nus

PONT. nus ob impotentiam non recuperat, ut accidit in casu nostro; sed illa dumtaxat, ANNO  
 quæ quis iponte delerit, ac derelinquit, propterea quod eorum possessionem  
 A. XII. detinere nihili pendet: *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente 1752*  
*abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim dominus ejus esse*  
*desinit.* Quocirca derelictæ nequaquam censentur res, quæ a domino navis, ut  
 naufragium effugiat, in mare proiciuntur; et si quis illas lucri causa recupe-  
 rat, furtum committit. *Alia sane causa est earum rerum, quæ in tempestate,*  
*levandæ navis causa, ejiciuntur: hæ enim dominorum permanent; quia palam est,*  
*ear non animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi*  
*maris periculum effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam*  
*in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.* Hæc omnia  
 verba sunt Textus Civilis in citatis duobus ultimis paragraphis Tituli Institut.  
*de rerum divisione.*

En tibi, Dil. Fili, quicquid in unum congerere Nobis datum est, ut quæ-  
 stionibus ab Archiepiscopo Antibarensi propositis responderemus; quod quidem  
 in summa sententiæ Congregationis de Propaganda Fide, quam nobis retuli-  
 sti, consentaneum dici potest: Verum non ideo Nobis plane satis factum esse  
 profiteamur. Innuit in suis literis Archiepiscopus, id quod Antibari accidit, in  
 aliis quoque Albanicæ Civitatibus contingere, ubi complures sunt Christiani,  
 qui bona immobilia Ecclesiarum aut empta de Turcis, aut de facto occupata  
 possident. Uterius itaque progreditur prudens ille Præsul; cumque magnope-  
 re cupiat aliquam sibi viam pateñeri ad pacandas conscientias, illasque a cen-  
 suris, quibus propter injustam Ecclesiasticarum possessionum detentionem adstrictæ  
 sunt, absolvendas, nihilominus æque vereri se ostendit, ne turbæ excitentur, si  
 hodiernis possessoribus, ut justitiæ ratio postularet, injungeretur aut fundorum aut  
 fructuum, vel alicujus portionis eorum restitutio. Animadvertendum quoque  
 est, Antibarum, aliasque Albanicæ Civitates, de quibus nunc agitur, sub tem-  
 porali Othomanica ditione consistere; unde minimum quod metuere possemus,  
 aliqua exoriente perturbatione, id esset, ut prodiret decretum: *uti possidetis,*  
*ita possideatis,* quod ad pacandas conscientias nihili valeret; nisi etiam dete-  
 rius aliquid in Christianorum, Sanctæque nostræ Religionis perniciem contin-  
 geret. Hoc illud est, quod animum nostrum commoveret, atque perturbat, Nos-  
 que eo adducit, ut nisi nova, & certiora nobis suppeditentur indicia, ex qui-  
 bus intelligamus, quid maxime in prædictis regionibus timeri posset, si huic  
 negotio manus admoveantur, nihil Nos statuere posse existimemus de Instru-  
 ctionibus, aut facultatibus circa hæc Antibarensi Archiepiscopo communican-  
 dis. Quod nunc tibi significare possumus, & de quo tibi mandamus, ut ipsam  
 Congregationem certiores facias, illud est, Nos ita animo esse comparatos,  
 ut suprema qua fungimur auctoritate, pro Generalis bonorum Ecclesiasticorum  
 Administratoris officio, hujusmodi bonorum possessoribus perceptos fructus con-  
 donemus, eosque ad retinendam possessionem fundorum, quamvis injuste occu-  
 patorum & detentorum, idoneos reddamus, & ab incurtis censuris absolvamus;  
 ne forte Christianæ Religionis eversionem intueri in illis regionibus, in qui-  
 bus, licet sub Turcarum dominatione degentibus, eadem adhuc Deo miserante  
 viget, neve Episcoporum ejectiones, aut innocuorum Christianifidelium persecu-  
 tiones, & vexationes audire cogamur; Nobisque tot mala imputari, propte-  
 rea quod auctoritatem illam in his interponere neglexerimus, quam nobis Deus  
*in edificationem, & non in destructionem largitus est,* quaque Prædecessores nos-  
 tri similibus in casibus uti non dubitarunt.

Quum tempore Mariæ Angliæ Reginæ, bon. mem. Reginaldo Cardinali Po-  
 lo gravissima demandata fuisset Provincia, Angliam ipsam Ecclesiæ Romanæ  
 reconciliandi, Pontifex Julius III. in Brevi expedito die 3. Martii 1554. fa-  
 cultatem ei concessit, cum his qui Ecclesiasticorum bonorum possessionem in-  
 juste occupaverant, quique ad Ecclesiæ Romanæ sinum redirent, concordan-

PONT. di, & transgredi super fructibus male perceptis, & super mobilibus consum- ANNO  
 A. XII. ptis, restitutis prius, si tibi expedire videbitur, immobilibus per eos indebite de- 1752.  
 executione fortasse compertum est, ejusmodi facultates nimis angustas esse, in  
 alio Brevi expedito die 28. Junii ejusdem anni, præfato Cardinali plenam, ac  
 liberam largitus est potestatem cum quibuscumque bonorum Ecclesiasticorum tam  
 mobilium, quam immobilium in præfato Regno, possessoribus, seu detentoribus,  
 pro quibus ipsa Serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite  
 detentis, arbitrio tuo, auctoritate nostra tractandi, concordandi, transgredi, com-  
 ponendi, & cum eis, ut præfata sine ullo scrupulo imposterum retinere possint,  
 dispensandi omnia & singula alia quæ in his & circa ea quomodolibet necessaria,  
 & opportuna fuerint, consulendi & faciendi; salvo tamen in his, in quibus pro-  
 pter rerum magnitudinem & gravitatem hæc Sancta Sedes merito tibi videretur  
 consulenda, nostro, & præfate Sedis beneplacito & confirmatione. Breve hoc edi-  
 tum est in citato tom. 4. pag. 102. & 103. in Annalibus Raynaldi Ad Annam  
 Christi 1554. num. 8. Prædictus vero Cardinalis, ne novæ inde turbæ concitaren-  
 tur. Ordinibus posulantibus, & urgentibus, adactus est publico instrumento, Pon-  
 tificis nomine & auctoritate, omnes de hujusmodi bonis & possessionibus, quoad pæ-  
 nias & censuras canonicas, in perpetuum securos & absolutos declarare: verba sunt  
 Spondani ad eundem annum 1554. num. 4. Hisque consentiunt Sanderus de Schis-  
 mate Anglicano lib. 2. pag. 349. edit. Rom. an. 1586. Davanxatus in sua Historia  
 Schismatis Anglicani edita Florentiæ anno 1628. pag. 91. qui omnes pariter con-  
 veniunt in celebranda præfati Cardinalis prudentia, qua difficillimum negotium,  
 servata Ecclesiæ dignitate, transegit.

P. Schmalzgrueber in suo citat. consil. 15. tom. 2. casum perpendit hæretici  
 Principis qui Augustinam confessionem deserens, Catholicam amplectitur Reli-  
 gionem; ac quaerit, quomodo gerere se debeat quo ad bona Ecclesiastica, quæ  
 auctoritate pacis VVestfalix ab Ecclesiæ reprobatae possidet; & quidem ejusdem  
 consilii quæsit. 2. num. 22. concludit, quod vel restituere illa scetur, vel ad ea  
 retinenda Apostolicæ Sedis dispensationem sollicitare, exemplum afferens Ducis  
 Neuburgi VVolphangi VVilhelmi, ac ejus filii Electoris palatini VVilhelmi;  
 & asserens, quod erga convertos ad Fidem Catholicam a deo benigna esse solet  
 Sedes Apostolica, ut etiam si juxta sit causa, retentionem illorum, idest immobi-  
 lium Ecclesiæ bonorum, ipsis dispensari ve concedat.

Denique Præde essor Noster Clemens Papa XI. ad Augustum II. Poloniæ  
 Regem in Literis datis die 10. Novembris anni 1712. in tom. 2. illius Brevium  
 ditorum pag. 243. ut cum ad promovendam Fidei Catholicæ propagationem  
 in suis Saxonix ditionibus excitaret, ita scripsit: Certam reddimus Majestatem  
 tuam, quod neque a te, neque a tuis Successoribus Catholicis, aut ab aliquo alio,  
 qui sanctam ibi Religionem nostram amplexurus sit, Nas unquam illorum bonorum,  
 quæ per Saxoniam antiquitus ad Ecclesias pertinebant, restitutionem postulaturi su-  
 mus: quinimo ad pacandas conscientias eorum, qui illa occupant, si hæresi ejura-  
 ta ad Catholicam Fidem redire constituent, nos ipsis præfata bona omnia in per-  
 petuum condonabimus; idque ea ratione, ac forma exequemur, ut ne a nostris qui-  
 dem Successoribus imposterum quicquam adversus hæc postulari queat. Atque hoc  
 Promissum adimplens Clemens XII. in sua Constitutione, quæ incipit Sedes  
 Apostolica, num. 67. in tom. 13. novi Bullarii Romæ editi, illis Saxonix incolis,  
 qui bona ad Ecclesias antiquitus pertinentia possidentes, hæresim aut ejuras-  
 sent. aut ejuraturi forent, concessit, ut bona, quæ possidebant, retinere, ac  
 de illis tanquam de rebus suis, disponere libere possent; omnesque præterea  
 laudatus ex ipsis antea perceptos illis condonavit.

Allata hæc exempla nostro sane casui per omnia nequaquam similia esse  
 cognoscimus; ibi enim agebatur de impedimento removendo ab illis, qui San-  
 ctæ Romanæ Ecclesiæ gremium ingredi cupiebant, hic autem sermo est de  
 homi-

PONT. hominibus, qui nostrarum partium sunt, quique Christiana, & Catholica professione censentur. Verumtamen rationi fundamentum idem omnino in allatis  
 A. XII. exemplis ac in nostra facti specie, Nobis esse videtur; ut scilicet suprema ANNO  
 Apostolica auctoritas adhibenda sit in gravibus, publicis, ac urgentibus casibus, quibus, 1752.  
 quibus, qui recedendi a Nobis tentatione sollicitari possent, a præcipiti casu, quantum fas est, remorari; si non idem est, ac viam sternere illis, qui ad Nos accedere cupiunt, non multum sane ab eo differre Nobis videtur. Hæc habebamus Tibi significanda: Tibique, Dil. Fili, Apostol. benedict. impertimur.  
 Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Martii MDCCLII., Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.



PONT. N U M. LXXXV. ANNO  
 A. XIII. D A M N A N T U R, 1752

*Et prohibentur quinque propositiones Duellorum abusui faventes; veteresque Leges ad versus Duellantes editæ innovantur, ac novis superadditis pœnalibus Sanctionibus confirmantur.*

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S  
 S E R V U S S E R V O R U M D E I

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**D**etestabilem, ac Divina naturalique Lege damnatum Duellorum abusum, a barbaris gentibus, atque superstitiosis, non sine ingenti corporum, animorumque clade, in Christianam Rempublicam auctore Diabolo inventum, cum semper execrata sit, atque improbarit Ecclesia, tum præcipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices; ut a Fidelibus cœta longissime arceretur. Nam, ut antiquiora mitamus Prædecessorum nostrorum Nicolai I. Epist. I. *Ad Carolum Calvum*, Celestini III., Innocentii II., Eugenii III., Alexandri III. in *Concil. Lateranensi Cap. 1. & 2. de Torneamentis*, ubi trium Prædecessorum Decreta citantur, Innocentius IV. in *Epist. ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiasticos Regni Franciæ*, apud Rainald. *ad ann. 1251. num. 31.*, ad versus singulares pugnas decreta, extant recentiores Apostolicæ Sedis Constitutiones, quibus Romani Pontifices Julius II. *Constit. incip. Regis pacifici*, Leo X. *Constit. Quam Deo, & Hominibus*, Clemens VII. *Constit. Consuevit Romanus Pontif. x*, ac demum Pius IV. *Constit. Equæ a Prædecessoribus*, gravissimas pœnas antea statutas confirmarunt, aliaque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacumque causa, etiam per Sæculares Regionum, aut Locorum Leges forsitan permittæ, adjecta infamia, bonorumque proscriptione, etiam advorsus complices, ac participes, & qualemcumque operam iisdem præbentes.

§. 1. Tridentina vero Synodus *sess. 25. cap. 19. de Reform.* latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, & Reges, Duces, ac Principes, cæterosque Dominos temporales, si locum ad Monomachiam in terris suis concederent, ac jurisdictione & dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quum ab Ecclesia obtineant, eos ipsos privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque Paternos excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere statuit, & si in ipso conflictu decesserint, Ecclesiastica sepultura perpetuo carituros decrevit.

PONT. §. 2. Cum vero præfatis saluberrimis Legibus judicialia dumtaxat, ac sole- ANNO  
 A. XIII. noster Gregorius Papa XIII. *Constit. Ad tollendum*, hujusmodi pœnas adversus 1752  
 eos omnes extendit, qui nedum publice, sed etiam privatim ex condicito, statu-  
 tuto tempore, & loco, Monomachiam commiserit, etiam si nulli Patrini, fo-  
 ciive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ  
 Literæ, aut denunciationis Chartulæ præcesserint.

§. 3. Denique felicitis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor  
 Noster, Apostolicas Romanorum ante se Pontificum Leges omnes, & pœnas  
 in eis statutas, sua Constitutione, quæ incipit *Illius vices*, Data xvr. Kal.  
 Septembris Anno MDXCII. diserte complexus, easdem extendit ad omnes non  
 solum duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, co-  
 meatus præbentes, comitantes, Chartulas, Libellos, Manifesta mittentes; scri-  
 bentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes; Socios, Pa-  
 trinos, de industria spectatores, fautores, criminis demum participes, illud-  
 que permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquenti-  
 bus veniam, & impunitatem concedentes, quique se prædictis quoquomo-  
 do immiscuerint; etiam si neque pugnæ effectus, neque accessus ad locum  
 sit subsequutus.

§. 4. His tam sapienter, tam aperte, atque perspicue ab Ecclesia, & ab  
 Apostolica Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur, quin  
 duella omnia tam publica, quam privata, & naturali, & Divino, & Eccle-  
 siastico jure, prorsus illicita, vetita, atque damnata censerent. Sed  
 nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis speciem humanis, præ-  
 vilque cupiditatibus plus æquo faventes, Apostolicas Sanctiones ad corrupta  
 hominum judicia inflectentes, ac temperantes, *licere*, docuerunt, ut clare pa-  
 tet ex Prop. 2. damnata ab Alexandro VII. docuerunt, inquam, *Viro Eque-  
 stri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*, & ex prop. 7.  
 ex damnatis ab eodem: *Fas esse defensione occisiva, vel ipsis Clericis, ac Reli-  
 giosis, tueri honorem, dum alia declinandæ calumniæ via non suppetat*; & ex  
 prop. 18. ab eodem damnata: *propulsare damna, qua ex iniqua Judicis senten-  
 tia certo imminet*; item ex prop. 32. ex damnatis ab Innocentio XI. *defen-  
 dere non solum quæ possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus,  
 dum alia via id assequi non valeamus*: Quas quidem attentiones duellis faven-  
 tes, Apostolica Sedes censura notavit, rejecit, proscripsit.

§. 5. Et nihilominus extiterunt quamproxime recentiores alii, qui etsi duel-  
 la, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti  
 res, fortunæque servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis, &  
 casibus, vel amittendi Officii, & sustentationis, vel denegatæ sibi a Magistra-  
 tu justitiæ, defensionis innoxie titulo, ea licere pronunciant. Laxas, & pe-  
 riculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum Libris ad Nos delatas,  
 ubi primum accepimus earum examen nonnulli ex Venerab. Fratribus Nostriis  
 S. R. E. Cardinalibus, & quibusdam Dilectis Filiis Sacræ Theologiæ Magistris  
 specialiter ad id per Nos deputatis commisimus; qui re mature discussa, latis  
 coram Nobis tum vice, tum scripto suffragiis, infra scriptas Propositiones cen-  
 sura, & proscriptione dignas existimarunt.

### PRIMA PROPOSITIO.

*Vir Militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad Officia Militaria ineptus haberetur indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ, ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.*

PONT.

II.

ANNO

A. XIII. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impeditam.* 1752

III.

*Non incurrit Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia duellantes latus, Dux, vel Officialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, & officii.*

IV.

*Licetum est, in statu hominis naturalis, acceptare, & offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.*

V.

*Afferta licentia pro statu naturali, applicari potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.*

§. 6. Auditis itaque, super unaquaque earum Propositionum, dictorum Cardinalium, & Consultorum judiciis, atque omnibus rite, & mature consideratis, Nos ipsas, præsentium Literarum tenore, & Apostolica Auctoritate, tamquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit ( præterquam in mortis articulo ) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

§. 7. Insuper stricte, & in virtute sanctæ obedientiæ, & super interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

§. 8. Jam vero ut exitiosam duellorum licentiam, in Christiana, ac præsertim Militari Republica, non obstantibus providis Legibus a plerisque etiam Sæcularibus Principibus, & Potestatibus ad eandem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu cœrceamus, gravissimumque scelus Apostolicæ districti gladio magis insequamur, omnes & singulas dictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate confirmantes & innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas, & severitatis majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro Motu proprio, ac de Apostolicæ auctoritatis plenitudine, earundem præsentium Literarum serie, statuimus, atque decernimus, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tamquam interficiens proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis felicitis recordationis Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII. quæ incipit *Ex qua Divina, data vi. Idus Junii Anno Domini MDCCXXV.* ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusus & repulsus omnino censeatur; ita ut a cujuscumque Sacri aut Religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, & Judicis competentis Curie pro merito puniendus, tradi possit & debeat; super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos respectively pertinet, & pertinebit impostero, necessarias & opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fu-

gam

PONT. gam arripere, & legum severitatem evadere posse prospiciatur; Volumus, & ANNO  
 respective permittimus, ut, quatenus Periti ad inspiciendum vulnus acciti,  
 AN. XIII. grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper Decreto 1752  
 Episcopi, & cum assistentia personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ  
 ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea ta-  
 men lege Judicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus  
 superstes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum;  
 alioquin in eisdem pœnas incidat, quæ in memoratis Benedicti XIII. Lite-  
 ris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibi-  
 dem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recu-  
 sent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

§. 9. Præterea simili motu & auctoritate decernimus, ac declaramus, Sepul-  
 turæ sacræ privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflicta morientibus in  
 loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante Sententiam  
 Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto,  
 sive duelli publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiam si vulneratus  
 ante mortem non incerta Pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, & cen-  
 suris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, & Ordinariis Locorum super  
 hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præ-  
 beatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ Legibus obedientiam præstandi.

§. 10. In hujus demum sollicitudinis nostræ societatem, vocantes Charissimos  
 in Christo Filios Nostros, Imperatorem Electum, cunctosque Catholicos Re-  
 ges, nec non principes, Magistratus, Militiæ Duces, atque Præfectos, eos om-  
 nes & singulos, pro sua in Deum Religione, ac pietate, enixe obtestamur in  
 Domino, ut conjunctis studiis, & animis, exitiosæ duellorum licentiæ, qua  
 Regnorum tranquillitas, populorum securitas atque incolumitas, neque corpo-  
 rum solum, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æterna animarum vita  
 certo periclitatur, omni nisu & constantia vehementer obsistant. Neque sibi,  
 suæque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod opti-  
 me constitutis Legibus, indistinctis gravissimis pœnis, hortentium scelus pro-  
 scriptum sit, nisi accuratam ipsarum Legum, pœnarumque executionem na-  
 viter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui  
 talia agunt, diligenter exhibeant. Nam si delinquentes aut oliventer ferant,  
 aut molliter puniant, alieno se se crimine polluent, omnisque illius sanguinis  
 reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani  
 enim, falsique honoris Idolo humanas litari victimas non impune feret supre-  
 mus omnium Judex Deus; rationem ab eis aliquando exacturus, quorum est  
 Divina, & humana jura tueri, sibi que creditorum hominum vitam servare,  
 pro quibus sanguinem ipse suum JESUS CHRISTUS effudit.

§. 11. Volumus autem ut præsentium Literarum Transumptis etiam impres-  
 sis, Notarii publici manu subscribis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica Digni-  
 tate constitutæ munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quæ  
 ipsis præsentibus haberetur, si originaliter forent exhibitæ vel ostensæ. Utque  
 eadem præsentis in consuets locis publicis hujus Almæ Urbis per Cursores  
 nostros, ut moris est, publicatæ & affixæ, omnes & singulos, quos concer-  
 nunt, seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum  
 personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum prohibi-  
 tionis, damnationis, præcepti, statuti, declarationis, facultatum imperutio-  
 nis, obtestationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario con-  
 traire: Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipoten-  
 tis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incurturum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ  
 MDCCLII. quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri Anno Terciodecimo,  
 NUM.



Et usu Cerearum Formarum, quæ benedici, & consecrari solent  
a Romano Pontifice.

Formula impressa de mandato Sanctissimi Domini Nostri  
Anno MDCCCLII.

**P**ervetustus in Ecclesia Romana Ritus est, quo Summi Pontifices benedicere, & consecrare soleant Cereas Formas, quæ *Agnus Dei* vulgo appellantur. In Ordine Romano, qui Eruditorum judicio antiquior est sæculo octavo, innuitur præfatus Ritus; In Cæremoniâ vero ejusdem Romanæ Ecclesiæ designantur materia, forma, & præces in hujusmodi consecratione adhibendæ, quæ sacras continent, mysticæque significationes.

Conficiuntur hi *Agnus Dei* ex Cera Alba, pura, virginea, quo Humana denotatur natura a Christo, virtute Divina, sine ulla mixtione, aut contagione culpæ, in purissimo Mariæ Virginis Utero assumpta. Agni imago in illis imprimitur, Agni illius immaculati Symbolum, qui pro humana reparatione in Ara Crucis immolatus est. Adhibetur Aqua benedicta, quo nimirum elemento, cum in veteri, tum in novo Fœdere, præclara Sacramenta, & prodigia a Deo effecta sunt. Miscetur in ea Balsamum, quo bonus Christi odor significetur, quem in omni actu, & conversatione redolere debent Christianifideles. Superinfunditur Chrisma, quo res aliæ Divino cultui specialiter addictæ, veluti Tempia, Altaria, Sacerdotes, præparari solent, ac consecrari, atque in eo præstantissima virtutum omnium Caritas figuratur.

In Aqua igitur prius benedicta, ac Balsamo, & Chrismate mixta, Cerei illi *Agnus Dei* immerguntur, & Summus Pontifex tam ante, quam post mentionem, Sanctissimis precibus Deum exorat, ut eas formas benedicere, sanctificare, & consecrare dignetur, hisque tantam impertiat virtutem, ut quicumque recta fide, ac vera pietate iisdem usus fuerit, hæc dona, ac beneficia consequatur.

I.

Ut aspectu, vel contactu Agni in Cereis illis formis impressi, excitentur Fideles ad memoranda sub eo symbolo Redemptionis nostræ mysteria, conceptisque grati animi sensibus, Divinam in nos Bonitatem benedicant, venerentur, & diligant; fidentes fore, ut per eam, peccatorum veniam obtineant, & maculas omnes abstergant.

II.

Ut ad vivificæ Crucis signum in iisdem Cereis impressum maligni Spiritus contremiscant, & fugiant, facessant grandines, subsidant venti, dissipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura, & tempestates.

III.

Ut Divinæ benedictionis virtute, non prævaleant diabolicæ fraudes, insidiæ, & tentationes.

IV.

Ut Parturientes cum foetu incolumes serventur, eumque feliciter in lucem emittant.

V.

Ut iisdem devote utenti nulla dominetur adversitas, nulla noceat pestilentia, aerisve corruptio, nullus comitialis morbus eum corripiat; nulla maris tempestas, nullum incendium, nulla inundatio, nulla adversus eum prævaleat malignitas.

PONT.

VI.

ANNO

A. XIII. Ut in prosperis, adversisque casibus divina protectione muniatur, ab hu-  
manis, vel diabolicis insidiis, a subitanea, & improvisa morte, a cunctis  
denique malis, & periculis liberetur, per Vitæ, & Passionis Jesu Chri-  
sti mysteria. 1752

Mirabiles hujus Sacri Cerei Virtutes explicatæ jam olim fuere, atque his  
versibus comprehensæ.

*Pellitur hoc signo tentatio dæmonis atri,  
Et pietas animo surgit, abitque tepor.  
Hoc aconita fugat, subitæque pericula mortis,  
Hoc ab insidiis vindice, tutus eris.  
Fulmina ne feriant, ne sæva tonitrua lædant,  
Ni mala tempestas obruat, istud habe.  
Undarum discrimen idem propulsat, & ignis,  
Ullaque ne noccat vis inimica valet.  
Hoc facilem partum tribuente, puerpera factum  
Incolumen mundo profert, atque Deo.  
Unde, rogas, uti tam magna potentia signo?  
Ex Agni meritis, haud aliunde fuit.*

Quæ quidem beneficia, & gratiarum dona a bonorum omnium Largitore  
Deo Fidelibus tribui ac concedi, virtute hæc Sacris Cereis communicata per  
benedictionem, ac preces in primis, quas Christi Vicarius Romanus Pon-  
tifex universæ Ecclesiæ nomine in eorum consecratione fundere solet, res est  
firmiter omnino credenda, ac variis, eximisque miraculis sæpissime confirma-  
ta. Quod si optatus non semper obtineatur effectus, id non defectui virtutis  
rei sacræ, sed vel infirmæ exiguæque utentium Fidei, ac Devotioni, vel al-  
teri occultæ causæ Deo compertæ, ac probatæ tribuendum est.

Et hic est tenor Formulæ exaratae, quæ impressa fuit de mandato Summi  
Pontificis Benedicti XIV. Anno MDCCLII., Pontificatus vero sui Decimo  
secundo.

PONT.

NUM. LXXXVII.

ANNO

A. XIII.

CONFIRMANTUR,

1753

*Et declarantur Constitutiones Predecessorum Romanorum Pontificum super  
venta armorum delatione, & venditione.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**S**ECURITATEM, atque tranquillitatem Populorum, & Personarum Apostoli-  
cæ Sedi in temporalibus subiectarum tueri, & asserere volentes Prædeces-  
sores Nostri Romani Pontifices, non modo severissimas leges adversus ho-  
micidas, & cuiuscumque generis vim ediderunt, verum etiam ad ea submo-  
venda, qua huiusmodi delictis facile perpetrandis occasionem & commoditatem  
præbere possent, omnium armorum ad necem clam & dolose inferendam apto-  
rum delationem, retentionem, & venditionem, gravissimarum poenarum in-  
term-

PONT. terminatione veterunt; quemadmodum ex providis felicis recordationis Pii ANNO  
 Papæ IV. Anno Incarnationis Dominicæ MDLXI. Nonis Martii & S. Pii V.  
 A. XIII. pridie Idus Februarii illius Pontificatus Anno VII. editis Constitutionibus, patet. 1753

§. 1. Quorum veltigiis inhærens recolend. mem. Prædecessor quoque noster  
 Alexander Papa VIII. per suam Anno Incarnationis Dominicæ MDCXC. Idi-  
 bus Augusti, editam Constitutionem, quæ incipit, *Et si cuncta*, prædictorum  
 ante se Pontificatum Leges, atque sanctiones confirmans & innovans, decre-  
 vit & sanxit, nemini cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & præ-  
 eminentiæ etiam speciali mentione seu nota digno; licere in aliqua Urbe,  
 ejusque Districtu, & in toto statu Ecclesiastico tunc sibi & dictæ Sedi tam im-  
 mediate, quam mediate subiecto, comprehensis etiam quatuor Legationibus,  
 ac Civitatibus Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliisque Civitatibus, Ter-  
 ris, & Locis, etiam specialem, & individuum expressionem, & nominationem  
 requirentibus, ejusmodi arma in præmissis Constitutionibus expresse vetita, &  
 alia quæcumque brevioris mensuræ trium palmorum, illius mensuræ, quæ  
 vulgariter denominatur *Canna Romana* ad usum mercatoris, sub pœnis læsæ  
 Majestatis, & rebellionis irremissibiliter exequendis, ( exceptis dumtaxat cul-  
 tellis aptis ad incidendum panem, qui tamen majoris longitudinis unius palmi  
 esse non possent, ac sine cuspidē, & ut vulgo dicitur, *Spuntati* esse deberent;  
 nec non aliis instrumentis ad usum propriæ artis, quam quisque exercet, ne-  
 cessariis, & in actu exercitii ejusdem artis, & non alias ) deferre, seu domi,  
 aut in Apothecis, vel alibi retinere, sive in ipsum Statum Ecclesiasticum in-  
 troducere, fabricare, vendere, permutare, aut aliud contractus genus super  
 ipsis inire.

§. 2. Cumque sub suæ hujusmodi, ac præcedentium Constitutionum censura,  
 tam Clericos, quod alias omnes & singulas personas Ecclesiasticas etiam quo-  
 modolibet exemptas, Sæculares, & cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societa-  
 tis, & Instituti etiam de necessitate specialiter exprimendi, nec non Militia-  
 rum quarumcumque, etiam Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani, Regulares,  
 vel alias immunitate personali quomodolibet gaudentes, comprehendi voluif-  
 set, & contra transgressores, si qui etiam ex his reperti fuissent, per Ord-  
 inarios Locorum, aliosque competentes Judices ad majorem pœnam, quam  
 Tribunal Ecclesiasticum pro quocumque graviore, & atroci delicto imponere  
 soleat, & valeat, irremissibiliter procedi mandasset.

§. 3. Hoc insuper decrevit, & declaravit, ut ad eximendos transgressores a  
 pœnis præfatis minime suffragaretur allegare, quod non constaret de dolo, vel  
 mala eorundem contravenientium qualitate; nec etiam ad hujusmodi effectum  
 ullæ familiaritates, Literæ patentes, & Licentiæ concessæ, aut concedendæ,  
 seu privilegia cuiuslibet Congregationis, Tribunalis, aut Militiæ, seu Judicium,  
 Officialium Militarium, & Ministrorum, etiam Justitiæ, aut Ministerii Came-  
 ralis Almæ Domus Lauretanæ, & cuiusvis Ordinis etiam Militaris Congrega-  
 tionis, Societatis, & Instituti, aut quarumvis personarum quacumque Eccle-  
 siastica, seu mundana dignitate fulgentium, quidquam prodesse, aut rele-  
 varent, pro ut latius, atque distinctius in præcatis ejusdem Alexandri præ-  
 decessoris Literis continetur.

§. 4. Pari justitiæ zelo, & publicæ quietis studio incensus sancti mem. im-  
 mediatius Prædecessor Noster Clemens Papa XII. per suam Anno Incarnationis  
 Dominicæ MDCCXXXIV. Kalendis Februarii Pontificatus sui Anno V. editam  
 Constitutionem, cujus initium est = *In supremo Justitiæ Solio*, inter alia, quæ  
 pro recta justitiæ administratione, ac delictorum coercitione provide constituit,  
 prædictas Pii IV. Pii V. & Alexandri VIII. aliorumque Antecessorum Literas,  
 & Ordinationes, nec non Edictum Kalendis Januarii Anni Domini MDCCVIII.  
 de mandato piæ mem. Clementis Papæ XI. promulgatum, cæteraque banni-  
 menta eousque publicata, quibus eorundem, seu aliorum armorum in Urbe,

PONT. & Ditione Ecclesiastica prefatis delatio, retentio, introductio, aut venditio, ANNO  
 sub diversis etiam capitalibus pœnis prohibentur, omniaque, & singula in eis.  
 A. XIII. contenta, similiter approbavit, & innovavit; & ne pœnarum in ipsis adver- 1753  
 sus transgressores statutarum executionem ullo modo impediri contingeret,  
 quibuscumque Tribunalibus, Magistratibus, & Judicibus, tam Urbis præfatæ,  
 quam aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum eidem Apostolicæ Sedi im-  
 mediate, ac etiam mediate subjectorum, nec non quibuscumque Sanctæ Romanæ  
 Ecclesiæ, Cardinalibus etiam de Latere Legatis districtè prohibuit, & interdixit,  
 ne in causis delationis hujusmodi armorum, ulli delinquenti pœnas, quas quo-  
 modolibet incurrisset, gratiose remitterent, aut componerent, vel in mini-  
 ma etiam parte moderarentur, sed ea dumtaxat, quæ stricti juris essent, jux-  
 ta præcitam formam & dispositionem Literarum, Edicti, & Bannimentorum  
 hujusmodi decernerent & exequerentur.

§. 5. Quod si ex peculiaribus quandoque facti circumstantiis, vel ex quali-  
 tate personarum gratiæ, compositioni, aut pœnæ moderationi locum esse, æ-  
 quitate ita suadente, prudenter existimarent; voluit nihilominus, neque tunc  
 per eosdem Magistratus, & Judices ad concessionem gratiæ, compositionem,  
 aut moderationem pœnæ deveniri posse, nisi prævia, ac Romani Pontificis  
 pro tempore existentis expressa approbatione; sub nullitatis gestorum, ac om-  
 nium inde sequutorum, & quò ad Judices præfatos, sub pecuniariis, aliisque  
 etiam corporalibus, suo & ejusdem Pontificis arbitrio infligendis pœnis, &  
 consequenter quibuslibet Cardinalium Congregationibus, ac Cardinalibus etiam  
 de Latere Legatis, quamcumque facultatem, quæ ipsis de jure, usu, vel con-  
 suetudine, seu alias quomodolibet competere posset, arbitrando pœnas hujusmodi,  
 in distis causis delationis, aut retentionis armorum, abrogavit, & revocavit.

§. 6. Et Nos igitur dictorum Prædecessorum consilium, ac prudentiam ma-  
 gnopere commendantes, ejusque necessitatem pro felici Populorum regimine  
 in dies magis magisque agnoscentes, præcitatis eorum Constitutiones, quarum  
 totos, & integros tenores præsentibus pro insertis de verbo ad verbum haberi  
 volumus, atque omnes, & singulas Dispositiones, Prohibitiones, Declationes,  
 & Extensiones in eis contentas, Nostris Motu proprio, ac certa scientia, per  
 hanc nostram perpetuam validam Constitutionem, Apostolica auctoritate ap-  
 probamus, confirmamus, & innovamus, & secundum eas per quoscumque Ju-  
 dices, ac in omnibus, & singulis earundem Urbis, ac Ditionis Tribunalibus,  
 & Curiis, omnino procedi volumus, & mandamus.

§. 7. Verum quia in hujusmodi causarum tractationibus sæpe contingit, ut  
 pro parte reorum; ab ipsis, aut ab eorum Advocatis, & Defensoribus, alle-  
 getur, eorum prævam intentionem, seu dolum, in delatione, aut retentione  
 armorum hujusmodi, & personarum malam qualitatem, a Fisco minime pro-  
 bari; ac deficientibus horum probationibus, contendatur justam, & funda-  
 tam præsumptionem bonæ qualitatis eisdem reis semper assistere; ideoque lo-  
 cum esse æquitati, quam præcitata Clementis XII. Constitutio insinuate vi-  
 detur, ut scilicet Supremo Principi consilium detur pro gratia, aut composi-  
 tione, seu moderatione pœnæ in præmissis Constitutionibus edictis, & banni-  
 mentis respectivè statutæ; Nos hujusmodi ratiocinationes non modo ad reos a  
 promeritis pœnis eximendos, cum præmissarum legum eversione, & publicæ  
 quietis detrimento, tendentes, verum etiam earundem Alexandri, & Clemen-  
 tis Constitutionum Literarum, & spiritui adversantes de medio tollere, ac debi-  
 tam earundem Constitutionum observantiam, & executionem asserere vole-  
 tes; simili motu, scientia, & auctoritate, ac earundem præsentium tenore,  
 decernimus, & declaramus, nil aliud oneris Fisco incumbere ad fundandam  
 actionem suam, pro urgenda, obtinendaque condemnatione reorum ad formam  
 dictarum Constitutionum, quam ut ipsum contraventionis delictum videlicet  
 delationem, vel retentionem, seu respectivè introductionem, fabricationem,

PONT. aut venditionem armorum, in supradictis Pii IV. Pii V. Alexandri VIII., & ANNO  
 Clementis XII. Constitutionibus, aliisque Edictis, & Bannimentis per eisdem  
 A. XII. Prædecessores confirmatis, & innovatis, vetitorum, & proscriptorum, plena 1753  
 & valida probatione constare faciat. Quod si excipiendo contendatur, eam  
 esse delinquentis qualitatem, vel tales in peculiari facto circumstantias concurrere, quæ consulendum Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti pro gratia, aut compositione, vel moderatione pœnæ, merito suadeant; onus erit ipsius rei, seu illius defensorum, hujusmodi exceptionis subsistentiam, concludentibus & juridicis probationibus demonstrare, quemadmodum ipsa Clementis XII. Constitutio, cum præcedenti Alexandri VIII. Lege collata, satis aperte indicat; & ne super hoc impofterum hæsitari contingat: Nos eorundem tenore præsentium, ejusmodi probationum adstruendarum onus in ipsos reos, eorumque defensores, expresse refundimus, eoque non adimpleto, memoratas exceptiones delinquentibus nullatenus suffragari volumus, quominus omnibus, & singulis pœnis, etiam læsæ Majestatis, & rebellionis, in præfatis Prædecessorum Sanctionibus constitutis, subjiciantur, & cum effectu plestantur, & puniantur.

§. 8. Sicque, & non aliter in hujusmodi causis censei, atque ita per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, tam in Urbe, quam in universo statu Ecclesiastico, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosque quoslibet, quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate adversus quoscumque in præmissis delinquentes, etiam speciali nota, & expressione dignos, pro ut in præcitis Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus exprimentur, & nominantur, judicari & definiri debere decernimus, & mandamus.

§. 9. Non obstantibus contrariis quorumcumque Tribunalium & Judicium resolutionibus, & definitionibus, aut Curiarum usibus, stylis & consuetudinibus, seu inveteratis DD. opinionibus, & sententiis, nec non Urbis præfatæ, aliarumque Civitatum, Terrarum, atque Locorum Statutis, seu eorundem, & quarumcumque personarum & Universitatum privilegiis, exemptionibus, & indulti, cæterisque omnibus, quæ uterque Pius, Alexander, & Clemens Prædecessores prædicti suarum Constitutionum observantiæ, & executioni decreverunt non obflare.

§. 10. Volumus autem ut præsentium Literarum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ Sigillo munitis, eadem fides in Judicio, & extra, ubicumque opus fuerit, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, seu ostenderentur.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, Decreti, declarationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. M. Majorem Anno Incarnat. Dominicæ MDCCLII. Decimo Octavo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

V I S A D E C U R I A

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die III. Februarii ejusdem Anni.

NUM.

*Ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos Italia,*

*Quibus hortantur, ut veteribus nova superaddant pastoralis sollicitudinis studia, ut Christifideles in rudimentis Fidei instituantur, & erudiantur.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

CUM Religiosi æque, ac divini cultus promovendi studiosi viri ad nos detulerunt, optimum fore, si nostris S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, & S. Mariæ Majoris Patriarchalibus Basilicis, certi constituerentur ministri, ad instruendos eos, qui a Dataria Apostolica in præfatas tres Basilicas ablegantur, ut ubi sese exercent iis servilibus operibus, quæ ipsis imponuntur obeunda, perficiendaque, antequam iisdem concedatur matrimonialis impedimenti relaxatio, ad quam consequendam Romam advenere: eo autem hujusmodi institutionem dirigendam esse, ut rite, utiliterque possint homines illi Sacramentali pœnitentia abstergi, & Altaris Sacramento digne fieri participes; quæ duo, præter sacram ad septem Ecclesias peregrinationem, Sanctarumque Scalarum ascensum, ab ipsis exposcit Dataria: cumque ea de re opportuna ediderimus mandata, veluti perspicuum sit ex nostris Literis Encyclicis ad Cardinales præfatarum Basilicarum Archipresbyteros datis decimo quinto Kalendas Februarii labentis Anni; nobisque exinde certo confiterit, quanto zelo nonnulli ex Canonicis, aliisque Ecclesiasticis Viris præfatarum Basilicarum, momentoso operi manum admovere alacri semper animo sollicitam mandatorum nostrorum executionem urgentes; gaudio quodam plane singulari perfundi Nos sensimus, totoque animo debitas summo bonorum omnium Auctori Deo gratias persolvimus.

§. 1. Haud tamen expleri animus gaudio potuit, cum subinde relatam ad nos fuerit, hujusmodi homines dum sacris instructionibus ad Confessionem, sacramque Communionem parantur, detegi sæpe sæpius Mysteriorum Fidei, atque eorum etiam, quæ *Necessitate Medii* noscenda sunt, ignaros; ideoque tales, qui Sacramentorum nequeant fieri participes. Cui quidem maximo malo quamvis memorati Ministris opportuna non negligant remedia adhibere assiduis institutionibus; exinde tamen non fit, quin præter sollicitudinem & laborem, quem Evangelici illi Operarii agnoscunt sibi necessario subeundum, quemque lubenti animo perferunt, id ipsum mœrore quodam non afficiat dispensationem exposcentes, expectantesque, qui cum paupertate vexentur, suisque manibus sibi victum quærissent, quam citissime cupiunt urbe excedere, in Patriam reverti suas, optatoque sese jungere matrimonio, cujus causa iter arripuerunt, publicæque, nec levis pœnitentiæ incommoda non detreçarunt.

§. 2. Pontificatus Nostri initio, Encyclicas Literas dedimus, quibus Venerabilium Fratrum Nostrorum zelo stimulos veluti addidimus, ut quæ Christianæ Doctrinæ sunt rudimenta, & præcepta, in sua quisque Diœcesi explananda curarent, & addiscenda. Diœcesanas eorum Synodos legimus vetustiores ac recentiores; novimus eas instructionibus & adhortationibus plane refertas, nihilque in iis desiderari, quod ad gravissimum Christianæ Doctrinæ tradendæ opus perficiendum conducere videatur. Quapropter ex animo affirmamus, persuasum Nobis esse, inter ipsos reperiri plane neminem, qui Apostolico sibi concredito muneri hac in re defuerit, & ignorantiam, in qua versari non-


PONT. nonnullos ex suis Diœcesanis compertum est, haud quidem ipsis culpæ vel ANNO  
negligentiæ vertendam, sed repetendam plane vel ex eorumdemmet subdito-  
A. XIV. rum pervicacia, qua, neglectis Superiorum mandatis, Christianæ Doctrinæ institu- 1754  
tiones refugerunt, & ad exaudiendum Dei Verbum pro concione expla-  
natum raro, vel fortasse nunquam convenerunt; vel saltem ex hebeti non-  
nullorum ingenio in iis addiscendis, quæ docentur; vel denique ex quo Chri-  
stianæ Doctrinæ rudimenta primis ætatis suæ annis exceperint, ubi vero æta-  
te illa excessere, nihil exinde fuerint solliciti ad ea loca accedere, ubi vero æta-  
mode ac fructuosius fortasse etiam potuissent obfirmata ætate percipere, quæ  
ipsis puerulis fuerunt tradita, adeo ut hi paulatim redigantur ad conditionem  
ei omnino similem, in qua obversantur, quicumque nec prima ætate edocti,  
nec Christianæ Doctrinæ institutionibus unquam interfuerunt. Incommoda hæc  
quidem sunt, quæ quamvis obvenerint, obviantque fortasse, curis omnibus  
per Venerabiles Fratres Nostros adhibitis, non exinde tamen Nos levant onere  
Encyclicis hisce Literis eorum zelum iterato excitandi; nec ipsi propterea  
eximuntur, quæ studia sollicitudinesque eo semper majores conferre debeant  
in id, unde concreditarum sibi animarum sempiterna salus pendere dignoscitur.

§. 3. Neminem fortasse reperire erit inter vos, Venerabiles Fratres cui per-  
spectum penitus non sit, quanta peregerit S. Carolus Borromæus tam in am-  
pla sua Diœcesi Mediolanensi, tum in universa Provincia, cui præerat Metro-  
politanus, ut proficuum tradendæ Christianæ Doctrinæ methodum constitue-  
ret; quantosque pertulerit labores, ut religiosum hoc institutum firmiter con-  
stabiliret: cumque animadvertisset, non eum cepisse ex tot laboribus fru-  
ctum, quem exoptabat, haud despondit animum; sed veteribus novas superad-  
didit curas, & sollicitudines, quemadmodum deprehenditur ex quinta Medio-  
lanensi Synodo: *Nos multam hætenus diligentiam adhibuimus, ut omnes & sin-  
guli Christi fideles in Fidei Christianæ rudimentorum institutione erudirentur; sed  
cum parum Nos hucusque profecisse tanta in re cognoverimus, negotii periculique  
magnitudine adducti, hæc præterea decernimus.* Satis namque fuit Sanctissimo  
Præsuli perceptam fieri vigentem indigentiam, ut iterum manum operi ad-  
moveret, curas curis accumulando, parvipensis omnibus, quæ satis multa  
eiusque peregerat; ad eum plane modum quo Assyriorum Rex satis habuit,  
delatum ad se fuisse, ignorare gentes præcepta Dei: *Nunciatumque est Regi  
Assyriorum, & dictum, gentes, quas transfulisti, & habitare fecisti in Civitati-  
bus Samariæ, ignorant legitima Dei Terræ; ut statim illic mitteret Sacerdo-  
rem, qui gentes illas Dei præcepta edoceret: Præcepit autem Rex Assyriorum  
dicens: ducite illuc unum de Sacerdotibus, quos inde captivos abduxistis, & va-  
dat, & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei Terræ: quemadmodum le-  
gitur lib. 4. Regum cap. 17.*

§. 4. Nos itaque S. Caroli Borromæi exemplum præ oculis habentes, quam-  
vis omne hætenus studium impenderitis atque sedulitatem, hortamur adhuc  
rogantes vos per JESU CHRISTI Viscera, ne in tanto opere tradendi Chri-  
stianæ Fidei rudimenta animum despondeatis. Hoc agite, ut Parochorum quis-  
que, quæ Sacro Tridentino Concilio, quæ vestris Synodalibus statutis jubentur,  
sedulo exequatur: ut statis diebus Scholarum Magistri, & Magistræ, Do-  
ctrinam tradant Christianam: ut Confessarii, quæ muneris sui sunt impleant,  
quoties quisquam se ipsorum Tribunali sistit, ignorans quæ necessitate medi-  
sunt ad salutem necessaria; idipsumque præsentent & Parochi, antequam Spon-  
sos Matrimonio conjugat: Patres familias, atque domorum Heri, serio mon-  
neantur de imposta sibi obligatione erudiendi per se, erudiendosque curandi  
Christianæ Doctrinæ præceptis filios, suosque familiares: quibusque in Diœ-  
cesibus receptus est, servetur, cureturque recipiendus, ubi hætenus non obti-  
nuit, usus, juxta quem, ante, vel post Parochialem Missam, elata voce, per  
ipsummet Parochum recitantur Fidei, Spei, & Charitatis actus recte composi-  
ti,

PONT. ti, populo interim Parochi verba iterante: Nec etiam negligatur incumbens ANNO  
 A. XIV. quidem ex Altari Evangelium ei explanare, ipsumque præcipua Sanctæ Reli- 1754  
 gionis Nostræ Myſteria, Dei præcepta, & Eccleſiæ, ac quidquid demum opus  
 eſt, ut Sacramentorum digne particeps fiat, edocere tenetur. Veſtigia hæc ſe-  
 ſtentur quoque Concionatores, quibus ſalutare illud iteretur monitum, ut ad-  
 hortationibus inſtitutiones adjugant, quandoquidem utriusque indigent Audi-  
 tores. Denique quænam ſit optima methodus in rudibus hominibus Chriſtiana  
 Doctrina erudiendis, indigitatur a S. Auguſtino in libro *de Catechizandis ru-  
 dibus cap. 10.* ubi inquit, proficuum præ cæteris eam eſſe, qua poſt explana-  
 tionem, familiares inſtituantur interrogationes; ex familiari quippe interro-  
 gatione compertum ſit, an quæ quiſque audivit, mente perceperit, vel an po-  
 tius iterata explanatione opus ſit, ut alieno captui res ſubjiciatur: *interroga-  
 tione quærendum eſt, utrum is, qui catechizatur, intelligat; & agendum pro ejus  
 reſponſione, ut aut planius, & enodatius loquamur, aut quæ illis nota ſunt, non  
 explicamus latius &c.* Quod ſi nimis tardus eſt, *miſericorditer ſuccurrendus eſt,  
 breviterque ea, quæ maxime neceſſaria ſunt, ipſi poſſimum inculcanda.* Illud  
 nobis perſuaſum eſt fore, ut longe plura ipſi perſequamini, quam Encyclicis  
 hiſce Literis Noſtris Vobis indigitamus. Interim Vobis, Venerabiles Fratres,  
 conceditoque ſollicitudini veſtræ Gregi, Apoſtolicam benedictionem peraman-  
 ter impertimur.

Datum ex Arce Caſtri Gandulphi die 26. Junii MDCCLIV. Pontificatus No-  
 ſtri Anno Decimoquarto.



PONT.

N U M. LXXXIX.

ANNO

A. XIV.

NE CHRISTIFIDELES

1754

*Sub Turcarum ditione verſantes, ad occultandam Chriſtianæ Religionis Profeſſio-  
 nem, Mahumetana Nomina ſibi imponant, iſque ſe apellari patientur.*

*Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Episcopis, nec non dilectis  
 Filiis Parochis, & Miſſionariis, Provinciæ Albanæ.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Venerabiles Fratres, Dilecti Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Q UOD Provinciale Concilium Albanum Provinciæ veſtræ, Venerab. Fra-  
 tres, Dilecti Filii, Anno MDCCIII ſub ſel. rec. Clemente Papa XI.  
 prædeceſſore Noſtro celebratum, inter cætera, Canone tertio ſanctiſſi-  
 me ſtatuerat, nimirum ne Turcica, ſeu Mahumetana nomina, ſive parvulis,  
 ſive adultis in Baptiſmate imponerentur; neve Chriſtifideles Turcicis, ſeu Ma-  
 humetanis nominibus, quæ numquam ſibi impoſita fuerant, ob quamcumque  
 vel tributorum exemptionem & immunitatem, vel liberi commercii commo-  
 dum, vel evitandarum pœnarum cauſam, ſe nuncupari paterentur: id iplum,  
 inter cætera, Nos quoque commendantes, confirmavimus, ac ſervandum præ-  
 cepimus in noſtra Encyclicæ Epistoſa, cujus initium eſt = *Inter omnigenas,*  
 pro Regno Serviæ, & ſinitimis Regionibus, ſuper pluribus Religionis, ac  
 diſciplinæ capitibus die XI. Menſis Febr. Anno MDCCXLIV. Pontificatus No-  
 ſtri Anno IV. edita. Providum igitur, ac ſalutari ejuſmodi ſtatutum ab An-  
 teceſſoribus veſtris tanta cum ſapientia ac religione conditum, & tamquam  
 luculentum Catholicæ Fidei, ſinceræque veſtræ Chriſtianæ pietatis exemplum,  
 aliis.



PONT. aliis ad imitandum & omnino custodiendum a Nobis districte præceptum, ANNO  
 quemadmodum in Provinciæ vestræ majorem gloriam, & existimationem, ma-  
 A. XIV. joremque consequendæ æternæ animarum salutis utilitatem, ita, si negligi for- 1754  
 te contingat, in majus ejusdem vestræ provinciæ dedecus, apertumque anima-  
 rum discrimen redundare videtur.

§. 1. Nos autem, qui abusus illum in prædicta Epistola Nostra tamquam turpem Christianæ Professionis occultationem ad infidelitatem accedentem pronunciamus, maximo cum Pontificii animi nostri mœrore accepimus, quod quamplurimi illius Provinciæ, posthabita æternæ salutis ratione, eadem Turcica, sive Mahumetana nomina usurpare pergant, non solum ut a tributis, & oneribus illis, quæ Christianis imposita sunt, vel imponi sæpe contingit, immunes, & liberi sint & habeantur; verum etiam ut tam ipsi, quam eorum parentes, a Mahumetana Secta apostatasse minime credantur, nec poenis hæc in re inflictis multentur. Hæc enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contraria; quæ mendacium in re gravissima continent, & virtutem Fidei negationem maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includit: unde opportuna etiam præbetur Turcis ipsis occasio, Christianos omnes, tamquam hypocritas & deceptores existimandi, atque adeo jure ac merito persequendi.

§. 2. Accedit præterea ad mœrorem, doloremque Nostrum magis magisque augendum, quod nonnulli ex Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, atque ex Vobis quoque Dilecti Filii Parochi, & Missionarii, ad tam privatam ac detestabilem simulationem nihil animadvertentes, immo conniventes, atque inanibus ad excusandas excusationes in peccatis rationum momentis adducti, eos Christianos curæ vestræ creditos, qui sæpe dicta Turcica, seu Mahumetana nomina assumunt, usque vocari student, ad Sacramentorum participationem, sine ullo profus conscientiæ angore, & publica cum bonorum Christianorum offensione, admittere non vereantur.

§. 3. Hinc est, quod nos, qui ex injuncta Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudine ac suprema Sacrosancti Apostolatus procuratore, Christianos omnes in viam salutis reducere, eisdemque puros, sinceros in spiritu, & veritate ambulantes, & absque macula, Deo exhibere tenemur, postquam Venerabiles Fratres Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales contra Hæreticam pravitatem generales Inquisitores super hac re audivimus, de eorum consilio; primum quidem laudatum Concilii Albani Vestræ Provinciæ Canonem renovantes, Apostolica Auctoritate nostra tenore præsentium confirmamus, & districte servandum mandamus, nec non memoratæ Epistolæ nostræ decreta ad vestram quoque Provinciam auctoritate & tenore paribus extendimus, & servanda itidem præcipimus: deinde districte pariter prohibemus, ne quilibet ex Christianis quocumque casu vel prætextu, aut in quibusvis excogitabilibus circumstantiis, eadem Turcica, seu Mahumetana nomina, ut Mahumetani credantur assumere audeat.

§. 4. Porro, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, vos rogamus, & in Domino hortamur, ut serio animo ministerium vestrum, & districte Supremo Pastorum Principi Jesu Christo æterno Judici rationem de commissis unicuique vestrum ovibus reddendam considerantes, & ipsi curetis per bona opera vestra certa electionem vestram facere, & minime omittatis, (quod sine gravissima incuria, negligentiaque vestræ culpa accidere non potest) eosdem Christianos Provincie vestræ arguere, obsecrare, & increpare in omni patientia, & doctrina, ut conversationem suam inter gentes habentes bonam; in omnibus se ipsos præbeant exemplum bonorum operum, ut ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de ipsis, quasi malefactoribus, qui turpis lucris causa aliud in ore, aliud in corde gerant. Quod si qui admonitionibus

PONT. bus vestris, & præceptis Nostri non aquiescant, ad Apostolicæ Disciplina ANNO  
normam, virga compesci debent, & circa ipsos Albanensis Synodi vestra, &  
A. XIV. dictæ Epistolæ nostræ, Sanctiones, & pœnæ omnino exequendæ sunt, quibus 1754  
in vita Sacramentorum, & post mortem, si impœnitentes decesserint, suffra-  
giorum incapaces declararunt. Quas quidem pœnas iterum, quatenus opus sit,  
innovamus, & infligimus, & debitæ executioni a Vobis mandandas volumus,  
& injungimus. Hoc autem nemini ex Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti  
Filii, durum esse debet; quoniam nisi abundaverit justitia vestra plusquam  
Schismaticorum, & Hæreticorum, quorum tamen nullus Mahumetanum nomen  
assumere præsumit, non intrabit in Regnum Cælorum.

§. 5. Illos denique, qui ex Mahumetanis Christiani sunt facti, vel qui isto-  
rum sunt Filii, si de sua in fide constantia diffidant, vereanturque, ne si Tur-  
cica deponant nomina, Dominantium pœnas incurrant, easdemque subire for-  
mident, serio admoneatis, ut omnino regiones illas occulte deserant, & ad  
Terras Christianorum accedant, atque confugiant, in quibus & Deus, qui dat  
escam omni carni, & Fidelium Caritas minime ipsis deerit; maxime si Epi-  
scoporum comendatitiis Epistolis muniantur. Interim Vobis, Venerabiles Fra-  
tres, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, quam a quolibet Venerabili  
Fratre Antistite in sua Diocesi Christianis Orthodoxis nostro nomine im-  
pendi volumus, peramanter elargimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 1. Augusti MDCCLIV. Ponti-  
ficatus Nostri Anno Decimoquarto.



PONT.

N U M. XC.

ANNO

A. XV.

P U E R O S

1755

*Ante usum Rationis in odium Christi occisos, an canonizari expediat, disquiritur;  
& in hanc rem plura de Martyrio horum Puerorum, cultuque publico iisdem  
in Ecclesia præstito; & de Martyrio cultuque præsertim B. Andrea Rinnensis,  
cujus instituta Canonizationis causa conscribendæ Epistolæ occasio fuit, distin-  
ctim adnotantur.*

*Dilecto Elilio Benedicto Veterani Sacra Consistorialis Aula Advocato, &  
Fidei Promotori.*

### B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Dilecte Fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**B**EATUS Andreas de Pago, seu Vico Rinnensi, Brixienſis Diocesis, non-  
dum exacto tertio ætatis suæ anno a Judæis in odium Christianæ Fidei  
sub annum 1462. fuit crudelissimè trucidatus. Non ita post multos a  
Martyrio annos publice coli cœpit; quandoquidem sub annum 1475. ejusdem  
ossa, sublimes a terra loco recondita fuerunt in pariete Ecclesiæ præmemorati  
Viri, Deo in honorem S. Andreae Apostoli dicatæ. Cum autem labinde una  
cum miraculorum fama, eo semper magis religiosum Populi obsequium excre-  
verit, ac præterea Infantis Reliquiæ, scientibus & prostantibus Ordinariis assi-  
duis nec interruptis cultus publici actibus fuerint exceptæ; impulere hæc om-  
nia superioribus annis Venerabilem Fratrem Nostri Episcopum Brixienſem,  
Dilectumque Filium Abbatem Monasterii Vitenſis Ordinis Præmonstratensis,  
aliisque emeritos Vires Ecclesiasticas, ut supplices a S. Sede expolcerent in-  
dultum peculiaris Mitiæ, & Cincii peculiares itidem Lectiones habentis, in  
Beati

PONT. Beati honorem, Martyrii die quarto Idus Julii, recitandi a Clero Sæculari, ANNO & utriusque Sexus Regulari, in Civitate, universaque Brixinensi Diocesi.

A.XV. Huic autem petitioni quinto Kalendas Octobris Anni 1751. rescripsimus, ut 1755. primum ab Ordinario conficeretur Processus de Martyrii, ac Miraculorum fama, deque cultu immemorabili, de quibus juridice Nobis liquere optabamus, ante peculiaris Officii, Missæque concessionem.

§. 2. Haud ipsis arrisit rescriptum hoc Nostrum. Quare cum expositum Nobis fuisset, ad exequenda omnia, quæ in illo præcipiebantur, diuturno tempore, labore magno, nec exiguis sumptibus opus esse, quandoquidem Brixinone duo Processus Ordinaria auctoritate confici deberent; Nosque ipsos in Nostrò Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 5. plura recensere exempla, quibus Officia, & Missæ propriæ, in alicujus Beati honorem concessa quandoque fuisset constabat, ex iis tantummodo, quæ de eo literis consignarant Auctores graves, quæque de publico ejusdem cultu erunt pervulgata, quin ullus antecesserit Processus ab Ordinario confectus super virtutum, seu Martyrii, aut Miraculorum, vel Cultus antiqui, ac hominum memoriam excedentis fama; propterea quod hujusmodi Processus tunc solummodo sit necessario præmittendus, quando præter Officii, Missæque concessionem in causa progredi quis velit, & ad formalem usque Canonizationem procedere, haud vero, quum peculiaris Officii, Missæque indulto obtento, nihil de formali Canonizatione cogitatur, sed mens est frui dumtaxat impetratis: Hinc igitur animum induximus viam relinquere a Nobis antea præscriptam, & alteram inire, quam ipsi patefecimus, plurimisque exemplis in præcit. cap. 5. confirmavimus.

§. 3. Incognitum Nobis non erat hujusce B. Andreæ nomen, neque martyrium, cum legerimus quidquid de ipso scripserunt celebres Bollandistæ tom. 3. Mensis Julii ad diem 12. Nosque ipsi de eo mentionem fecerimus in præcit. Nostrò Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 3. cap. 15. num. 6. Antequam vero oblati precibus annueremus, opus fuit, ut percurreremus hujusce Martyris historiam manuscriptam, ab Hippolyto Guarinonio Germano idiomate compositam, latine vero redditam a P. Norberto Ab. Viltinensi; ut inspiceremus acta martyrii, publicique cultus monumenta multa labore ac eruditione collecta, typisque tradita sub annum 1745: a Patre Hadriano Kemptero; nec non disceptationem Apologeticam de martyrio Beati Simonis Tridentini, Tridenti impressam anno 1747. ubi cap. 5. de Martyrio, Cultuque Beati Andreæ late disseritur; Quam quidem Disceptationem quamvis eruditi Auctoris modestia nullo inscriptam nomine ediderit, perspectum tamen est, opus esse patris Benedicti Cavallese, quemadmodum testis locupletissimus est celebris Flaminius Cornelius Senator Venetus in suo Opere de cultu S. Smonis Pueri Trid. & Mart. pag. 4. ubi debitas præfato emerito Religioso Viro laudes non prætermittit.

§. 4. Insuper, cum delatum fuisset, antiquum quemdam extare Processum Ordinaria auctoritate confectum super cultu hujusce B. Andreæ, authenticum ejus exemplum transmitti ad Nos iussimus: utque extrajudiciales saltem suppetere probationes continuationis ejusdem publici cultus, missæ ea de re ad Nos fuerunt testificationes. Postquam autem omnia accurate perpendimus, per organum Congregationis Rituum, instantibus Venerabili Fratre Brixinensi Episcopo, Dilectisque Filiis Procuratore Generali Ordinis Præmonstratensis, & Abbate Monasterii Viltinensis, decimo octavo Kalendas Januarii 1753. Missam propriam, Officiumque cum peculiaribus Lætionibus a Clero Sæculari, & utriusque Sexus Regulari, sub ritu duplici in Civitate, ac per universam Brixinensem Diocesim recitandum concessimus; nec tamen omisimus, Missam ipsam, atque proprias Lætionis examinandas curare, omniaque cum Dilecto Filio Ludovico Valenti, tunc Fidei Promotore, nunc vero Assessore S. Officii communicare: ac insuper præmemorati Brixinensis Episcopi, reliquorumque, quos mox supra expressimus, precibus annuentes, decimo octavo Kalendas Fe-

PONT. bruarii Plenariam Indulgentiam concessimus singulis, qui confessi, Sacraque ANNO  
 Communionem refecti, quarto Idus Julii cujusque anni, Rinnensem visitent Ec-  
 A. XV. clesiam, in qua B. Andreae Reliquiæ conquiescunt. 1755

§. 5. Hæc omnia peregrimus, proposito Nobis Sixti V. Prædecessoris Nostri exemplo. Sub annum 1487. fuit ab Hebræis in odium Fidei Christi sævissime occisus B. Simeon Tridentinus Puer, qui nondum impleverat tertium ætatis suæ annum. Ex inhumano hoc scelere tot tantæque turbæ derivarunt, totque ac tantis artibus usi sunt Judæi, ad promeritas pœnas declinandas, avertendumque a se justum Christifidelium odium, ut Sixtus IV. refugere haud potuerit, quin ea in re ipse intercederet, prohibendo, ne qui antea publicus cultus B. Simoni præstabat, eidem amplius exhiberetur, quousque peripicuum evasisset, eundem in odium Christianæ Fidei fuisse a Judæis trucidatum. Sixti IV. Breve relatam a Nobis fuit in Opere Nostro *de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 14. num. 4.* Cum vero subinde palam omnia facta faulient, alacisque probationibus, demonstrata, una cum nece, ejusdem inferendæ causa, atque constitisset etiam interfectores Hebræos fuisse, veluti evincitur ex Processu, qui vel nunc temporis in secretiori Archivio Castri S. Angeli asservatur, quemadmodum monuimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 3. cap. 15. num. 6.* a Sixto V. Pontifice anno 1588. datum fuit Breve concessionis Missæ celebrandæ, ac Officii proprii in Civitate, universaque Diocesi Tridentina in honorem B. Simonis, definita die recitandi, superaddita Indulgentia Plenaria omnibus, qui Confessionis, ac Communionis Sacramentis muniti, die eidem sacra visitassent Ecclesiam, in qua ejusdem Reliquiæ coluntur. Breve Sixti V. insertum est præcitatæ Disceptationi Apologeticæ super Martyrio B. Simonis, Tridentinis prælis curæ anno 1747. pag. 207. ubi eruditus Auctor refutare non negligit quæcumque VVangenseilius, & Basnagius in Pueri innocii Martyrium objecerat; idque ipsum, vi & eruditione haud impari, præstatur a Flaminio Cornelio Senatore Veneto in suo Opere *de Cultu S. Simonis Pueri Tridentini* Venetiis recula sub annum 1743. Inter ea vero, quas vel ipsi pro B. Andreae Cultu indulsumus, vel Prædecessores Nostri pro cultu B. Simonis, decreverunt, hoc unum discrimen est, quod nimirum jussu Gregorii XIII. Pontificis, Beati Simonis nomen in Martyrologium Romanum fuit illatum, uti prænotavimus in Nostro *lib. 1. de Canonizatione cap. 14. num. 4.* At id Nos præstare noluimus quo ad Beatum Andreæ, ad facta testæ servanda posteriora Decretæ, ut in Martyrologium Romanum Canonizatorum nomina solummodo inferantur, omissis nominibus eorum, qui Beatorum numero adscripti sunt, vel solemnè, vel æquipollenti Beatificatione: uti videre est in Nostro *lib. 4. de Canonizatione part. 2. cap. 18. num. 9. & seq.*

§. 6. Si Religiosis Viris satis fuisset, quemadmodum affirmaverant, Officium, Missamque propriam obtinuisse, & subinde ulterius progressi, Causam ipsam ad formalem Canonizationem instruere non attentassent, Nos quidem Epistolam hanc distandi, Te vero perlegendi ac extendi labore levavissimus; at cum formalem Canonizationem nunc sibi animo proposuerint, obtinuerintque ut Potentissimi Catholicorum Principum in id ipsum vehementes instarent; opus Nobis esse conspeximus, ut omnia rite recteque se habeant, hac Epistola sententiam Nostram de nupera petitione aperire.

§. 7. Haud sane conquerimus eos, postquam expressa superius ratione, Missæ propriæ propriæque Officii concessionem a Nobis sunt assecuti, declarato eorum animo ulterius minime progrediendi, mutasse exinde sententiam; nova enim hæc molimina libenter damus iteratis Religiosæ devotionis impulsibus. Certi præterea sumus, quoties ipsi ad formalem Canonizationem properare velint, Te, pro ea, qua uti consuevisti diligentia, non neglectarum, Commissionem relaxare, quæ dicitur, *in statu, & terminis*, de qua verba fecimus in nostro Opere *de Canonizatione lib. 2. cap. 38. num. 13.* legitimam quocumque

PONT. que exposcere probationem, qua casum hunc Urbani VIII. decretis non esse ANNO  
 comprehensum demonstraretur, quod cæteroquin facile admodum præstabant Po-  
 A. XV. stulatores, authenticum nostrum Missæ atque Officii, indultum proferentes, 1755  
 veluti nos quoque inuimus præcitato Opere *lib. 2. cap. 21. num. 2.* Nec Te  
 pariter prætermittarum scimus, tum exigere, ut novo confectu Processu Apo-  
 stolico, una cum martyrio, ipsa probetur causa martyrii Beati Andreæ, cum  
 ad solemnem Canonizationem haud satis habeantur, quæcumque, & facta,  
 & oculis subiecta fuerunt ad Officii, Missæque concessionem; veluti ipsi plene  
 demonstravimus in Nostro *lib. 1. de Canonizatione cap. 32. a n. 6. ad 17. & cap.  
 42. num. 9.* Tum ad severæ criticæ regulas expendere, an Historici martyrium  
 referentes necessariis polleant conditionibus, ad probationem constituendam in  
 iudicio solemnis Canonizationis, quibus de Conditionibus Nos late egimus  
 Nostro *lib. 3. de Canonizatione cap. 8. & duobus sequentibus*, cum major etiam  
 quoad Historicos adhibeatur facilitas, quoties res est de simplici concessione  
 publici cultus, peculiaris alicujus Diocesis finibus circumscripti, quam cum  
 agitur de publico cultu præceptiva lege decreto, atque in universam Eccle-  
 siam ampliata, quemadmodum vel ipsi adnotavimus *lib. 4. part. 2. cap. 10. num.  
 26.* Ac denique expetere, præter martyrium, ejusque causam, signorum præ-  
 terea, ac miraculorum accessionem, quæ post Indultum publici cultus conti-  
 gerint, quod perinde est ac dicere, post datum a Nobis Breve concessionis  
 Officii ac Missæ. Neque hic sufficient duo signa, vel miracula, sed quatuor  
 afferantur necesse est; causa namque Beati Andreæ, quod martyrium, & mar-  
 tyrii causam, fulciri non potest probationibus directis, Testibus nimirum *de  
 visu*, sed auxiliariis veluti ac subsidiariis, Testibus nimirum *de auditu*, qua  
 quidem in facti specie, duo signa vel miracula satis non sunt, sed quatuor  
 desiderantur, juxta Generale Decretum a Nobis editum nono Kalendas Maii  
 1741 impressumque in Nostro Opere *de Canonizatione lib. 3. cap. 3. num. 25.* quod  
 nunc tempore executionem in Congregatione. Rituum consequitur.

§. 8. Certum Nobis est, Te nihil eorum, quæ hactenus recensuimus, pro-  
 specta Nobis cura, ac sedulitate tua reliqui facturum. Quod Nos habet sol-  
 licitos illud est, causam Beati Andreæ Pueri, ab Hebræis occisi in odium Fi-  
 dei, primam esse, quæ, post causas Canonizationis Sanctæ Sedi reservatas,  
 instrui velit, haud quidem ad obtinendum, vel Indultum permissivum publici  
 cultus una aliqua Diocesi circumscripti, vel formalem, aut æquipollentem  
 Beatificationem, sed ad impetrandum publicum cultum, & quidem præceptum,  
 atque in universam Ecclesiam per expressam formalem Canonizationem am-  
 pliata. Nos hac de re disternimus in Nostro *lib. 1. cap. 14. num. 5. & 3. lib.  
 cap. 15. num. 6.* monuimusque; quoties casus iste obveniret, cauto opus esse;  
 cum res nova agatur, nec unquam in praxim deducta a S. Sede, ex quo ea-  
 dem sibi Canonizationis causas reservavit, quemadmodum prædiximus. Estque  
 hoc plane illud, quod Nos impulit, ut hæc ad Te daremus Literas; con-  
 grue enim Nobis visum est, ut primum omnium in Rituum Congregatione  
 disquiratur, an promoveri debeat Beati Andreæ causa, quam Postulatores ad  
 formalem usque Canonizationem perducere decreverunt; namque æquum non  
 est, ut causa institui permittatur, efformari Processus super martyrio, & mar-  
 tyrii causa, ac super signis atque miraculis, & fortasse etiam probentur hæc  
 omnia, postremo autem respondeatur, formali Canonizationi non esse locum,  
 ex quo nullum extet similis Canonizationis exemplum, Canonizationis nimirum  
 Pueri in Fidei odium enecati. Audita autem Congregationis sententia,  
 antequam reddamus quæsitum Decretum, non cessabimus supplices Deum exor-  
 rare, ut Divino Nos lumine dirigere non dedignetur.

§. 9. Interea vero, ut facilius evadat disquisitio, opportunum existimamus  
 hæc Literas summam retexere, quidquid docuerit Theologi de Pueris, in  
 odium Christi occisis, & ex Sacris Ecclesiæ monumentis colligere, quæ de  
 ipsis

PONT. ipsi Pueris, delatoque iisdem cultum, memorie prodita adveniuntur. VI. ANNO  
 A. XV. finitionem infantiae propositae a Postulatoribus Beati Pueri Andreae Rinnensis, 1755  
 qui, ab impetrato cultu peculiaris Missae & Officii, ad certum quemdam lo-  
 cum, ut praenotavimus, circumscripti, id quod nihil aliud est, quam equipol-  
 lens Beatificatio, ulterius progredi vellet, & formalem obtinere Canonizationem.

§. 10. Hanc itaque sectantes methodum, asseremus, ex quo Ecclesia tam-  
 quam Martyres colat Bethleemiticos Infantes, Theologis justam fuisse causam  
 propagandi, Martyres quoque esse ceteros omnes Pueros, quibus in odium  
 Christianae Fidei vita adempta. Collectae a nobis fuerunt auctoritates in  
 Nostro Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 14. num. 3. & seq. Neque  
 enim ulla firma ratione defendi potest, quod affirmant nonnulli, Martyres  
 nimirum fuisse Bethleemiticos Infantes, peculiari quodam privilegio divinitus  
 ipsis dato, quo ipsorum aetatem rationis usus antevertit, ut mortem perpeffi,  
 martyrii palmam assequerentur: etenim tam quoad Bethleemiticos Infantes,  
 quam quoad ceteros omnes in odium Fidei Christi necatos, obtinet Theolo-  
 gica ratio, martyrium scilicet intelligi per mortem in Christianae Fidei odium  
 perlatam, Infantisque, qui huiusmodi morte tolluntur, martyrii gloriam asse-  
 qui ex Jesu Christi meritis, quamvis libero arbitrii actu illud non operierint.  
 Auctoritatibus autem ibi per Nos allatis superaddemus sequentes; Sylvium  
 nempe in 2. 2. D. Thomae qu. 124. art. 1. Sunt qui dicant acceleratum fuisse in  
 istis Innocentibus, de Bethleemiticis loquitur, usum rationis: sed hoc nulla vel  
 Scriptura, vel Patrum auctoritate probatur &c. Non est ergo mirandum, quod  
 B. Thomas nolit admittere accelerationem usus rationis in Parvulis Innocentibus  
 pro Christo occisis, quas tamen recte dicit habere palmam martyrii: quia quod in  
 aliis propria voluntas, Dei auxilio adjuva, meretur, isti propter Christum occisi,  
 sunt per Dei gratiam consecuti &c. Si quis ergo quaerat, utrum pueri non bap-  
 tizati, essent martyres, si modo interficerentur propter Christum, vel in odium Chri-  
 stianae Religionis, respondendum est affirmative. Satis ponderis & momenti inest  
 quoque verbis Suarezii in 3. part. D. Thomae tom. 3. discept. 29. sect. 1. ubi post-  
 quam evicerat, Pueros Bethleem fuisse vere martyres, ita subdit. Ex hoc au-  
 tem singulari facto recte colligimus, nullum infantem, ratione infantia, esse mar-  
 tyrii incapacem; sed omnes eos, qui eodem modo pro Christo mortem sustinuerint,  
 vere esse martyres: nam eadem est ratio & causa in ceteris infantibus, quae fuit  
 in illis Innocentibus: quia vel in illo facto intercessit speciale privilegium, fa-  
 ctum illis Pueris, vel non: si non intercessit; ergo non est, cui alii censentur  
 magis incapaces martyrii, quam illi, cum omnes aequae careant usu rationis: si  
 vero intercessit privilegium, hoc certe non est factum personis, sed causae. Quid  
 enim in illis Pueris cogitari potest pertinens ad personalem dignitatem, vel condi-  
 tionem eorum, propter quod huiusmodi privilegium illis concessum sit? Nihil sa-  
 ne. Tota ergo ratio illius privilegii fuit causa mortis, nimirum quod propter Chri-  
 stum occisi sunt &c. Quin etiam Ecclesia eodem modo inter martyres numerat quos-  
 libet pueros, vel infantes, qui in lege Gratiae pro Christiana Religione mortui  
 sunt, ut constat ex omnibus historiis Ecclesiasticis, & ex modo loquendi Sanctorum  
 &c. Neque enim gratia Christi minus liberaliter nunc, quam eo tempore, commu-  
 nicatur; neque eorum mors minus est propter Christum, quam illorum; immo quo-  
 dammodo videtur expressius, ac formalius esse propter Christum; nam, licet omnes  
 interfeciti sint in odium Christi, tamen illi priores Innocentes solum mortui sunt  
 inter querendum Christum; hi vero interficiuntur propter Fidem Christi, & ad  
 destruendam & evertendam Religionem ejus. Est ergo par omnium ratio. Eiusdem-  
 que sententiae sunt quoque Etlus in 4. sent. dist. 4. §. 21. vers. Praeterea non leve,  
 Card. Lauræa in 3. lib. sent. part. 2. disput. 20. de martyrio art. 4. num. 34. nec  
 non bon. mem. Card. Gotti tom. 2. in 3. part. tract. de Baptismo qu. 2. dub. 2. §. 1.  
 & tom. 4. part. 1. de Veritate Religionis cap. 14. §. 3. num. 15.

PONT. A. S. II. Proximum est, ut ea colligantur, quæ sacris Ecclesiæ monumentis ANNO  
 consignata reperiuntur. Percurrentes Martyrologium Romanum, reperimus V.

A. XV. Idus Januarii habitam mentionem, Antiochiæ Celsi cujusdam Pueri, qui una  
 cum Marcionilla Matre, aliisque fratribus in odium Fidei Christi fuit occisus; X755  
 pridie Idus Februarii Alexandriæ Modesti, & Ammonii Infantium; XVI. Ka-  
 lendas Julii Tharsi in Sicilia SS. Julitæ Matris, & Quirici Filii tertium æta-  
 tis suæ annum agentis; idibus Julii Alexandriæ decem Infantium: quinto Ka-  
 lendas ejusdem Mensis, Mediolani SS. Nazarii, & Celsi Pueruli; decimo sexto  
 Kalendas Septembris, Carthagine in Africa Maximi Iveri; duodecimo Kalen-  
 das Septembris, in Sardinia Cifelli, & Camerini Puerorum; decimo quin-  
 to Kalendas Octobris, Romæ Crescentii Pueri; decimo quinto Kalendas  
 ejusdem Mensis Augustoduni Flocelli infantis; idibus Novembris Paulilli Pue-  
 ri, qui in Vandalica Genferici persecutione per Africam, martyrium  
 pertulit; decimo quinto Kalendas eodem Mense, Antiochiæ Barulæ infantis;  
 octavo idus Decembris in Africa S. Majorici adolescentuli. De hoc Majorico  
 loquitur quoque Victor Videntis *lib. 5. de persecutione Vandalica tom. 8. Bibliothecæ  
 Patrum*, ubi etiam pag. 681. meminit de aliis Pueris, qui in prædicta Van-  
 dalica persecutione forti animo martyrium subierunt. *Ibi & infantuli fuere quam-  
 plurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, alie gaudentes, alie tristes,  
 alie retrahentes: alie gaudebant, se martyres peperisse; alie moliendo diluio  
 rebaptizationis nitabantur a confessione Fidei revocare. Nullum tamen tunc nec  
 blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram.*

S. 12. Pueros, quorum nomina, uti prænotavimus, in Martyrologium Ro-  
 manum sunt relata, quique inter Martyres recententur, sequuntur cæteri,  
 quorum reliquæ martyrii nota signatæ, seu, quod perinde est, cum ampulla  
 Sanguinis, in veteribus Christianorum Cæmeteriis fuerunt repertæ una cum  
 proprio cuiusque nomine, ac indicatione annorum, quibus Sancti illi Pueruli  
 pro Christo occisi sunt. Ad ipsum evincendum satis est, ut præ manibus ha-  
 beat Opus accuratissimum bon. mem. Canonici Marci Antonii Boldetti *de Cæ-  
 meteriis Sanctorum Martyrum, & veterum Christianorum* ubi pag. 344. affertur  
 inscriptio sepulcralis lapidis S. Dorotei Martyris sexto infantis ætate sublatis  
 pag. 363. similis inscriptio S. Anastasii, pag. 365. alia S. Serenillæ, quorum  
 uterque fuit primo ineuntis ætatis anno interfectus; eadem itidem pag. 365.  
 epitaphium exscribitur S. Bonificiæ trimæ; pag. 432. alterum S. Aurelii qua-  
 drimi, nec non alia tria de tribus Infantibus quinquennibus, Decentio nimi-  
 rum pag. 345. Tiberia pag. 363. Candida pag. 366. Demum similia monumenta  
 profert de duobus, qui sextum non exceperant ætatis annum, alterum nimi-  
 rum de Sancto Doroteo pag. 372., alterum de S. Dionigia pag. 381. Idemque  
 Canonicus Boldetti *lib. 1. cap. 48. pag. 261.* postquam scite prænotaverat, non  
 solum Bethleemiticos Innocentes, sed & cæteros quoque, qui successivo tem-  
 pore pro Christi Fidei mortem perpeffi sunt, ut Infantes, dignos esse, quibus  
 Martyrum cultus exhibeatur, subdit, severitibus persecutionibus, ubique ter-  
 rarum, præsertim vero Romæ, Idolorum Cultores, ipsos quoque Pueros in  
 odium Fidei Christi interemisse: *in pueris quoque virtus major ætate annos suos  
 confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri Beatum gregem & sexus, & ætas  
 omnis ornaret: sunt Sancti Cypriani verba in Epistola 77. ad Nemesianum Balu-  
 cianæ editionis. Loquens autem de Christi fidelibus Romæ degentibus, inquit  
 Minutius Felix in Octavio, tom. 3. Bibliothecæ Patrum: Pueri, & Muliercula  
 nostræ cruce, tormenta, feras, & omnes suppliciorum terribulas, inspirata pa-  
 tientia doloris illudunt.*

S. 13. His consonis sunt Ecclesiæ Annales, aliaque Ecclesiastica monumen-  
 ta: sub Decio, aut Valeriano, celebre fuit martyrium S. Cirilli primioris æta-  
 tis, Pueri, cujus acta referuntur a Bolandistis *tom. 7. Maii ad diem 29. & a  
 Ruinart. in Actis Martyrum editionis Amstelodami pag. 246.* In Annalibus Car-  
 dinalis

CONT. dinalis Baronii ad annum Christi 311. num. 16. fit mentio de duobus Fratribus ANNO  
 A. XV. binde dicta fuit *Martyrium Infantium*; & ad annum Christi 522. pag. 57. & seq. 1755  
 exscripta sunt acta martirii ejusdem Mulieris ejusque Filii quintum etatis annum prætergressi. Apud Bolland. ad diem 24 Martii, præter ea, quæ de Beato Simone Puerio Tridentino superius commemoravimus, narratur in Diocesi Colonienſi coli Joanettum quemdam Puerum, in odium Fidei ab Hebræis occisum: Baillet ad eandem diem 24 Martii, inquit, Parisiſi coli tamquam martyrem Riccardum quemdam Puerum; alterumque itidem Puerum Vilelmum nomine, in odium Fidei ab Hebræis interemptum in Anglia fuiſſe cultum. Tomo autem 18. operum P. Theophili Rainaudi, & nominatim in eo Opere, quod inſcriptum eſt de *Martyrio per peſtem*, part. 2. cap. 2. num. 7. legitur, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis etate, in odium Chriſti fuiſſe a Judæis interfectum in Oppido prope Toletum, *Guardia* dicto, Puerum quemdam trimum, eidemque cultum exhiberi, atque dici anotonomaſtice, *Innocentem a Guardia*: idque ipſum teſtatur de geminis alii Pueris bimis, in Sardinia, *Ceſtelio*, & *Camerino* nuncupatis. Insuper in præcitata Diſceptatione Apologetica de martyrio S. Simonis Tridentini pag. 242. Infantula quedam commemoratur, nomine Urfula annorum trium, quæ ad annum circiter 1442. Loncii, parva quidem, ſed vetuſta Civitate in finibus comitatus Dirolenſis Carinthiam adpoſitæ in Valle Puſteria truculentiffime fuit in Chriſti odium ab Hebræis interempta, vetuſtiorique lapidi in ſacrario loci appoſito ſubrogatus ſubinde fuit recentior anno 1609. ex vetuſtiori illo exſculptus, in quo deſcripta legitur horrendi ſceleris hiſtoria: pag. 246. & ſeq. mentio habetur de Laurentino Puerio quem Hebræi quinquennem in odium itidem Fidei Chriſti anno 1485. interfecerunt, quique ab ipſo martyrio in hæc uſque tempora, Maroſticæ, in agro Vicentino, proximisque pagis, Martyr habetur, ac colitur.

S. 14. Non id Nobis ſumimus, ut propugnemus, omnes, quorum nomina huc uſque innuimus, ea re ipſa fuiſſe etate, qua rectum a pravo, cum occiſi fuerunt, non ſecernerent, quamvis ex ipſis nonnulli *Pueri*, reliqui *Infantes* dicantur. Fatemur ingenuè, ut aliqui nuncupentur *Pueri*, ex his tamen ipſis nonnullos duodecimum, alios nonum, & alios itidem ſeptimum etatis annum impleviſſe; quemadmodum ipſi adnotavimus ad martyrium S. Babilæ, & Sociorum, in noſtro Opere de *Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 14. num. 5.* & uti etiam monetur ab emeritis viris, & in latina lingua apprime verſatis, quorum aliqui pueritiam a tertio quartove etatis anno ad decimum uſque, alii a ſeptimo ad decimum quartum producant; uti videre eſt apud Martini-um *Verb. Puer.* Alii pueritiam decimo, vel etiam decimo quinto etatis anno concludunt, quemadmodum legi poteſt penes celebrem Facciolatum *Verb. Puer.*, & inter Jurisperitos apud Gonzalez in *cap. Referentes num. 7. & ſeq.* de delictis puerorum; qua nimirum etate oportet fuiſſe Sanctum illum Cy- rillum *Kuerum*, quem ſupra commemoravimus, ſi ejuſ agendi ratio, reſponſiones ad Tyrannum, adhibitaque ab ipſo Tyranno verba expendantur. *Vidiſti, o Puer,* (inquit) *ignem; vididi, o Juvenis, gladium?* Quæ in ejuſdem actibus ſuperius indicatis legantur. Animadvertimus, plures dici *Infantes*, cum autem etie infantem, qui adhuc concepta verba proferre neſcit, ideſt non valet. *Infans ab infando dictus eſt*: inquit Nonius. Et S. Iſidorus de *originib.* ſubdit: *infans dicitur homo primæ etatis: dictus autem infans, quia adhuc ſari neſcit, ideſt loqui non poteſt.* Quæ in re contentiunt vici Latine lingua peritia inſigniores, Hoſmannus nempe, & præmemoratus Facciolati. Verum non ignoramus *Infantis* nomine ab Eccleſiaſticis Scriptoribus eos etiam fuiſſe designatos, qui eam agebant etatem, qua eloqui poterant, ac noverant. In Actis proconſulatus S. Saturnini, & Sociorum Martyrum a Surio editis, reſtatique a Cardinali Baronio ad annum Chriſti 303., habetur, a Colonie ma-  
 gistra



PONT. gisiratu captum Saturninum Presbyterum, una cum quatuor filiis, quos inter aderat Hilarianus infans, omnesque martyrium consecutos: ad verbum autem

A. XV. *Infans hæc expendit prædictus Cardinalis num. 36. Cum hic audis infantem, ne existimes, puerum hunc esse nuper natum; qui fari nesciat: nam loquendi usus erat apud Afros, ut quosque pueros infantes dicerent; ut ex Victore Uiscensi alibi diximus, qui pueros Ecclesie cantores, infantulos nominat &c. Post hæc idem Cardinalis quæstionem exhibet de ætate, quam ageret Hilarianus Infans, cum martyrium passus est. Porro quotannis esset puer hic, quem Auctor vocat Infantem, sua ipsius confessio, coram Proconsule facta inferius declarabit: Et num. 37. Verba exscribens ab infante coram Proconsule dicta, satis indicat, infantem & fari scivisse, & potuisse, eaque fuisse ætate, in qua probe animo menteque assequebatur, sibi mortem in odium Fidei Christi inferri: Hilarius adhuc supererat, sunt ipsa Actorum verba, unus de natis Presbyteri martyris Saturnini, qui ætatem suam parvulam ingenti devotione vincebat &c. Subdito brevi de corpore vox juvenilis auditur, & angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis: Christianus sum, & mea sponte, atque voluntate cum patre meo, & cum fratribus feci Collectam.*

§. 13. S. Bernardus in sermone de Innocentibus tom. i. pag. 787. ait, nonnullos Martyres esse voluntate & opere, veluti Sanctus Stephanus: habemus in Beato Stephano martyrii simul, & opus, & voluntatem; alios esse Martyres sola voluntate, cuiusmodi fuit S. Joannes Evangelista, qui post Martyrium ebullentis olei superstes, in pace quievit, habemus solam voluntatem in Beato Joanne: & quosdam Martyres haberi solo opere, ex eo nimirum, quod pro Christi Fide mortem obierint: solum in Beatis Innocentibus opus. In classe Martyrum operis, & voluntatis redigendi sunt quotquot puerilem licet ætatem agentes, noverunt tamen sibi pro Christi Fide moriendum, volueruntque pro ea occumbere, Deo optimo efficacibus gratiæ suæ auxiliis ætatem antevertente. Hunc gratiæ triumphum innuit S. Ambrosius, cum in suo lib. i. de Virginibus cap. 2. loquitur de martyrio S. Agnetis: hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati: immo magna vis Fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate; & paulo infra: Magisterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis. Paulo supra martyrium commemoravimus Matris, ejusque filii a Cardinale Baronio relatum ad annum Christi 522. num. 57. & seq. nunc autem opportune subditur, valuisse Puerum, & si haud quinquennio majorem, blandimentis Tyranni obistere, qui postquam Matrem comburi iusserat, filium cupiebat poena eximere, modo a Christi Fide defecisset; vero cum effervescente concertatione, a suo se custode abstripuisset puer, ex supremo peculiari impulsu profiliit in flammam, inter quas perierat Mater, quemadmodum nosse licet ex universa facti serie descripta in Actis a Cardinali Baronio relatis, in quibus dum pueri describitur indoles, instructus dicitur prudentia, quæ ætatem longe præstaret. De his Martyribus non est nobis sermo; de tertia loquimur classe Martyrum, qui solo opere martyres sunt, ut verbis utamur S. Bernardi damusque libenter, ex iis multos reperiri inter eos, quos supra commemoravimus; occurrunt quippe nonnulli, de quibus, vel adnotatus annorum numerus, quo martyrium subje-runt, vel integer historiæ complexus omnem adimunt occasionem disceptandi, novam sentu verbum Puer, alterumque Infans, sint accipienda. Cum in Sacro Textu apud Matthæum cap. 2. ætas puerorum, quos Herodes in Bethleem ejusque finibus iussit occidi, adnotetur = a bimatu, & infra = inde demonstratur percipere interfectos pueros Martyres fuisse solo opere; pugnant quippe cum verisimilitudine, & cum ipsa litera textus, sententia, quam Jansenius quoque in Evangelia cap. 11. improbavit, asserentium, verba illa = a bimatu, & infra solo opere = haud ita accipi oportere, quasi adhibita ad circum-scribendam ætatem Infantium intersectorum, sed ad innuendum, primum qui-

PENT. dem occisos fuisse infantes biennee, vel biennio minores, quamvis subinde ne- ANNO  
cati fuerint illi qui erant grandiores.

A. XV. §. 16. Nihil defestentes a statuta methodo, proximum est, ut de cultu dif- 1755  
feramus, qui juxta Ecclesiæ disciplinam exhibitus fuit, nunquam exhibetur In-  
fantibus, quibus in odium Christi mors fuit illata, quique Martyres sunt *solo*  
*opere*; propterea quod mortem ipsam ea ætate sint perpessi, qua potes non  
erant bonum a malo secernere; nec adhuc advenerat *tempus intelligentiæ*, quo  
*Dei mandata cognoscimus ut perveniamus ad vitam*, ut loquitur S. Hieronymus  
in *Epistola 121. ad Alagasiam qu. 8.* victoriamque obtinuerunt vel antequam,  
quid vicisse sit, nosse potuerint; juxta phrasim, qua utitur S. Ambrosius, dis-  
ferens de Infantibus Bethleemiticis *lib. 1. de Officiis Ministrorum cap. 41. n. 213.*  
*Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriæ acceperunt, quam sensum na-*  
*turæ.* Utque res clarior evadat, in nonnullas classes eosdem distribuimus.

§. 17. Prima classis iis constat, qui a remotioribus usque sæculis cultum ob-  
tinent in tota Ecclesia universalem; de his quippe licet asserere, Sanctorum  
albo eos esse adscriptos per eam Canonizationis speciem, quæ tum adesse in-  
telligebatur, cum cultus aliqua in Diœcesi institutus, ex ea in aliam Diœcesim,  
& ita subinde in universam Ecclesiam protendebatur: qua quidem in re,  
Ecclesiastica semper accedebat auctoritas, Episcoporum nimirum, & Romani  
Pontificis. Episcoporum quidem, dum cultus ex altera in alteram Diœcesim  
ipsis consentientibus derivabat: Romani autem Pontifices, vel quia a particu-  
laribus Locorum Episcopis sæpe transmittabantur Acta, ut eadem ipse expen-  
deret, atque probaret; vel quia, cum perspectum haberet, nec improbaret  
cultum jam institutum, ac sensim longe lateque manantem hoc ipso eum pro-  
bare videbatur; veluti videre est in *Nostro lib. 1. de Canonizatione Sanctor. cap. 6.*  
& nominatim *num. 9.*

§. 18. In hanc autem primam classem Nos Bethleemiticos Innocentes referi-  
mus, quorum cultus jam inde a primis sæculis in universa Ecclesia obtinuit,  
quemadmodum demonstrat Cardinalis Baronius in *Notis ad Martyrologium Ro-*  
*manum*, & uti etiam fateri cogitur Severus Censor Baillet, qui in *historia*  
*Cultus horum SS. Innocentium §. 2.* quamvis neget festum ipsorum diem ante  
sæculum nonum fuisse universim servatum, fatetur tamen, cultum erga eos in  
universa Ecclesia jam inde a primis sæculis inolevisse, quandoquidem & ipse  
S. Augustinus scripserat *lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. num. 67.* *Non frustra*  
*etiam infantes illos, qui, cum Dominus noster Jesus Christus necandus ab Herode*  
*quereretur, occisi sunt, in honorem martyrum recepto commendat Ecclesia:* Quod  
etiam colligitur ex *lib. 10. de Genesi ad literam cap. 22. num. 39.* Prior hæc Classis  
multa sane esset ac frequens, si Græcorum firma esset assertio, qui in suis  
Menæis volunt, Infantes jussu Herodis in Bethleem necatos, numerum qua-  
tuordecim millium implevisse: *Commemoratio SS. Infantium, qui ab Herode oc-*  
*cisi fuerant, quorum numerus quatuordecim millia;* qua in re consentiunt quoque  
Moichi in *suis sacris Ephemeridibus*, & Æthiopes in *sua Liturgia.* At Nos hu-  
jusmodi assertioni minime assentiri Nos posse ducimus: cum leperimus, quid-  
quid contra scripsere Papebrochius *tom. 1. Actum Sanctorum Maii pag. 57.* Ti-  
lement. in *Monumentis Ecclesiasticis tom. 5. pag. 432. not. 13.* Cluier. in *Commen-*  
*tariis ad Evangelium S. Matthæi:* Serry in *suis Exeritationibus*, & novissime  
eruditus P. Casus, Innocens Anfaldi in egregia sua Disceptatione, seu *Vindi-*  
*cis Infanticii Herodis, Brixæ sub annum 1746. impressis, ubi eos refutans,*  
qui assentiunt facti veritatem indubium revocare, ex ea levissima ratione,  
quod nihil de eo habet Joseph Hebræus, non prætermisit omnia colligere,  
quæcumque a cæteris uspiam allata suere adversus præfata Græcorum assertio-  
nem. Sæpeque Nobis erit asseruisse, Infantes in Bethleem ejusque finibus fuisse  
jussu Herode occisos, eosdemque non solum martyres extitisse, sed cum  
insuper in universa Ecclesia cultum sint consecuti, quemadmodum supra adno-

PONT. tavimus, Canonizatos haberi debere, ideoque pertinere ad primam Classem, ANNO  
 de qua nunc Nobis est sermo, quam quidem in classem libente recensebimus  
 A. XV. alium quemcumque infantem, cui demonstretur in universa Ecclesia a primis 1755  
 usque sæculis, cultum veluti martyri fuisse exhibitum, eo plane modo, quo  
 fuit exhibitus, & nunc quoque temporis Bethleemiticis Infantibus exhibetur.

§. 19. Altera Classis ex his constituitur Infantibus in odium Fidei Christianæ interfecis, qui a tempore hominum memoriam antevertente publicum sibi in aliqua Civitate, vel Diœcesi vindicant cultum, scientibus, & ferentibus, quin & quandoque nominatim etiam adprobantibus Ordinariis. Secundæ huic Classi possunt accenseri plures, quorum, uti prænotavimus, in Ecclesiæ annalibus, ac Monumentis fit mentio, & nonnulli etiam ex iis, quorum nomina sunt in Martyrologium Romanum relata. In eadem ipsa Classe locum statuendus erit Beato illi Infanti Joanetto, duobusque Pueris Riccardo, & Gullielmo, & præter reliquos Beato etiam Laurentino, de cujus vetustissimi cultus antiquitate, extat Episcopalis Patavinæ Curix testimonium impressum in præcitata Dissertatione Apologetica de Martyrio S. Simonis Tridentini pag. 253. his verbis compositum. *Il culto religioso verso cotesto Santo Fanciullo si è mantenuto sempre invariabile nel lungo corso d'anni dugento sessanta dal suo martirio sino al presente, così in Maroslica, come ne luoghi vicini, informati dal di lui sacrificio alla rabbia Giudaica. Nelle urgenze si private, e si pubbliche di questi popoli, si ricorre a Dio Signore col mezzo del di lui credito, scoprendosi in tal occasione l'Arca del suo sacro deposito, per sempre più inferocare i suppli-canti.* De his itaque deferendo, qui præfata immemorabili possessione publici cultu fruuntur, asseri jure non potest, eosdem Sanctæ Sedis judicio, & auctoritate Beatificatos fuisse, dum ponitur, ipsorum cultum, scientibus & probantibus tantummodo Ordinariis, obtinuisse; cumque de ipso nullus fuerit efformatus processus, vel Romam ad Romanum Pontificem missus fuerit ejus auctoritate approbandus: multo minus dici merentur Canonizati, tum quia illorum cultus ad universam non pretenditur Ecclesiam, tum quia desideratur supremum Romani Pontificis judicium, & Canonizationem omnino necessariam. Illud tamen de præfatis Pueris affirmare licet, quod quum Urbanus VIII. Pontifex suis in Decretis edixerit, nolle se quicquam detrahere iis, qui centenariam ante sua Decreta possessionem publici cultus obtinuerant, nihil hinc præterea desideretur, ut ipsis debeat idem cultus iisdem in locis, in quibus centum ante id temporis annos illum continenter sunt consecuti, scientibus, & probantibus Ordinariis potiorique jure, quoties Romani quoque Pontificis scientia superaccessisset.

§. 20. Tertia denique Classis eorum est puerorum, de quibus supra meminimus, quorum atas una cum propriis eorundem nominibus, sepulcralibus lapidibus est notata; quorumque Ossa, ac Reliquiæ in Sacris Urbis Catacumbis, cum notis martyrii inventa, publico cultui proponuntur. Nemo ex severioribus Criticis non consentit, indubiam esse martyrii notam vasculum sanguine plenum, vel tinctum saltem, quod in sepulchris in Urbis Catacumbis effossis sæpe reperitur. Aringhius Mabillonius, Senator Buonarroti, Raphael Canonicus Fabrettus, Abbas Ludovicus Antonius Maratorius, Canonicus Boldetti, Canonicus Marangonius, Eques Victorius, Præfetti sacris hisce Corporibus extrahendis, huic sententiæ omnimoda confessione subscribunt: veluti deprehendere est ex Nostro Opere de Canonizatione lib. 4. part. 2. cap. 27. n. 21. ad fin. Ex pervetusta Ecclesiæ disciplina est, ut Sacra Ossa Romæ ex Cœmeteriis effossa, & cum signis sive notis martyrii adinventis, in Ecclesiis publice colenda exponantur: quemadmodum videre est ex vulgato Anastasio in Vita S. Pauli I. Pontificis octavo sæculo, ubi postquam enarravit, Pontificem hunc reperta in sacris Cœmeteriis Corpora Romam transtulisse, sacraque Ossa in varias Ecclesias distribuisse, inde pergens, paulo infra subdit, *infra Claustra*

PONT. vero ipsius Monasterii; quod in propriis paternis ædibus construxerat, Ecclesiam Anno  
 miræ pulchritudinis a fundamentis noviter construxit &c. Illicque innumerabilium  
 A.XV. Sanctorum corpora, quæ de præfatis demolitis abstulit Cœmeteriis maximo venera- 1755  
 tionis condidit affectu. Ad Sixtum usque V. Pontificem, in Basilica S. Pauli  
 Urbis celebrantur exigua quædam Ossa, quæ pia opinione, Sanctorum aliquot  
 Bethleemitorum Innocentium Ossa celebrantur, quemadmodum testatur Pan-  
 vinius in suo Opere de septem Urbis Ecclesiis pag. 96. Severanus autem eodem  
 in Tractatu translationem a Sixto V. sub annum 1586. ad Liberianam Basili-  
 cam factam describit. Et Abbas Paulus de Angelis in sua hujus ipsius Basilicæ  
 descriptione lib. 10. cap. 11. prolixam quemdam locum exscribit, ex Bulla  
 ejusdem Pontificis, in qua, verba faciens de Cappella S. Lucæ, una cum  
 alia plane conformi extructa ad limina Sacelli Prælepi Christi Domini, hæc  
 habet: sub Altari, nimirum S. Lucæ, in Arca marmorea duo Sancta Beato-  
 rum Innocentium Corpuscula a Basilica S. Pauli extra portam ostiensem nostro jus-  
 su translata, rite recondi curavimus, ut ad Christi Infantis Cunabula iidem SS.  
 Innocentes (Flores, ac primitiæ Martyrum, Deoque gratissimæ victimæ) quomad-  
 modum excubare videantur. Ad instar autem, & exemplum Reliquiarum SS.  
 Bethleemitorum Innocentium, passim ad Altaria exponuntur colendæ Reli-  
 quiaz Puerorum, qui in odium Christianæ Fidei martyrium subierunt, quo-  
 rum Ossa certis martyrii notis distincta, ex Urbis Cœmeteriis effodiuntur. In  
 Cœmeterio Gordiani, uti prædiximus, reperta fuerunt Ossa pueruli Dorotei,  
 ipso adscripto adpositoque Sanguinis vasculo; & infantis Cineres ac Ossa, una  
 cum inscriptione, Anagninam fuerunt transmissa, ut in Ecclesia SS. Cosmæ,  
 & Damiani collocarentur, quemadmodum testatur Boldetti præcitato suo Opere  
 pag. 344. ubi pag. 345. refert, in eodem Gordiani Cœmeterio inventum iuuile  
 Corpus Decentii pueri quinquenniis, una cum proprio nomine inscripto, am-  
 pullaque Sanguinis, fuisseque illud in Cappella Rosarii, intus Ecclesiam San-  
 ctæ Sabinæ, in Aventino collocatum. Nisi perspicua res esset, & quotidiano  
 usu comprobata, nullo negotio posset contexti catalogus cum pluribus exem-  
 plis, quibus horum Infantium Reliquiæ in Ecclesiis locatæ noscuntur, ve-  
 rum cum nemini incognita sit disciplina isthæc, lubenti animo a similibus  
 exemplorum collectione cessabimus, concludemusque de tertia hac classe ser-  
 monem, animadvertentes, recensitos in ea pueros publicum obtinere cultum  
 in Ecclesiis, in quibus eorum Reliquiæ conquiescunt, in id maxime consen-  
 sientem, & probante Sancta Sede, quæ firmum statuit suæ concessionis funda-  
 mentum in certis martyrii insignibus, in eorum sepulchris repertis; nec pro-  
 pterea tamen asseri posse, eosdem esse formalem Canonizationem consecutos,  
 si Canonizatio, pro ut par est, nihil aliud esse ponatur, quam sententia Ro-  
 mani Pontificis in universali Ecclesia per modum præcepti cultum tribuentis.  
 De cultu præfatis Reliquiis exhiberi solito, quamvis plerumque is sit absque  
 Officio, & Missa, differuimus ipsi in Nostro Opere de Canoniz. Sanct. lib. 4. par. 2.  
 cap. 28., ubi investæ praxis fundamenta recensuimus, & lib. 1. cap. 36. num. 3.  
 & seq. prætermissa haud fuere, quæcumque spectant ad recitandum Officium,  
 Missamque celebrandam in universa Ecclesia, quoties res sit de pueris formali,  
 vel æquipollenti Canonizatione inter Sanctos relatis.

§. 27. Postremam classem illi pueri constituunt, quibus in odium JESU  
 CHRISTI adempta est vita, quorumque cultus expetitur per formalem vel  
 æquipollentem Beatificationem; quam denique, quoties nil aliud obset, por-  
 test, ac etiam solet consequi formalis Canonizatio. Superius dictum est, Ro-  
 manos Pontifices suam auctoritatem in Canonizationibus semper interposuisse,  
 etiam tum cum de ea Canonizatione agebatur, quæ fiebat ex introducto in  
 unam Diocesim cultu, qui deinde in aliam, & postremo in universum Or-  
 hem propagabatur. Nunc vero addimus, ab Alexandro III. investam fuisse,  
 hinciterque statutam disciplinam, juxta quam solius Romani Pontificis est, in  
 pecu-

PONT. peculiari unoquoque loco, & in singulis totius Orbis Diœcesibus cultum in- ANNO  
 A. XV. dulgere, vel approbare. Hujusce Constitutionis fundamenta, rationesque de- 1755  
 prehendere ex præcitato Nostro lib. 1. cap. 10. num. 3. & seq., & ex iis, quæ ibi  
 latori calamo adducuntur, inferre licet, non solum Romani Pontificis præci-  
 pium esse, quemadmodum semper fuit, cultum in universa Ecclesia vel Mar-  
 tyribus, vel Confessoribus præcipiendo asserere, in quo, uti sæpe dictum, sita  
 est Canonizatio, verum etiam permittendo, indulgere, ut aliqua in Civitate,  
 vel Diœcesi, cæterisque definitis locis, religioso cultu honoretur aliquis Dei  
 Servus Confessione, vel Martyrio conspicuus, qua in re constituitur Beatificatio.  
 Ex hac autem postrema classe sunt duo Beati Infantes in odium Fidei interempti  
 Simon Trid. martyrium consecutus anno 1475. & Andreas Rinnensi, seu Vico  
 Rinenſi, martyrio sublatus sub annum 1452., de quo nunc egimus. Utrum-  
 que enim hac Sancta Sede, nisi formalem, æquipollentem saltem Beatificatio-  
 nem obtinuisse, affirmari potest, dum, allatis, disculſitque jam omnibus, quæ  
 erant de martyrio causa martyrii, & fama signorum ac miraculorum necessa-  
 rio perpendenda ad Officii Missæque concessionem in certis, quibusdam locis,  
 devenitum est. Et quamvis, uti superius diximus, jussu Gregorii XIII. Pon-  
 tificis, Beati Simonis nomen in Martyrologium Romanum fuerit illatum,  
 haud tamen contendi potest, eundem propterea fuisse Canonizatum; est nam-  
 que tutissimum æque ac receptissimum principium, *annunciari in Martyrologio  
 nomina & clarioris res gestas eorum, qui in eo descripti sunt, ut excitentur Fi-  
 deles ad imitationem, & etiam ad cultum; sed intacta semper permanente Ec-  
 clesiastica disciplina: itaut, si res sit de jam Canonizatis, cultus, ad quem exci-  
 tantur Fideles, sit præceptivus, universalis, & publicus; si vero agatur de Bea-  
 tificatis, sit quidem publicus, sed tantum permissus personis, & locis Indulto Bea-  
 tificationis comprehensis; sit autem permissus, sed privatus, quo ad alios, qui In-  
 dulto comprehensi non sunt: veluti ipsi hisce conceptis verbis, re mutare per-  
 pensa, investigataque praxi per Sanctam Sedem fervari solita, conclusimus in  
 Nostro Opere de Canonizatione lib. 4. part. 2. cap. 19. num. 16.*

§. 22. B. Simonis Canonizationem, quamvis Beatorum honores, longe au-  
 te Beatum Andream consecuti, nemo est qui promoveat. Instantia pro Ca-  
 nonizatione, quæ nunc urgetur, Beatum Andream respicit multo post Beati-  
 ficatum: tota autem disquisitio in eo versatur, num instantiæ aditus dari de-  
 beat; neque enim inaudita res est justis, & gravibus de causis, nisi alicujus  
 Causæ cursum, ocludique viam ad Canonizationem, etiamsi Beatificatio præ-  
 cesserit, quemadmodum perspicuum faciunt tam multæ Causæ, in quibus post-  
 quam per formalem, vel æquipollentem Beatificationem Officium & Missa con-  
 cessa fuit, nemo exitit unquam, neque deinceps erit, qui solemnem peten-  
 dam cogitet Canonizationem.

§. 23. Paucis igitur gradum facimus ad rationes, quæ non ad unam coar-  
 ctantur Beati Andream causam, sed omnes æque afficiunt causas Puerorum,  
 quos in ætate boni malive nescia, odium in Christi Eidem sustulit, quique  
 cum Martyres sint, non tamen sunt *voluntate & opere*, sed *solo opere*, ut ipsis  
 utamur verbis S. Bernardi. Videri enim cuiquam fortasse poterit, recte fa-  
 ctum, si, omnibus confluentibus conditionibus, proprius Beatorum cultus, iis  
 decernatur; at dubitabit, num congruat ulterius progredi, per modum præ-  
 ceptivæ legis cultum ampliando ad universam Ecclesiam, quod præcipuum Ca-  
 nonizationis est, quamvis etiam, nihil desideraretur eorum, quæ requirantur,  
 ut transitus fiat a Beatificatione ad Canonizationem.

§. 24. Fundamenta, quibus potest isthæc inniti dubitatio, singula subnecti-  
 mus. Primum in eo situm est, nullum fortasse in veteri Canonizationum  
 praxi, aliud offendi exemplum veræ ac propriæ Infantium Canonizationis,  
 præter illud unum Bethleemiticorum Infantium, quandoquidem cætera exem-  
 pla possunt commode ad Beatificationem referri, atque præterea certum esse,  
 extare.

PONT. extare plane nullum exemplum formalis Canonizationis, vel horum unius Puerorum, post methodum Sanctæ Sedis auctoritate investam, confirmatam, servatamque in Causis publici Cultus, qui semper quoad hosce Pueros sola fuit ANNO  
A.XV. Beatificatione conclusus. Quod autem per plura sæcula nullum offendatur exemplum, quamvis ejus inducendi non defuerit occasio, res est magni momenti, 1755  
quæque negotium jure facessat cuilibet novarum rerum minime studioso.

§. 25. Alterum ex ea est animadversione, rem totam hanc in eo verti, quod hi Pueri Martyres sint, quia pro Christo mortem subierunt. Id autem si generatim loquimur, inficiatur nemo, ideoque libenter datur, ut quoties necessaria quæque concurrant, iisdem Beatificationis cultus decernatur. At si recepta probataque est regula, non esse latam Canonizationibus sternendam viam, ne vilescant, quemadmodum & Nos adnotavimus in *Nostro lib. 1. cap. 13. n. 16.* videtur pertimescendum, ne plane hujusmodi incommodo referetur aditus, quotiescumque ad Canonizationem admittantur Pueri pro Christi Fide mortem perpenssi, ex eo tantummodo, quod Martyres sint: Docent quippe Theologi, Martyres esse & eos Pueros, qui in bello sacro, dum oppugnantur Urbes, vel ex insidiis invaduntur arces, cæsi fuerint, uti aperte docet Sotus in *4. Sent. dist. 3. quæst. unica, art. 11. §. Secunda propositio*, & eos quoque Pueros censerit Martyres tradunt, quos Christi hostes interfecerint, quamvis nondum ex materno ventre eruperint, sive superstes maneat Genitrix, sive cum iis pereat, uti videre est apud Theophilum Raynaudum *cit. tom. 18. in Opere inscripto de Martyrio per pestem p. 2. c. 2. num. 8.* & late apud Hurtandum in *resolutionibus de vero Martyrio in tract. 2. res. 20. per tot.* Quidquid autem pronuntiatur de Pueris ante usum rationis in Christi odium sublatis, protendi ad homines adultæ ætatis contenditur, qui rationis semper expertes fuerint, si & his in odium Fidei ab inimicis Christi vita adimatur, hos quippe statuunt Pueris omnino similes. Videatur Cardinalis Capisucchius in suis controversiis Theologicis, & nominatim in illa de Martyrio *quæst. 2. §. 4. in fin. Licet in pueris ante usum rationis pro Christo morientibus non adsit propria ac personalis intentio, adeß tamen intentio Ecclesiæ, quæ in illis mortem pro Christo acceptat, eosque per Martyrium Deo consecrat &c.* Quæ autem de infantibus ante usum rationis pro Christo occisis dicta sunt, etiam de amentibus, qui nunquam rationis usum habuerunt, si contingat, eos in odium Christi occidi: Sententiæ, & opiniones hæc quidem sunt, quæ si in praxim deducerentur, Canonizationem splendori plurimum possent detrudere.

§. 26. Tertium denique fundamentum statuitur in doctrina, quam cum S. Thoma tradunt cæteri quoque Theologi, nimirum, in Paradiso Martyribus esse gloriam essentialem, quæ dicitur aurea esse, & præterea eidem adjunctam sive accidentalem gloriam, quæ aureola appellatur, sitam in quodam gaudio, quo perfunduntur, dum animo conspiciunt partam sibi ex Mundo victoriam, cum pro Christo pugnantes, ultro mortem pro ipso oppetierunt; cujus quidem aureolæ non æque participes sunt pueri, qui cum Martyres fuerint, solo tamen opere fuerunt, non voluntate. Innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii sed aliquid martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo; ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem: in quantum scilicet gaudent se in obsequium Christi occisos esse; ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, & carnis integritate. Sunt hæc S. Thomæ verba in *4. sent. dist. 49. quæst. 5. art. 3. qu. 2. ad duodecimum.* Ad hæc autem Sancti Doctoris verba sic pergit Cardinalis Capisucchius præcit. loco §. 26. *Cum aureola sit præmium a Deo Beatis concessum intuitu egregiorum operum, quæ ipsi pro Deo in terris patraverunt, ac proinde sit præmium respondens operibus; evidens est, Sanctos Innocentes, & alios Parvulos pro Christo ante usum rationis occisos, aureola non gaudere martyrii. Cum vero Infantes, licet Martyres, ob mox expensam rationem, aureo-*

PONT. aureola non gaudeant martyrii, assumi id a quopiam fortasse poterit, ut tueatur, si iis in militanti Ecclesia Beatificationis cultus potest competere; haud  
 A. XV. tamen congruere, ut alter Canonizationis cultus iisdem tribuatur; quandoquidem inter Canonizationis decernendæ causas & illa recensetur, ut Canonizati  
 ANNO 1755  
 gesta omnibus per orbem Catholicis in exemplum proponantur; huiusmodi autem res gestæ in pueris pro Christo necatis desiderantur.


§. 27. Et quamvis respondere quisquam valeat nimiam inesse vim argumento, cum inde concludatur, ne Bethleemiticos quidem Infantes honorem Canonizationis promeritos, cum nec ipsi martyrii aureolam sint consecuti; videtur tamen responsio omni plane robore destituta, si animus advertatur ad eam facti speciem, in qua Bethleemiticis Infantibus vita adempta fuit, atque ad vetustissimam, constantemque observantiam Ecclesiæ, quæ eosdem tamquam Martyres semper est venerata. Et profecto, eo quod necesse sit amplecti opinionem Armacani, martyrium Bethleemiticorum Infantium ad solos circumcisos cohibentis, quod a cæteris communiter exploditur, uti videre est apud Valentiam in suo celebri tractatu *de Rebus Fidei cap. 4. de Baptismo parvulorum §. Atque hoc*; Rejestaque etiam superius allata, improbataque sententia aliorum, qui opinati sunt acceleratam fuisse Bethleemiticis Infantibus rationis usum; quod aperte improbatur a D. Thoma 2. 2. qu. 124. art. 1. ad primum; replicari posse videtur Martyres esse Bethleemiticos Infantes, & horum instar Martyres esse cæteros etiam, qui antequam eis affulgeat ratio, pro Christo intereunt; at cum illis faveat consensus, atque doctrina Patrum, & perpetua Ecclesiæ traditio, his vero sola, licet ceteroquin spectabilis Theologorum opinio haud mirum videri debere, si primis aliquid amplius supra secundos tribuatur. Videatur Vasquez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. disput. 153. qu. 68. c. 7. ubi, postquam firmaverat, Bethleemiticos esse vere Martyres, & Martyres quoque esse cæteros pueros pro Christo occisos, ita subdit: Porro, quamvis non tam certum sit, quod diximus de aliis Infantibus pro Christo occisis, quam de illis, qui hac de causa ab Herode interfecti sunt, quia pro interfectis ab Herode, Ecclesiæ traditionem, & Doctrinam Patrum plenior habemus, nihilominus indubitatum apud nos esse debet) id tamen ita certum habendum, ut nisi definitioni Ecclesiæ, communi certe quidem Theologorum opinioni innitatur) eandem rationem esse de omnibus, qui post adventum Christi propter ipsum occisi sunt.

§. 28. Eoque magis, quia quæ nunc proponitur quæstio, non ea est, si res recte expendatur, an pueri post Christum natum ab ejus hostibus interempti canonizari possint; verum an id fieri expediat; his autem terminis conclusa quæstione, non magnopere adlaborandum, ut intelligatur quantum intercedat discriminis inter Bethleemiticos Infantes, & cæteros omnes, qui post ipsos pro Christo intereunt.

§. 29. Quæcunque hætenus persecuti sumus videri quoque possunt in Nostro lib. 1. de Canoniz. cap. 14. & lib. 3. cap. 15. num. 2. & seq. Superest modo, ut expendantur omnia, an cognoscatur, an deceat, ut Causæ Beati Andræ permitendus sit ad ulteriora progressus, an vero conducibilis sit, ut cum servet statum, quem nunc lubet, quique idem plane est cum eo, in quo Causa Beati Simonis conquiescit. Et quia impossibile haud est alias huic similes excitari instantias, sollicitudinis Tuxæ partes erunt, prudentisque consilii cæterorum, quos ipsi ad id designabimus, indicare, quæ ineunda ratio, cum se huiusmodi obtulerit casus, qui plerumque proponi consuevit, de puero aliquo majori hebdomada ab Hebræis in contumeliam Christi necato; tales namque sunt B. Simonis & Andræ, nec non bene multorum ex iis, quos Auctores commemorant puerorum neces. Videri enim cuiquam fortasse poterit, quoties placeret causis interemptorum huiusmodi Infantium patere aditum, oportere, hæc neces fuisse clamosas, populo cognitatas, ab omnibus damnatas, atque a Magistratibus vindicatas, prætereaque etiam optimum esse, quandoquidem res est

PONT. est de Martyribus *non voluntate & opere, sed solo opere*, signorum & miracu- ANNO  
 A.XV. lorum numerum definire, ac requirere majore constituto ad formalem Canoni-  
 zationem obtinendam. Literas hæc nostras, Apostolicam tibi, Dilecte Fili, 1755  
 Benedictionem impertientes, absolvimus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xxii. Februarii MDCCLV.  
 Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.



## N U M. XCI.

PONT.

ANNO

## A D I N C E N D I U M C O M P E S C E N D U M

A.XV.

1755

Ad Ecclesiam S. Nicolai in Carcere exortum, minus rite allatam fuisse ex  
 Ecclesia Sacram Pyxidem Sanctissimum Sacramentum intercludentem, eaque  
 super populum, & ad furentes flammæ benedictum, rationibus, pluribus-  
 que allatis Ecclesiasticis functionibus, demonstratur; & ne tale quid exinde  
 fiat opportune sancitur.

*Venerabilis Fratri Nostro, Fr. Joanni Antonio Episcopo Tusculano S. R. E.  
 Cardinali Guadagni nuncupato, nostro in Urbe, ejusque districto  
 Vicario Generali.*

## B E N E D I C T U S P P. X I V .

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

CUM, ut recte nosse, proximo superiore mense Aprilis invasisset ignis  
 supelleciles, ac merces quasdam asservatas in parvis quibusdam domi-  
 bus sitis in Foro Montium dicto, Parochialis districtu S. Nicolai in  
 Carcere; cumque continuo, quod satis superque fieri assolet in magnum ex-  
 crevisset incendium, memoratæ Parochialis, insimul Collegiatæ Ecclesiæ, Can-  
 onici suum existimarunt, hortari populum ad Dei implorandam opem, ut  
 pro sua misericordia maximum impendens detrimentum avertere dignaretur,  
 cujus vehemens suberat timor, quoties extinctum incendium non fuisset.

§. 2. Ad congregandum populum initum fuit consilium, ut circumiens Mini-  
 ster tintinnabulum pulsaret ad eum plane modum, quo cogi multitudo solet,  
 ut Sanctissimum Sacramentum ad Ægrum aliquem deferendum comitetur. Cum-  
 que ita contigisset, & Ecclesia populo completeretur, ante Aram Beatissimæ  
 Virginis dicatam, multa quidem Religione recitatum fuit elata voce Rosa-  
 rium, atque etiam in ejusdem Sanctissimæ Virginis honorem cantatæ fuerunt  
 Litaniz. Ad hæc Sacerdos pio æque ac ferventi sermone interessentes excita-  
 vit ad Dei placandam indignationem, implorata sibi ex animo de patris  
 criminibus venia, & quantum quidem relatum est, insonuit Templum clamoribus  
 illorum, qui sibi a divina misericordia multis gemitibus & lacrymis pa-  
 tratorum criminum veniam precabantur.

§. 3. Si nihil fuisset præterea gestum, nil quoque fuisset, quod obiceretur,  
 & nemo piam agendi rationem in memorato luctuoso case servatam non lau-  
 dasset. At cum ex religioso, sanctoque studio adaugendæ devotionis populi,  
 enixisque ejusdem votis satisfaciendi, opportunum quin & congruum visum  
 fuerit præcipere, ut referato Tabernaculo, in quo Sacra Pyxis custoditur,  
 eadem super populo & ad incendium benediceretur.

§. 4. Cumque is, qui Parochi vice fungitur, data sibi iussa perficiens, sa-  
 cris indutus vestibus, accepta Sacra Pyxide, in qua erat adorandum Sacra-  
 mentum, ab Ecclesia processerit, satis congruo ministrorum numero stipula-  
 tus,



PONT. tus, mediæque in via consistens, unde ignis erat conspicuus, Byxide humerali ANNO  
 velo obiecta non solum coactæ immensæ multitudini, sed & regionem voraci  
 A.XV. igne vastatam benedixerit; hoc plane illud est, unde sermones varii exorti sunt; 1755  
 quibusdam factum ipsum commendantibus; consentibus aliis, in ea facti specie  
 secus rem transigi non potuisse, ne populi frigeret devotio, neve offende-  
 rentur pusilli, sibi, cohibendoque igni benedictionem vehementissime expo-  
 nantes; aliis denique contra assertum novum incongruumque ritum in clama-  
 tionibus.

§. 5. Et quamvis Fraternitas Tua inter has disputationes non aliam prout  
 assoles, iniveris rationem, quam quæ Christianæ prudentiæ omnino congrue-  
 rit, hancque ipsam probaverimus. Ipsi & nunc quoque, ut mox constabit,  
 probemus; nobis tamen videtur facere non posse, quin ea, quæ Ipsi hac de  
 re expendimus, ac notavimus, perspecta tibi reddamus hisce nostris literis,  
 quas mandamus, in futurorum temporum normam, apud Acta tabularii tui  
 asservari.

§. 6. Quicumque ea, quæ gesta sunt probanda sibi, ac defendenda suscipiens  
 assereret, nihil plane in eo præstitum, quod cultui SS. Eucharistiæ debito non  
 congruerit, & perdifficile esse per integram rei gestæ seriem, quidquam offen-  
 dere ex intrinseca ratione improbandum, immo vero facile reperiri posse, quod  
 pietatem, & devotionem sapiat, aliaque afferat spiritualia commoda, multa is  
 quidem diceret, suamque assertionem firmare posset iis, quæ adnotat Theo-  
 philus Raynaudus *tonz. 15. suorum Operum pag. 83. col. 1.* ubi loquens de Sacra-  
 menti expositione fieri solita, cum aliquod imminet infortunium, ita scite rem  
 expendit: *Est modus aptissimus promovendi populum, ac excitandi ad pietatem  
 necessitati congruentem, verbi gratia, si ingruat pestis, ac incursum hostium aut  
 aerearum tempestatum malignitas, nihil enim habet Ecclesia aptius ad plebem Fi-  
 delium excitandam, & sensu pietatis Deo placatum afficiendam, quam sacrum spe-  
 ctaculum Corporis Christi propalam exhibiti, & objectum ejus, in quo est salus,  
 vita, & resurrectio nostra.* Sed non satis ea essent: Ritus quippe, de quo est  
 quæstio, multa habet adnexa inferius a nobis expendenda, ex quibus seposita  
 pietate actus, jure meritoque potest Ecclesia eum non probare, neque enim  
 illa hac in re intrinsecam tantummodo ejusdem bonitatem spectat, sed & alia,  
 quæ vel neglecta, vel non prævisa, facile possunt confusiones inducere ac per-  
 turbationes.

§. 7. Si quis autem, ut sibi tuta unoque veluti ista salva res esset, Eccle-  
 siasticas proferret historias, exempla præsto essent opinioni suæ valde accom-  
 moda, in Chronica Albigenisum Episcoporum, atque Abbatum Castræ, apud  
 Thiers in Tractatu de Expositione SS. Eucharistiæ Sacramenti 2. par. impressionis  
 Parisiensis anni 1677. lib. 5. cap. 12. legitur, sub Abbate Geraldo qui vixit ad  
 annum 1090. incendium a fulmine excitatum, fuisse hoc pacto extinctum.

*Jamque Monasterium furibunda incendia volvit,  
 Cum, Christi oblato Corpore, flamma cadit.*

Celebre est S. Bernardi factum relatam in ejus, vita, quam scribere instituit  
 Abbas Guillelmus a S. Theodorico, absolvitque Abbas Hernaldus a Bonavalle,  
 veteri amicitia cum Sancto conjunctus. Adstabat ad Ecclesiæ januam VVillem-  
 mus Aquitanix Dux, intus ob Excommunicationem non ingrediens. Vir San-  
 ctus interea Sacrum faciebat: cumque consecrasset, ante consummationem, im-  
 posito Patena Divino Sacramento, & ad Ducem accedens ipsum eo ferventis  
 animi affectu est allocutus, ut eundem ad insignem pœnitentiam adduxerit,  
 & ad novum vitæ institutum, unde porro in Beatorum album, quicquid in  
 Ecclesia obtinet, recenferi promeruit, uti videre est in Martyrologio Romano  
 quarto Idus Februarii. Gesta res descripta legitur in præindicata antiqua Vita

PONT. S. Bernardi, & perbellè retexitur a duobus recentioribus ejusdem Vitæ Scri- ANNO  
ptoribus, a Magagnotio nempe *lib. 2. cap. 6. num. 38.* & a Petrina in *Historia*  
A.XV. *Chronologica lib. 4. tom. 1. num. 371. & seq.* Celebre quoque sese prodit factum 1755  
S. Claræ, quæ, ut Monasterium suum, universamque Assisensem Urbem ser-  
varet a direptione, ac stragibus Saracenorum, jam jam impia consilia exe-  
quentium, ad Monasterii januam afferri curavit Tabernaculum Sacramentum  
intercludens: Christique vix objecto corpore, Saracenorum nonnulli obcæcati,  
reliqui præcipites effugere. Rem narrat S. Antoninus in *suis Historiis tit. 24.*  
*cap. 6. §. 3.* Resumitur eadem a Bollandistis *tom. 2. mensis Augusti pridie Idus pag.*  
*759. num. 21.* & a Pagio in *Vita Alexandri IV. num. 15.* Ejusdem fere temporis  
cum S. Claræ factò, est & aliud relatum a Roderico Granatensi *part. 2. expla-*  
*nationis Symboli cap. 27. §. 7.* secutum anno 1230. in Regno Valentix, dum bel-  
lum gereretur in Mauros: de horum quippe exercitu tum Christifideles insignem  
retulere victoriam, cum pius Sacerdos gestans Pannum lineum conse-  
cratis Particulis plenum, prodiit in omnium conspectum, Deum exorans, ut  
nostris præsto esset, eoque pacto est eisdem hortatus ad instaurandum certa-  
men, quod porro insignis victoria est consecuta. Meminimus & ipsi eorum,  
quæ in minoribus, agentesque Promotorem Fidei, legimus in Actis collectis  
super Virtutibus Beati Petri Fourerii, ad quem cum delatum fuisset, publica  
in Caupona quosdam sacrilegis verbis Divinum Nomen violare, ad Sacrum  
Tabernaculum advolavit, arreptamque Sacram Pyxidem, secum detulit ad Cau-  
ponem, cumque Sacratum Pignus manu ostentans, immane facinus sceleris pa-  
tescisset atque exprolasset, eisdem ad pœnitentiam adduxit. At hæc, hisque  
similia exempla ex peculiari divino spiritu impulsuque processisse, demonst-  
ratum est non solum ex secundo eventu, sed & ex peculiaribus, hæc agentium  
virtutibus. Ea itaque sunt hæc exempla quæ miremur, hæc autem imitemur,  
nec quidquam exinde inferri potest pro iis, qui debent se ad legum normam  
componere: quemadmodum a Nobis quoque fuit generaliter demonstratum in  
nostro Opere *de Canonizatione Sanct. lib. 3. cap. 41. & præcipue num. 20.*

§. 8. In hanc Classem referri & illud potest, quod legitur in *Natali 10.* quod  
S. Paulini Nolani opus est, ubi narrat, ingens incendium fuisse extinctum ob-  
jecto tantum ad flammam Sanctæ Crucis frustulo.

*Vicerat ignis aquam, nos ligno vincimus ignem,  
Quamque aqua non potuit, vicit brevis hastula flammam.*

Et quoties ex classe horum similiumque exemplorum, quæ peculiari Divino  
afflatu non immerito tribuuntur, ad alios progredi quis vellet eventus, alla-  
tam Divini impulsus exceptionem hæc ita facile recipientes, veluti ad id, quod  
sub annum 1647. contigit fertur Halæ Tyrolis, ubi cum Sacerdos Venerabili  
Eucharistia adhibita ingenti incendio benedixisset, restitit ignis; vel ad illud,  
quod anno 1734. sive alio veriori tempore, hic Romæ gestum est, tunc, quan-  
do publica solemnique pompa fuit Sacramentum ab Ecclesia delatum ad incen-  
dii locum, eoque impetrata benedictio; qui his uteretur exemplis, hæc valde  
proficeret, tum quia primum ex recensitis factis assertur a Gobato in *sua Theo-*  
*logia experimentalis tract. 4. cas. 21. sect. 1. num. 373.* qui tamen illud non probat,  
sed tantum nuncupat felix ab exitu: *Factum felix ab exitu*; tum quia unum,  
vel plura adhuc facta hujusmodi, aut incognita, aut a Superioribus dissimula-  
ta, hæc tanti sunt, quibus jure recens aliqua disciplina, novusque ritus  
innitatur.

§. 9. Sicuti prænotatum est, superius allata argumenta, ad ritum, de quo  
sermo est, vindicandum infirma sunt, leviorisque momenti, sed ejusdem sur-  
suris sunt alia quædam, quæ in Ritum ipsum objectantur, atque extolluntur.  
Ajunt nonnulli Eucharistix Sacramentum a Christo fuisse institutum, ut eo  
vesce-

PONT. vellecerentur, quod quidem indubium est: at satis deprehendi non potest, quo ANNO modo ex hoc antecedenti inferri liceat, haud decere illud in Supplicationibus A.XV. deferre, Deumque, qui sub Sacramenti speciebus adest, deprecari, ut a gra- 1755 vibus nos quandoque obsidentibus periculis præstet incolumes. Neque enim ideo minus est adorandum, sunt concepta verba Concilii Tridentini, de hoc Divino Sacramento loquentis, *sess. 23. cap. 5: quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in Orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procedentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur: Exindeque Tridentini Patres commendare pergunt pias Supplicationes in Festo Corporis Christi haberi solitas, religiosasque actiones comitantium adorandum Sacramentum, dum ad Ægrotos affertur, ut videre est cap. 5. & cap. 6. & can. 6. cit. sess. 13: Christus Dominus qua homo, vel nunc in gloriæ statu, Deum Patrem pro nobis rogat: Christus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis: legitur in Epistola ad Romanos 8. Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum: subditur in Epistola prima S. Joannis cap. 2. sive porro hoc præstet, petens expresse a Deo, ut nobis proficua concedat, sive implicite suam exhibens humanitatem, veluti Hostiam jam ipsi in Cruce oblatam, ut Deus in eam respiciens, quæ utilia nobis possunt evadere, largiatur, veluti differunt nostri Theologi, qui licet in explicacione tradenda discrepent inter se, dum alii primæ subscribunt, alii secundæ sententiæ: consentiunt tamen omnes quoad dogma, insinuatantes: neque Ecclesiam, neque Fideles solere absolute ad Christum confugere, ut ipse pro nobis oret, sed ut nostra velit exaudire vota, ne videantur, cum Arii, & Nestorii erroribus consentire, qui tueri audebant, ipsam Christi personam, ad quam vota diriguntur nostra, esse creatam, & divina inferiorem. Cum autem nostras preces audiat Christus, quoties id promerentur, cumque idem Christus vere Deus & Homo, vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus Eucharistici panis contineatur, omnino nunquam affirmari poterit, non posse nos supplices ad ipsum confugere, ut incendium extingui deprecemur, ex eo tantum quod Sacramentum fuerit in nostrum cibum institutum; sed erit tantummodo asserendum, non licere ita ad illum confugere, ut Sacramentum educatur e Tabernaculo, afferatur ad ignem, atque ad incendium benedicatur, ob qualitatem Ritus, quoties firma desint ad eum vindicandum argumenta.*

§. 10. Alii ulterius progrediuntur, asserentesque non posse ream creatam irrationalem Dei nomine adjurari, autumant, hoc unum posse valide obstitere ritui benedicendi incendi cum Eucharistiæ Sacramento: sed infirmum omnino videtur hoc argumentum. Creatura res experta rationis, si ipsa per se attendatur, cum non intelligat, talis non est, quæ adjurari possit; capax tamen evadit, quæ exorcismis Ecclesiæ subjiciatur, si veluti ab aliis acta impiciatur; ex quo consequitur, posse orationes nostras ad Deum intendi, ut eam nobis nocere prohibeat, etiamsi a Dæmone in nostrum damnum, detrimentumque ageretur. Est hæc S. Thomæ Doctrina 2. 2. qu. 90. art. 3. Verum eadem nil profecto opus est in hac facti specie, in qua dum adhibita Pyxide benedicatur incendio, nulli unquam intermixti sunt, vel intermiscuntur exorcismi. Alii ritum improbant, asserentes ipsi inesse Dei tentationem, vitium Religionis oppositum, ideoque peccatum sapiens, & grave quidem peccatum, quamvis superstitio inferius, ut fusc docet, demonstratque Sanctus Thomas 2. 2. qu. 97. art. 2. & duob; seqq. At si expressa Dei tentatio, juxta ejusdem S. Doctoris sententiam, tunc inducitur, cum quis quidquam agit ea mente, atque consilio, ut Dei scientiam, potentiam, patientiam, voluntatemve scrutetur; interpretativa autem, & implicita, quando non agit is quidem eadem concepta expressaque mente, sed tamen quidquam loquitur, vel agit, cui non alius potest esse sco-

PONT. pus, quam ut Divinæ alicujus virtutis periculum fiat, quod tunc plane con- Anno  
tingit, cum quis paratas habens usitatas, vulgaresque agendi rationes, has  
A.XV. quidem sponte omittit, seque ultro in discrimen adducit, *Sicuti tentare, est* 1755  
*experimentum sumere, seu explorare; ita Deum tentare, est velle sumere experi-*  
*mentum de aliqua ipsius perfectione, veluti an sciat, an possit, an velit quid-*  
*piam; quod tum verbis, cum factis fieri potest, idque dupliciter; uno modo ex-*  
*presse, puta cum aliquis ea intentione dicit, aut facit quidpiam, ut exploret Dei*  
*scientiam, potentiam, patientiam, aut voluntatem: altero modo implicite, seu*  
*interpretative, quando non est quidem homini formalis & expressa intentio. simile*  
*aliquid explorandi, hoc tamen dicit, aut facit, quod non potest alio ordinari,*  
*quam ad experimentum sumendum de aliqua Dei perfectione; veluti quando ali-*  
*quis humanis, & naturalibus mediis non destitutus, ea sine rationabili causa omit-*  
*tit, aut se periculo exponit: verba sunt Sylvii egregii S. Thomæ interpretis ad*  
*Art. 1. præcii. q. 96. Quomodo unquam poterit iure defendi, eum, qui Vener-*  
*abili Sacramento ad Incendium benedicit, qui Deum rogat, ut imiteros, af-*  
*flictosque ab irruente infortunio velit præstare exemptos, qui non eâ mente*  
*est, ut Divinæ potentæ sumat periculum, qui humana non spernit subsidia,*  
*sed iis undique collectis, omnia epetit, assiduas tamen Divinæ Majestati pre-*  
*ces offerens, ut quod imminet, grave malum, dignetur avertere, hunc, in-*  
*quam, gravissimi criminis expretæ, vel tacitæ Dei tentationis posse reum*  
*pronunciari?*

§ II. Alii denique arbitrantur, non esse usu recipiendam assertam piam  
consuetudinem afferendi Sacramentum Sacra Pyxide contentum, eoque bene-  
dicendi incendiis, ne forte id fiat, cum ignis divitum ædes incescit, non au-  
tem pauperum domunculas: neque inanis hic quidem est, vel sola mente con-  
ceptus timor: Thiers quippe *Præci. cap. 12.* invehitur in satis illacrymabilem  
hanc perfonarum acceptionem, veluti aliquibus in locis usu receptam. Idem  
Auctor præterea plures cumulat Synodales sanctiones, quibus severe interdici-  
tur, sacra Linthea ad incendium afferre, eaque projicere in flammam, ut extin-  
guantur, atque multo etiam magis, si ipsa sacra Hostia projiciatur in ignem,  
ea quidem spe, ita nullum restringi posse. Quidquid asserit præcitatus Au-  
ctor, persacite admittit debet: immo quoties, ad ea firmanda, quæ in ritum  
jaciendi in ignem Sacram Hostiam profert, & in irriventiam eo actu con-  
tentam, alio opus esset exemplo per ipsum non inducto, illud minime desi-  
deraretur. Etenim, quamvis in Italia, & præsertim Florentiæ, vigeret usus  
comprobandi abditam veritatem innocuo alicujus transitu per ignem, quod  
plane præstitit B. Petrus Igneus dictus, qui ut evinceret Petrum Pavesium  
Florentiæ Episcopum simoniace in Episcopatum fuisse intrusum, ideoque de-  
ponendum esse, uti re ipsa factum est, illæsus per ardentem ignem pertransiit;  
quemadmodum opportunis aliis monumentis demonstravimus *nostro lib. 3. de*  
*Canoniz. Sanct. cap. 33. num. 3.* tamen cum nonnullis exinde sæculis in eadem  
Civitate idem sumi voluerit experimentum ad fidem auctoritatemque concilian-  
dam Doctrinæ Hieronymi Savonarolæ, cumque aliqui se protulerint Paratos  
per ignem transgredi, manu gestantes Eucharistiæ Sacramentum, Eucharistiæ  
delationem non probarunt Judices, constanti judicio eam denegantes, ac irre-  
ligiosam, definientes, pravique exempli, spectatis iis factis circumstantiis, in  
quibus usurpari cupiebatur; uti videre est in vita præfati Hieronymi Savonar-  
olæ scripta a Francisco Pico *tom. 2. impressionis Parisiorum 1674. pag. 70. n. 2.*  
*additionem ad eandem vitam pag. 306.* & in Appendice ad vitam Alexandri  
VI. Pontificis exarata ab Alexandro Gordonio *tom. 2. pag. 435.* Verum in his  
omnibus nihil commune est, cum casu nostro. Qui enim ritum, de quo nunc  
agimus, ruetur, facile respondere potest, si asserat, licere omnino ipso adhi-  
bito Sacramento excitatis incendiis benedicere, nec tamen ullum fieri debere  
divitis & pauperis discrimen, neque Eucharistiam post Benedictionem in ignem  
pro-

PONT. projiciendam esse, sed immo in Tabernaculum, unde fuit educta, omni cum ANNO honore restituendam.

A. XV. §. 12. Sepositis itaque superius allatis animadversionibus, rationibusque, vel 1755 ritui faventibus vel oppositis, ut tuto liceat ad propositam metam pertingere, unica, cui insistas, tutaque via sita est in investigandis expendendisque regulis ab Ecclesia præscriptis de cultu Sanctissimæ Eucharistiæ: neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate, vel ex veræ etiam devotionis, zelique affectu, novum ritum inducere: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiasticum Pastorem mutari posse anathema sit*: verba sunt S. Tridentinæ Synodi Can. 13. sess. 7. de Sacram. in genere. Et quoties aliquem Ritum ejusmodi induci contingit, etsi nihil continentem pietati ac religioni oppositum, Apostolica Sedes eundem ipsum interdiceret non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis, nullatenus prævisis, vel neglectis ab eo, qui ritum iniecit. Ut plura prætermittamus exempla, ad rem præsentem fat. est unum illud inquirere de Sanctissimo Sacramento, olim afferri solito ad Ægrotos, qui cum exoptarent illud sumere in Viaticum, nec tamen possent deglutire, nonnulli in ipsum saltem intueri cupiebant, alii adorari ac deosculari; vetitum quippe id fuit a Sancto Pontifice Pio V. cui interdictio consonum quoque est altero adscriptum in Rituali Romano a Paulo V. Summo Pontifice divulgato, in ea parte, quæ est de *Communione Infirmorum*, ubi sermone instituto de Divino Sacramento, hæc leguntur: *Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu, ad ostendendum non deferatur*: adque non ea sane de causa, quod simplex adoratio, (quidquid sit de Sacra Historiæ osculo), quicquam haberet contrarium debito cultui, quum potius eidem esset maxime contentanea; sed ratione quarundam circumstantiarum, quas sapientes Legislatores recte adnotarunt, quasque inquit Card. de Lugo in suis *Responsis Moralibus lib. 1. dub. 11. num. 3. Merito id prohibuit*, loquitur de S. Pio V., *quia si ad privatam Ægroti consolationem, & sine spe resurrectionis Sacramentalis, tanta Salvatoris Majestas loco movenda, & per vias publicas circumferenda esset, paulatim ea Infirmorum pietas intraduceret, ut sicut Sanctorum reliquæ ad eos deferuntur, & applicantur curationis gratia, ita & ad eosdem non communicaturos, nec periculose decumbentes, deferretur Eucharistia, & applicaretur paribus læsis & dolentibus, spe impetrandæ curationis; quæ & alia similia, cultum & reverentiam debitam tantæ Majestati paulatim immiserent.*

§. 13. Annuam Ecclesia constituit Solemnitatem Corporis Christi, quæ a Tridentino Concilio dicitur Religionis nostræ adversus Hæreses Triumphum, sicuti videre est sess. 13. cap. 15. Supplicationem quoque instituit ea occasione habendam, jam inde ab Urbano IV., quemadmodum fuisse a nobis demonstratum fuit in nostro Opere de *Festis Domini*, cum de Festo Corporis Christi disseruimus. Cavet Ecclesia, ut Sacramentum ad Infirmos cum debito honore deferatur, cum ipsum suscepturi sunt in Viaticum, uti licet deprehendere ex pluribus Synodalibus sanctionibus, decretisque editis tum a Summis Pontificibus, tum & ab Episcopis quoad Dioceses suas. Amplexa est Ecclesia primum usum exponendi Venerabile Sacramentum omnibus conspicuum, utpote duobus Crystallis inclusum in Ostensorio, quod dicitur *Monstrantia*, in Statuti Concilii Colonienfis haberi sub Card. de Cusa Nicolai V. per Germaniam Legati Apost. sicuti nosse licet ex tom. 9. Collectionis Conciliorum Harduini col. 1368. lit. C., dummodo id de licentia Ordinarii, publicamque ob causam aliquam sit. Adjecit & illud Ecclesia, quod si privata tantum, non autem publica causa subest, Sacramentum exponatur; ita tamen, ut, reserato Tabernaculo, inde Sacrum Christi Corpus minime educatur, sed vel Sacra Pyxide sit inclusum, aut velo

PONT. velo obtectum ita, ut videri non possit, quemadmodum deprehenditur ex ite- ANNO  
 ratis conformibus decretis a Congregationibus Urbis, & per Summos Pontifi-  
 A. XV. ces probatis, quas omnes collegimus ipsi, cum Bononiæ essemus, in una ex 1755  
 nostris Institutionibus *Italicae editionis tom. 2.*, quæ in latinam quoque ver-  
 sionem est illata. Cogitavit Ecclesia de Benedictionibus, Venerabili Sacramen-  
 to adhibito, impertiendis, tum post publicas habitas supplicationes, tum quo-  
 ties post solemnem Expositionem, Sacramentum est in Tabernaculum restituen-  
 dum, ac denique cum sumpto per Ægrotum Viatico, reliqua in Sacra Pyxide  
 est Particula, quam Sacerdos secum ad Ecclesiam refert, veluti nosse licet ex  
 Rituali Romano *tit. De Communione Infirmorum*. Casum denique prospexit Ec-  
 clesia instantis alicujus nimbi, procellæ, alteriusve ingentis periculi, cavit-  
 que, ut si populus excitari velit ad Deum Optimum Maximum deprecandum,  
 quo ab ingrænti malo præsterit immunis, adaperiatur Tabernaculum, mini-  
 me educto Sacramento, sed ante ipsum Sacra Pyxide incultum preces religio-  
 so affectu recitentur. Hæc est methodus præscripta, a magno S. Carolo Bor-  
 romæo in sua tertia Synodo Diœcesana habita anno 1572. *Cum grandines, nimbi, turbines, & aliæ temporum procellæ imminēt, ad eas tempestates sedan-  
 das, vel, ut vocant, signandas, ne Sacerdos Vasculum, in quo Sanctissimum Chri-  
 sti Domini Corpus asservatur, adhibeat, sed Tabernaculum accensis luminibus pate-  
 faciat, ut ea nimborum vi imminente, rogationes & preces a Clero populoque  
 coram Domino religiose fiant.* Quod confirmatum noscitur in tertia Synodo Pro-  
 vinciali coacta sublequenti anno 1573. *Cum nimbi, procellæ, turbines, aut  
 grandines impendent, ne Sacerdos ad tempestatis procellam arcendam Vasculum  
 adhibeat, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur, sed Taberna-  
 culum, ubi illud in Altare reconditur, patefaciat, licet; tumque in ejus conspe-  
 ctu Litanias, aliasque religiofas preces ejus rei causa institutas pie sancteque pro-  
 nunciet.* Consonat hic Rituale Ebroicense anno 1606. a Cardinali de Perron  
 compositum. Perspicuum itaque est systema a S. Carolo Borromæo, veluti  
 ius quædam, in universa Diœcesi, Provinciaque sua stabilitum, quodque me-  
 rito pro cæteris locis haberi potest tamquam regula *in vi directiva*, cum ex  
 aliquo tempestatum, grandinumque inopinato casu, supplices ad Deum libet  
 confugere. Aperiendum namque est, uti prænotavimus, Tabernaculum, Sa-  
 cramentum intra Pyxidem relinquendum, præ fundendæ preces, ut Divinam  
 nobis opem imploremus. Si autem Sacramentum non debet a Tabernaculo  
 educi, facile intelligitur, in designatis casibus non esse illud afferendum ad  
 Ecclesiæ januam, nec cum eodem Benedictionem impertiendam.

§. 14. Loquuntur quidem mox supra allatæ auctoritates de turbinum, procellarumque casu, quin suspicari possumus, audere quemquam excipere, eas-  
 minime congruere incendiis, par omnium quippe ratio est: & quoties, ut alio-  
 rum subtilibus levibusque cavillationibus fieret satis, exquiri Synodi vellent,  
 ac Ritualia conceptis verbis loquentia de incendiis casu, sat erit manum pro-  
 tendere ad Synodum Archiepiscopi Parisiensis habitam anni 1674. *art. 7. cap. 2.*  
 in qua disertis verbis cavetur, ne Ss. Eucharistiæ Sacramentum quacunque de  
 causa unquam ad incendia afferatur, indicta in Sacerdotem, qui deliquisset,  
 suspensionis pœna, & ad Rituale Argentoratensis Ecclesiæ evulgatum a bon-  
 mem. Cardinali de Rohan, impressumque anno 1742. ubi pag. 83. sequentia  
 adnotantur verba = *Prohibitum est insuper, sermo est de Sacramento Altaris,  
 no ad extinguenda incendia deferatur, & quidem sub pœna suspensionis, a Mini-  
 stris deferentibus ipso facto incurrenda. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum  
 tuum. Qui dixit mari = usque hac venies . . . & his confringes tumentes flu-  
 vius tuos = potest & impetum ignis refrænare. Quandoque autem, sicut potens,  
 sic & justus, mala quædam permittit; & quia, num facile sit placabilis, igno-  
 ramus; vitandum illud omne, quod & quorundam Christianorum fidem infirmare  
 posset, & nostrorum honorem Mysteriorum malignis infidelium, aut hæreticorum  
 irri-*

PONT. *irrisionibus exponere.* Qui temporalia a Deo exposcit, pavoribus debet eadem ANNO  
 rogare, divinæque voluntati se omnino committere: *Quando petitis temporalia,*  
 A. XV. *cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut, si prosint, det, si scit* 1755  
*obesse, non det. Quid autem obfit, quid prosit, medicus novit, non agrotus: in-*  
*quit S. Augustinus in serm. 354. alias 53. de verbis Domini cap. 7. Cum læviunt*  
*infortunia, homines plerumque Deum, quomodo oporteret, non orant: libe-*  
*rari se petunt, nihilque præterea errant: cumque cæteroquin pietate ac de-*  
*votione erga Sacramentum Altaris exardescant, videntes educi illud e Taber-*  
*naculo post recitatas preces, afferri ad Ecclesiæ januam, eodemque adhibito per*  
*Sacerdotem benedici ad eam regionem, unde erumpunt turbines & procellæ,*  
*vel, ad eam, in qua furit incendium; implentur fiducia quadam, certa que*  
*spe ad exitum jam pertigisse calamitates suas &, si, id haud fiat sicuti ex*  
*justo Dei judicio pluries reipsa non contingit, magnum exinde subest pericu-*  
*lum, ne labefactatur vel tepescat fervens illa devotio erga Augustissimum Al-*  
*taris Sacramentum; misso interea facto altero periculo irrisionum ab incredulis.*  
*Atque hæ præfecto animadversiones fecerunt, ut a solertissimis Episcopis*  
*statuerentur, ne Pyxis e Tabernaculo educatur, ne exportetur ab Ecclesia,*  
*neve cum ea in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, ad tempestates, aut incendia*  
*benedicatur.*

§. 15. Haud absimilis est obsessorum exorcizandorum species; in Rituali si-  
 quidem permittuntur Sanctorum Reliquiæ, opportunis adhibitis cautelis, eor-  
 um capitibus pectoribusque imponi. *Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi*  
*possint, decenter ac tuto colligatæ & cooperatæ, ad pectus, vel ad caput obsessi re-*  
*verenter admoveantur.* Non tamen licet ad caput eorum, vel pectus, sacram  
 admovere Eucharistiam, ob irreverentiæ periculum. *Sanctissima vero Eucharis-*  
*tia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ*  
*periculum.* Et si in Vita S. Bernardi, in Chronicis Belgicis Molineti, & in  
 Catalogo Belgico Bernadi a Lucemburgo lit. G. haud desiderentur exempla San-  
 ctorum Virorum, qui tale quidpiam præstitere, atque ita ab obsessis Dæmo-  
 nes ejecerunt: facta enim hæc, sicut prædiximus, iis accensenda sunt exemplis,  
 quæ admiratione quidem, non vero imitatione prosequi debeas.

§. 16. Cæteris quibusque Auctoribus Joannes Baptista Thiers eruditius, do-  
 ctiusque de hac quæstione disseruit, illamque diremit juxta ea, quæ hætenus  
 dicta sunt in suo Tractatu de Sanctissimo Sacramento 2. part. cap. 12. & quidquid  
 ibi latius attulit, legitur ab ipso summam resumptum in suo Tractatu de  
*superstitionibus tom 2. cap. 13. Opus Thiers de expositione Sacramenti valde com-*  
*mendatum, probatumque fuit a pio, ac docto Cardinali Bonæ, uti nosse li-*  
*cet ex ejus Epistola 321. in tomo hoc ipso anno 1755. cuso p. 246. Laudatus*  
*Cardinalis in ea Epistola inquit, præclarum se de illo opere fecisse judicium,*  
*cum sermonem de eo habuisset cum P. Luca Dacherio, indeque subdit: Librum*  
*optimum esse, & pium. & ab omnibus viris doctis ac eruditis approbatum. Om-*  
*nes autem mirantur quod argumentum per se sterile, & hætenus intentatum, tan-*  
*ta ubertate tractaveris, ut nihil ei desit, nihil ultra desiderari possit. Audivi*  
*rumorem propter illum a quibusdam Parisiis excitatum fuisse, sed protinus sedatum,*  
*cum nihil in eo censuræ obnoxium sit. Tanti Cardinalis sententiæ ipsi subscri-*  
*bimus, sed quoad præsentem quæstionem erudite adeo discussa a Thiers, pu-*  
*tamus, deesse nonnulla, quæ nisi congrua aliqua interpretatione solvantur,*  
*concidit Thiers assumptio, atque etiam nonnihil concuti possunt, quæ hæte-*  
*nus constituta sunt.*

§. 17. Hoc maxime Thiers expendit, cum in tot Synodis actum sit ac con-  
 stitutum, quidquid agi oportet, dum aliquod tempestatis, incendiique accidit  
 infortunium, ne unam reperiri quidem suadentem, vel permittentem Benedi-  
 ctionem, Sacramento adhibito: Præterea, ex tot Ritualibus in Sacrarum Fun-  
 ctionum normam impressis, nullam penitus adinveniri consentiens ut tempesta-  
 tibus,

Font. tibus, incendiique Sacramento adhibito, benedicatur; etsi cæteroquin similia Anno non desint Ritualia, & monumenta Benedictionum, quæ, adhibitis Sanctorum A.XV. Reliquiis, vel Crucis imaginibus, impertiantur: & ex tanto omnium silentio 1755 validum elicit argumentum adversus ritum benedicendi, adhibito Sacramento, tempestatibus, incendiisque. At si forte nonnulla extarent Ritualia, quibus hoc plane suaderetur, ingens concuteretur ædificium, omniaque disrupta corruerent.

§. 18. In Sacerdotali Romano pag. 227. a tergo, sub tit. de Benedictione adversus tempestates, sequentia verba adnotata reperiuntur: Si expediens visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter Corpus Domini in Vase debito, & Ecclesia exiens, nubem in modum Crucis cum dicto Vase signet. Et in Rituali Cardinalis Sanctorii pag. 709. sub tit. de Exorcismis contra ingruentes ceræ tempestates, hæc adscripta leguntur verba: Postea; si expedire visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter & cum luminaribus Corpus Domini in Calice, aut alio Vase debito, & Ecclesia exiens, nubem in modum Crucis cum dicto Vase signet. Auctor Sacerdotalis Romani fuit P. Albertus Castellani Ordinis Prædicatorum, qui multo labore illud elucubravit, dicavitque Leoni X. Pontifici Maximo. Et antequam typis traderetur, examinatum emendatumque fuit jussu Pii IV. Pontificis, veluti cognoscere est tom. 2. Scriptorum Ordinis Prædicatorum P. Jacobi Echard pag. 48. Alterum Rituale auctorem habuit Cardinalem Sanctorium, S. Severinæ nuncupatum, teste Giacconio in ejus Vita tom. 3. pag. 1044. De hoc autem Rituali Cardinalis Sanctorii perhonorifica fit mentio in Brevi Summi Pontificis Pauli V. incipiente Apostolica Sedis, dato quarto Idus Julii 1614., impressoque ad frontem Ritualis Romani ab eodem Paulo Pontifice evulgati, in eo quippe refertur, Cardinales ad novi Ritualis editionem designatos, vetera expendisse Ritualia, præsertim vero illud, quod vir singulari pietate zelo, & doctrina, bon. mem. Julius Antonius S. R. E. Cardinalis S. Severinæ nuncupatus, longo studio, multaque industria & labore plenissimum composuerat.

§. 19. His tamen nihil facessentibus, stat Thieris assertio: præindicata quippe duo Opera publicæ auctoritatis pondere desituuntur. Nos nihil detractum volumus egregio Operi P. Alberti Castellani, sed asserimus, esse privati Auctoris Opus, nullumque extare argumentum, quo illud a Pio IV. Pontifice approbatum demonstretur. Neque id temere aut nulla ratione affirmamus. Agitur in eo Opere de Baptismi forma sub conditione, ac recenset peculiare factorum circumstantiæ, quando in hujusmodi Sacramento administrando, forma sub conditione uti licet; a Sacramento autem Pœnitentiæ universim hæc forma sub conditione rejicitur: Secus in Sacramento Pœnitentiæ, quod non licet. Theologi illi, qui in Sacramento Pœnitentiæ ministrando locum esse negant formæ sub conditione, auctoritate utuntur Sacerdotalis Romani a præfato Religioso compositi, vendicantes illud Pontificia auctoritate reprobatur. At cæteri, quibus forma sub conditione in Pœnitentiæ Sacram. probatur, fidenter respondent, neque antea factum tempore fuisse unquam demonstratum, nec demonstrari nunc posse, enunciatum Opus fuisse ab aliquo ex Summis Pontificibus approbatum, quod & ipsi expressimus in Nostro Opere de Synodo Diocesana lib. 7. cap. 15. tom. 2. & seq. novissimæ editionis Romanæ, jam jam absolutæ, & quamprimum evulgandæ. Prætermittenda nec est consideratio illa, si nimirum Opus P. Castellani approbatum fuisset a Pio IV. Pontifice, S. Carolum Borromæum Pontificis Nepotem, totoque ejus Pontificatu in Ecclesiasticis negotiis maxime versatum, haud fuisse permissurum, ut in sua Diocesana Synodo, suaque itidem in Synodo Provinciali postea coactis, statueretur, quod noscitur reipsa statutum, quodque omnimode adversatur iis, quæ in præfato Opere P. Castellani tradita leguntur.

§. 20. Hinc ad Rituale Cardinalis Sanctorii gradum facimus. Celebris Præsul Fontanini, qui paucos librorum peritia sibi parcs habuit, in appendice ad Cata-



PONT. Catalogum Librorum bon. mem. Cardinalis Imperiali, *lit. S.* hæc adnotata re- ANNO  
 liquit: *Opus rarissimum, sine principio, & sine, impressum sub Paulo V., & in-*  
 A. XV. re quidem egregii quippe hujusce operis impressa folia delitescabant in angu- 1755  
 lo Vaticanæ Bibliothecæ, quorum noticia ad Viros Sacrorum Rituum studiosos  
 delata, impetrarunt hi, ut simul colligerentur, quo eorum exemplum sibi su-  
 mere liceret. Tunc vero factum, ut multi ejusdem sibi exemplum compara-  
 verint, quod in suis Bibliothecis considerunt, cum ante id temporis pauca  
 essent, atque rariora exempla: neque enim alia eosque comperta erant exem-  
 pla, quam quæ extabant, & nunc etiam extant, unum in Bibliotheca Mona-  
 sterii S. Crucis in Hierusalem, duo autem in Bibliotheca Collegii Romani;  
 quorum alterum fuit Venerab. Cardinalis Bellarmini, alterum Præsulis Coccini  
 Rotæ Auditoris. Uti prænotatum est, asserit Præsul Fontanini Rituale Car-  
 dinalis Sanctorii principio destitui, & sine; idque omnino verum, quemadmo-  
 dum videre est in exemplis mox supra indicatis. Testatur, illud sub Paulo V.  
 impressum, at non meminit, quod illum latuerit fortasse, suppressum fuisse  
 jussu ejusdem Pontificis, dum adhuc sub prælo esset, quemadmodum ab eodem  
 præfule Coccino sua manu adnotatum legitur in præfato Rituali, in Collegio  
 Romano, uti prædictum est, asseruato: *Hoc Opus, dum adhuc sub prælo esset,*  
*suppressum fuit Romæ tempore Pauli V., ideoque caret principio, medio, & sine.*  
 Et licet in ejusdem Ritualis exemplis novissime vulgatis, ac distributis, ini-  
 tium reperitur ac finis, facile tamen deprehenditur, & initium, & finem  
 ipsis fuisse, quamvis fortasse parum considerate, superadditum, ne per manus  
 abiret malum exemplum nec caput habens nec pedes.

§. 21. Id vero comprobatur ex titulo, sive inscriptione præfatis recentibus  
 exemplaribus præposita, constat quippe his verbis: *Rituale Sacramentorum Ro-*  
*manum, Gregorii XII. Pontificis Maximi jussu editum Romæ 1584.* in quo facti  
 veritas primum desideratur, cum de imprimendo Rituali Cardinalis Sanctorii  
 edigitatum fuerit tantummodo sub Pontificatu Pauli V., uti mox supra dictum  
 est, nec cassum illud fuerit superflite Auctore, qui e vivis excessit sub annum  
 1601. Clemente VIII. Pontifice, sed ab ejusdem hæredibus sub Pontificatu  
 Pauli V. quemadmodum mox infra constabit.

§. 22. In prædictis exemplaribus & finis quoque conspicitur; pag. quippe 712.  
 hæc leguntur verba: *Ritualis Romani Finis.* Qui autem id sibi sumpsit, ut  
 extrema suppleret, mediam partem satis non inspexit, ubi non minus in ip-  
 sis, quam in cæteris quibuscumque exemplis desiderantur paginæ, quæ a pag.  
 252. ad pag. 157. subsequuntur. Verum, quanticumque sit hæc animadversio, ser-  
 monem omnem colligentes ad finem, facili negotio detegitur recens supperad-  
 ditio nonnullorum foliorum, quæ non solum ex charta & atramento evinci-  
 tur, sed ex ipso paginarum numero; postrema quippe exemplaria ad paginam  
 pertingunt 712. cum cæteroquin quoad vetera exempla, alterum nempe Car-  
 dinalis Bellarmini, & alterum in Bibliotheca S. Crucis in Hierusalem asserva-  
 tum, paginam 604. non prætergrediantur, atque etiam alterum Præsulis Coc-  
 cini pag. 708. compleatur. Ritus itaque Benedictionis cum Sanctissimo Sacra-  
 mento non nisi in postremis exemplaribus reperitur, cum legatur ipse ad pag.  
 709., & cæteroquin vetera inter exemplaria nullum paginam 708. pro-  
 grediatur.

§. 23. Ad absolutissimam noticiam eorum omnium, quæ Rituale respiciunt  
 Cardinalis Sanctorii, nil superest aliud quam inquirere causam, cur fuerit,  
 Paulo V. Pontifice, suadente Prælo suppressum. Huic autem investigationi vi-  
 dentur posse cumulate satisfacere ea ipsa, quæ caractere Venerabilis Bellar-  
 mini adnotata reperiuntur in exemplo Ritualis Cardinalis Sanctorii, quo Bellar-  
 minus utebatur, quodque, uti sæpius monuimus, extat in Bibliotheca Colle-  
 gii Romani. *Hic Liber confectus est a Cardinali Sanctæ Severinæ longo tempore,*  
*& magno labore, & si quidem sub nomine prædicti Cardinalis fuisset impressus,*

PONT. dempto illo verbo Romani ( quod verbum etsi non extaret in libri fronte , tunc ANNO non impressa ; aderat illa tamen in prima Operis pagina : *Ritualis Romani Liber primus* ) potuisset libere communicari cum omnibus : sed non placuit iis , ad 1755 quos pertinebat , ut cum nomine Romani publicaretur ; & non placuit hæredi Cardinalis , ut sine nomine Romani exiret . Ea causa est , cur hic Liber lucem non aspiciat , & imperfectus ac mutilus extet in privatis Bibliothecis .

§. 24. Est itaque Opus Cardinalis Sanctorii omni commendatione dignum , optimoque jure sibi vindicat laudes , quæ de eo , tum in adnotatione Cardinalis Bellarmini , tum & in præmemorato Brevi Pauli V. leguntur . Nosque ipsi Auctori laborem , & eruditionem sæpius admirati , non prætermisimus eo uti , debitamque laudem in nostris evulgatis Operibus ipsi tribuere . At , ex superius allatis notitiis , fieri nullo modo potest , ut ipsi vis legis concedatur , existimereturque veluti opus a Summis Pontificibus approbatum , & tamquam Rituale Romanum ; titulus enim hic solummodo convenit Rituali Pauli V. Pontificis , ad Patriarchas , Archiepiscopos , & Episcopos per ipsum directo , ut in posterum tamquam *Ecclesiæ Romanæ Filii* , ejusdem *Ecclesiæ omnium Matris* , & *Magistræ auctoritate constituto Rituali in Sacris functionibus utantur* , & in re tanti momenti , quæ *Catholica Ecclesia* , & ab ea probatus usus antiquitatis statuit , inviolate observent : uti legitur in illius Brevi anni 1614. quo Rituale Romanum confirmat , & in quo licet adnotatæ legantur præces recitandæ ad repellendam tempestatem , fiatque mentio sonitus æris campani , signi Crucis : atque asperisionis aquæ benedictæ : nullum tamen omnino sit verbum de Benedictione adhibito Sacramento impertienda .


§. 25. Denique in una libræ lance statuatur opus Cardinalis Sanctorii , quod , quancumque tandem sint reliquæ exceptiones omnes , numquam dici poterit Pontificia auctoritate roboratum , illique in novam oneris accessionem superaddatur alterum Opus Patris Castellani , numquam & ipsum approbationem illam Pontificiam consequutum ; in altera vero lance ponantur Synodi Sancti Caroli Borromæi , quamvis , illæ si vim legis consideres , in Diocesi , totaque Provincia Mediolanensi solummodo obtineant ; hæcque omnia si quispiam ponderet , conspiciet illico propendere illam Synodorum lancem , quumque , aliquo hujusmodi casu sese offerente , deliberandum erit , obstrictum se noscet , vi quidem directiva , amplecti quidquid fuit a S. Carolo præfatis in Synodis constitutum . Non indigent profecto præfata Synodi , ut quidquam illis adjiciatur , ac si quæ fieri vellet accessio , in promptu illa quidem esset , & facillime comparanda ex aliis Synodis , & Ritualibus aliarum Diocesium , in quibus ex norma in S. Caroli Synodis tradita , statutum cernitur , ut cum incendii periculum subest , aperiatur Tabernaculum , Sacramentum relinquatur obiectum , religiosa fiat precum recitatio , nec extrahatur Sacramentum , ac proinde nec cum eodem ad incendia , tempestatesque benedicatur .

§. 26. Supra allatæ sunt Synodorum , Auctorumque transalpinorum auctoritates , nunc alias superaddemus ex Italis nostris desumptas . Injuriam sibi faceret is , cui incompetere essent tum eximia virtus Præsulis Gratiani olim Amerinæ Episcopi , tum ejusdem celebris Synodus habita anno 1595. in cujus capite 109. ita legitur : *Ad arcendas pluvias , aut tempestates , procellasque , quas forte impendere videbuntur , nemo Sacerdos Pyxidem ipsam cum Sacramento offerat , sed tantum Tabernaculum , patefacto ostio , adaperiat , & in conspectu Sacramenti genibus ad terram Jatis , Lytanias , aliasque preces ejus rei causa institutas , pie sancteque cum Populo , qui aderit , aut cum Clericis , aut etiam solus , peragat ; Divinamque benignitatem , ut mala , quæ peccata nostra merentur , misericordia sua avertat , religiose precetur .* Percepta quoque est præstantia in rebus ad Ritus spectantibus Patris Bartolomæi Gavanti , qui composuit *Enchiridion* , seu *Manuale Episcoporum* ad sacras functiones rite dirigendas ; in hoc autem verbo , *Eucharistia* num. 14. hæc scripta reliquit : *Non adhibeatur contra grandinem , puta*

PONT. *in valvois Ecclesia benedicendo aerem*. Nec missum faciemus Clericatum, utcum- ANNO  
 que cæteris recentiorum, non exiguam tamen laudem consecutum; in ejus quip-  
 A. XV. *pe decis. 60. de Euchar. num. 11. hæc leguntur: At ad benedicendum aerem* 1755  
*contra grandinem prohibitum est SS. Eucharistiam exponere in valvois Ecclesia.*

§. 27. His Literis finem imponimus; tum quia aliis obruimur curis, tum &  
 & quia æstivis caloribus afficimur. Prudens nobis probatur Fraternalitatis tuæ  
 agendi ratio, dum nihil graviter egisti in pium illum Sacerdotem, qui extra  
 Januam Ecclesiæ S. Nicolai in carcere Benedictionem super Populo, & ad in-  
 cendium est impertitus; valde enim huic casui congruere nobis videntur ver-  
 ba S. Bernardi *Serm. 40. super Cantica*, ubi hæc scripta reliquit: *Etiamsi per-*  
*peram actum quid deprehendas, nec si judices proximum; magis autem excusa.*  
*Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta*  
*casum.* Verum cum haud justum æquumve sit, ut, quæ sunt minus recte gesta,  
 conniventia invaleant, iteratisque actibus quamdam veluti legitimæ spectabi-  
 lisque consuetudinis speciem obtineant, non solum tibi curæ erit, hanc Nostram  
 Epistolam in Cancellaria tua custodiri, verum etiam Edictum, interposita au-  
 thoritate nostra proponens, in certam normam eorum, quæ excitato incendio  
 aliquo, præstanda sunt, ut Deo supplicetur juxta ritum S. R. E. Edictumque  
 ipsum, veluti adamussim, exigas ad ea quæ a S. Carolo noscuntur constituta,  
 quæque fuerunt a Nobis in his Nostris Literis fusiis exposita. Teque,  
 Vener. Frater Noster, ex animo amplectentes, Apostolicam Benedictionem tibi  
 peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 27. Julii MDCCLV. Pontifica-  
 tus Nostri Anno XV.



PONT.

NUM. XCII.

ANNO

A. XVI.

REFRACTARIIS

1756

*Constitutioni Unigenitus an, & quando Ss. Corporis Christi Viaticum*  
*denegari debeat, Encyclica hac Epistola definitur.*

*Venerabilibus Fratribus, Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Archiepiscopis, & Epi-*  
*scopis Regni Galliarum, in novissimis Comitibus Cleri Gallicani congregatis.*

BENEDICTUS PP. XIV.

*Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**E**X omnibus Christiani Orbis regionibus, ad quas imposita imbecillitati No-  
 stræ pastoralis cura protenditur, quum multa sæpe ad Nos deferantur,  
 quæ animum Nostrum pro omnium singularumque Ecclesiarum statu sol-  
 licitum & anxium habeant, vix tamen aliunde Nobis majores perturbationis,  
 atque doloris causæ acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum & dis-  
 sensionum incommodis, quibus florentissimum istud Regnum, & Catholicam  
 Gallorum Nationem aliquot ab hinc annis jactari cognovimus. Neque sane de-  
 stitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum Optimum Maxi-  
 mum enixe rogare, ac interpositis etiam aliorum precibus, orare, atque ob-  
 secrare, ut ipse, qui Deus pacis est, veram solidamque tranquillitatem turba-  
 tis Ecclesiis vestris reddere dignaretur. Sæpe etiam, datis ad clarissimum in  
 Christo Filium Nostrum Ludovicum Galliarum Regem Christianissimum Apo-  
 stolicis Literis, illius opem, & brachium ad Ecclesiasticæ pacis tutelam, atque  
 præsidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos, & ad Sedem Apostolicam de

PONT. rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus Nos prom- ANNO  
ptos, paratosque declaravimus, pro pace Ecclesie Gallicane, quam sincera &  
A. XVI. constanti lectione prosequimur, quidquid Nobis vitæ superesse posset, libenter 1756  
impendere; atque omni, quæ Nobis agenda proponerentur, & aggredi & ur-  
gere, dummodo ejusmodi consilia essent, quæ ad revellendum malorum germen  
apta & idonea dignoscerentur, & quorum executio cum spe prosperi eventus  
suscipienda, & ad intentum finem utiliter processura videretur.

Gravem atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hætenus effe-  
cti fuimus, non parum sublevarunt literæ e Gallicani Cleri Comitii die 31.  
Octobris elapsi anni ad Nos scriptæ; quas quidem legentes, vestram, Venera-  
biles Fratres, firmitatem atque constantiam, vestram perpeximus perfectam  
consensionem in custodiendo veræ sanæque doctrinæ deposito, & in retinenda,  
quam semper Majores vestri professi sunt, erga Apostolicam Beati Petri Se-  
dem, Catholicæ Unitatis centrum, observantia & veneratione. Neque enim  
ullam inter vos dissensionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas, &  
principia; sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque  
mediis, quibus utendum necessario est, ut eadem communia principia in ulum  
deducantur. Quod quamvis optandum fuisse longe abesse a Conventu vestro,  
haud tamen mirum videri debet scientibus, id alias inter sacros Antistites, &  
doctrina & morum sanctitate conspicuos in gravissimarum rerum tractatione  
evenisse. In magnam autem præconceptæ consolationis nostræ accessionem sese  
obtulit eximia Christianissimi Regis pietas & religio, cum hæreditario ipsius  
in hanc Sedem Apostolicam obsequio conjuncta, quæ non in recentioribus tan-  
tummodo illius literis, quas die 19. Decembris ejusdem elapsi anni, prædictam  
Cleri epistolam huc mittens, ad Nos dedit, sed in cæteris quoque omnibus ab  
eo conscriptis præclare enituit; in quibus testari possumus atque debemus, Nos  
semper illius Regii animi sensus eos plane deprehendisse, qui maxime decebant  
Orthodoxum Principem, & vera in Deum religione, & sincera erga Romanam  
Sedem pietate præditum, eundemque pacis atque concordie in suis Regnis re-  
stituendæ & conservandæ amantissimum.

Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicæ Constitutionis, quæ  
incipit *Unigenitus*, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium, &  
obedientiam ubique vindicat, ut nemo Fidelium possit, absque salutis æternæ  
discrimine, a debita erga ipsam subiectione se se subducere, aut eidem ullo mo-  
do refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea quæ exorta est, controversia,  
utrum hujusmodi refractariis Sanctissimum Corporis Christi Viaticum expetenti-  
bus denegari debeat, sine ulla hæsitacione respondendum sit, quoties prædictæ  
Constitutioni publice & notorie refractarii sint, denegandum eis esse; ex gene-  
rali nimirum regula, quæ vetat publicum atque notorium peccatorem ad Eu-  
charistiæ Communionis participationem admitti, sive eam publice, sive priva-  
tim requirat.

Publici autem atque notorii sunt refractarii in casu, de quo agitur, qui-  
cumque per sententiam a Judice competente prolatam rei declarati sunt, eo  
nomine, quod debitam prædictæ Constitutioni *Unigenitus* venerationem, obse-  
quium, & obedientiam contumaciter denegaverint, quicumque etiam hujusmodi  
contumaciæ reos se in judicio confessi sunt; ac præterea illi qui quamvis nec  
a Judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilom-  
minus, vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum suscepturi sunt, propriam  
inobedientiam, & contumaciam adversus Constitutionem *Unigenitus* sponte pro-  
ferant, vel in antea vitæ decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur,  
manifeste oppositum venerationi, obsequio, & obedientiæ eidem Constitutioni  
debitæ, in eoque facto moraliter perseverare; quod ita vulgo cognitum est,  
ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit: in his enim ca-  
sibus eadem omnino adeest moralis certitudo, quæ habetur de iis factis, super  
qui

PONT. quibus Judex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit: moralis certitudo præ- ANNO  
dictæ similis, & æquipollens.

A. XVI. In quo tamen præ oculis habenda est differentia, quæ intercedit inter no- 1756  
torium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in  
ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii, aut concubina-  
rii; & aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum  
reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem  
notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationi-  
bus evinci debet; sed alterum gravioribus, certioribusque argumentis pro-  
bati oportebit.

Ea vero quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis  
casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, præsumptionibus, incertisque  
vocibus, quæ originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo  
affectis, aut qui præjudicatis opinionibus, vel partium studiis ducuntur; qui-  
bus dum fides habetur, satis compertum est, tum præteritorum temporum,  
tum ætatis nostræ experientia, quot modis homines errare & falli, ac in  
transversum agi contingat.

Quia vero nonnulli animarum Pastores, Ecclesiæque Ministri, pietate, &  
zelo comendati, hujusmodi conjecturis & præsumptionibus deferentes; dum ad  
Sacrum Viaticum aliquibus ministrandum advocantur animo anxii hærent, ve-  
rentes, ne id sine propriæ conscientiæ periculo administrare non possint; cer-  
tam subnectentis agendi regulam, quam sequantur.

Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum  
Viaticum postulat, quum ante ad sacram mentem accederet, Paschali præser-  
tim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio ad-  
ministrata fuerit: si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id  
erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere no-  
torium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequetur, sacrum Viaticum ei-  
dem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse; nisi forte, postquam  
olim ad Eucharisticam mentem admissus fuit, & ante id tempus, quo postre-  
ma Sacramenta requirit, aliquid commississe noscatur, quo publici & notorii  
peccatoris notam, juxta præmissa contraxerit.

Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui  
insistere valeant; aliunde vero validæ adversus ægrocum præsumptiones, &  
indicia gravia & urgentia militent, ob quæ obortum sibi scrupulum rationa-  
biliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis  
arbitris, ægrotañtem alloqui, eique cum omni lenitate, & mansuetudine,  
non tamquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quæ &  
qualia sint indicia, quæ suspectum reddunt ipsius vitæ tenorem; rogantes eum  
& obsecrantes, ut respiciat, in eo saltem temporis articulo, a quo æterna  
ipsius salus fors pendet: eidemque præterea demonstrantes, quod, quamvis  
ipli parati sint Sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, ac etiam  
re ipsa illud ei ministrarent, non ideo tamen tutus ipse erit ante Tribunal Chri-  
sti, sed potius novi & horrendi criminis ream se constituet, ex quo judicium  
ibi manducavit, & bibit: cæterum se non alia de causa Sacramentum Corpo-  
ris Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiæ jubenti obtemperent, quæ  
præter eam, quam habet curam, ut scandala publica antevertat, pro sua  
etiam pietate, ægroti ipsius infamiam præcavere studet, & idcirco eum a  
sacra mensa non repellit, dum ipsam, licet peccatorem in conspectu Domi-  
ni reputet, non tamen in proprio Tribunali publicum, atque notorium pec-  
catorem agnoscit.

Hinc itaque judicandi agendique normam oportet Vos, Venerabiles Fratres,  
utpote Nostro & Apostolicæ Sedis judicio probatam, inferioribus animarum  
Pastoribus, cæterisque Presbyteris per Civitates & Dioceses vestras Sacramen-  
ta

PCNT. ta legitime administrantibus, tuendam & observandam proponere. Quod qui- ANNUS  
dem iudicium super vigentibus controversiis a nobis interpositum, & Ecclesia-  
A. XVI. sticis regulis nititur, & Conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus ha- 1756  
bitorum decretis, & gravium ipsius Nationis vestrae Theologorum sententiis  
fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illustrium praedecessorum vestrorum exem-  
pla sequendo, promotas isthic controversias, subortaque dubia ad Nos; & Apo-  
stolicam Sedem deferre, certamque hinc regulam, ad revocandam tuendamque  
Ecclesiarum vestrarum pacem, exposcere; ita nunc officii vestri partes, ve-  
straque simul apud Deum, & Ecclesiam merita cumulabitis, si suprascriptam  
agendi methodum, ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino  
servari curabitis. Quod Nos a Fraternitatibus vestris eo fidentius expectamus,  
Nobisque pollicemur, quo magis Nobis ipsi conscius sumus, nihil diligentiae  
aut studii a Nobis praetermissum fuisse, sive in perpendendis ac discutiendis  
articulis, quos Episcopi in praefatis Cleri Comitibus adunati, licet non unani-  
mi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notio-  
nibus, ad rem penitus percipiendam, rectoque iudicio definiendam opportunis;  
sive in legendis ponderandisque sententiis scripto exaratis a Venerabil. Fratri-  
tribus nostris hujus S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisi-  
vimus; sive in caeteris omnibus exequendis atque praestandis, per quae Divini  
lumini adiutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non praeter-  
missimus, Nobis promereri possimus.

Neque vero dubitamus, quin Charissimus quoque in Christo Filius Noster  
Rex Christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum pro-  
bavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad Nos datis literis fovere, & ad-  
juvare non recusavit; pro sua perspecta in Deum, & Ecclesiam religione, ac  
pietate, validam Fraternitatibus vestris opem praebere studeat, quo tam vo-  
bis, quam inferioribus Ecclesiae ministris liberum, & integrum sit, ad supe-  
rius descriptam agendi normam sacrorum Mysteriorum administrationem mo-  
derari. Qua quidem fiducia freti, Nos hic sermonem minime habendum exi-  
stimavimus de reliquis Fratrum vestrorum articulis respicientibus Episcopalia  
jura circa eorundem Sacramentorum participationem concedendam, vel dene-  
gandam, & varias super hac re obortas controversias; sed potius cum ipso  
Christianissimo Rege per alias literas nostras agendum duximus, ut is sacra  
Episcopatus jura, sua animi magnitudine ac praestanti virtute tueatur.

Quod ipsum, & proprio, & majorum suorum more, facturum certo confi-  
dimus; ut nobilissimae Galliarum Ecclesiae, illius regio favore nostris, vestris-  
que studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse, & perturbatam  
ad tempus tranquillitatem cito recuperasse latentur. In cuius optatissimi even-  
tus auspiciis, Fraternitatibus vestris, cunctisque populis Pastoralis curae vestrae  
concreditae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die xvi. Octobris MDCCLVI.  
Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

PONT.

N U M . X C I I I .

A . X V I .

C E L E B R A T I O

*Trium Missarum Natalitio Christi die præcipuus Latina Ecclesie Ritus demonstratur: ideoque universim ab Orientalibus, præsertim vero ab Armenis Liburno in Portu commorantibus non usurpandus.*

Ven. Fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodien. Congregationis Propagandæ Fidei Secretario.

## B E N E D I C T U S P P . X I V .

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**I**N Superiori ante proximum ad Nos habitu accessu, retulisti, Te in suspicionem adductum, Sacerdotes Armenos Liburno in Portu commorantes Sacro Natali Domini die tres unumquemque Missas in Nationis suæ templo celebrare, non prætermisisse opportunas ad Pisanum Archiepiscopum dare literas, ut certior fieres, num res, pro ut ferebatur, se haberet, & si ita quidem, ex quo tempore invaluerit usus, tria designato die offerendi Sacrificia; tibi que fuisse a memorato Præsule rescriptum, offerri ab Armenis Sacerdotibus in Liburniensi suæ gentis Ecclesie tres Missas Natalitio Christi die, idque in usu primum ea in Ecclesia fuisse positum a duobus Missionariis Parochi sub ann. 1725., exindeque semper rem eodem modo transactam: ac insuper ejus gentis homines referre, multos per Orientem Sacerdotes Armenos Catholicos, ejusdemque Ritus Missionarios Sancto Natalis Christi die tres Missas singulos celebrare; a quibus porro omnibus, nostra ipse expetebas jussa de relinquenda, vel interdicens trium Sacrorum oblatione, ab Armenis Sacerdotibus, Natalitio Christi die, Ligurni in gentis suæ Ecclesie fieri solita.

§. 2. Pervetustus est, atque universim in Latinam Ecclesiam receptus Ritus trini Sacrificii per unumquemque Sacerdotem Natalitio Christi die offerendi: verum apud Orientalem Ecclesiam nullum extat præfati Ritus vestigium; ne verbum quippe de eo in Liturgiis Græco -- Arabicis Melchitarum, Syriacis, Chaldeisque, neque etiam in reliquis Coptorum, Armenorum, Græcorum, atque Ruthenorum, qui Græcos sibi Ritus adscivere Patres Basiliani, Cryptæ Ferratæ, etsi Latinos aliquot Ritus amplexi sint, tres tamen Missas Natalis Domini die nec in memorato Monasterio, nec alibi celebrare consueverunt. Et in ipsa Provinciali Synodo habita sub annum 1736. in Monte Libano, cui præfuit Joseph Simonius assemanus Præsul, qui jussu Clementis XII. Prædecessoris Nostri eo profectus, imposito sibi muneri cumulate satisfecit: hæc leguntur cap. 13. *de sacrosancto Missæ Sacrificio: Privilegium autem, quod Latini Presbyteri habent in Natali Domini tres Missas celebrandi, ad nostros Sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus, & statuimus: non quod morem illum S. R. E. omnium Ecclesiarum matris, ac magistræ condemnemus: absit hoc a nobis; qui filii illius obsequentissimi sumus; sed quia veterem nostrum ritum servari volumus.*

§. 3. Hæc Synodus prævio opportuno examine, fuit a Nobis confirmata, veluti nosse licet ex Constitutione Nostra in Bullarium Nostrum illata. Cumque ex memorata Synodo, æque, ac ex præindicatis Liturgiis Orientalibus inotescat, offerri quidem in Occidentali Ecclesia trinum Natalis Christi die Sacrificium, non item, vero in Orientali Ecclesia, jam locum fit regulæ latius per Nos firmatæ in Nostris Encyclicis Literis datis octavo Kalendas Augusti 1755. ad Missionarios per Orientem, præloque Congregationis Propagandæ Fidei

PONT. Fidei impressis, non esse scilicet permiscendos ritus; suum a Latina, suum ANNO  
 A. XVI. itidem ab Orientali Ecclesia ritum servari oportere: hoc quippe est Sacris Ca-  
 nonibus sancitum, Constitutionibus Apostol. cautum, ac S. Sedis perpetuo sy- 1756  
 stemate, præfatis literis late demonstrato, firmatum.

§. 4. Et si umquam excipi contigerit, iisdem in literis in exemplum per  
 Nos adduci Latinos quosdam Ritus ab Orientalibus, & vicissim Græcos quos-  
 dam Ritus a Latinis cooptatos, parata suppetit responsio, estque ejusmodi,  
 id factum, vel confectarium fuisse immemorabilis consuetudinis secumferentis  
 famam concessi Apostolici Privilegii; vel inductum ex privilegio Apostolico  
 vero, conceptoque; quarum quidem rerum, quod ad præsentem quæstionem  
 attinet, nec species ulla, quin potius perspicua ex adverso perstat probatio.  
 Cum enim Edessemus Archiepiscopus Armeni Ritus, Romæ degens facultatem  
 sibi expetiisset, celebrandi tres Missas Natalitio Christi die, utque facultas  
 ejusmodi ad reliquos etiam Sacerdotes Romæ commorantes protenderetur; pro-  
 positus hujusmodi precibus in Congregatione Sacræ Inquisitionis coram Con-  
 sultoribus decimo tertio Kalendas Martii 1710. relatisque iterum in Congrega-  
 tione de more habita in Palatio Apostolico tertio Kalendas Martii, negati-  
 vum redditum fuit responsum; quamvis is, cui demandata fuit provincia scri-  
 bendi ea de re, scriptoque suam proferendi sententiam, in partem affirmati-  
 vam se se præstitit proclivorem, quemadmodum deprehendimus ex scriptis  
 negotium illud attingentibus, quæ ex ædibus Sacræ Inquisitionis afferri ad  
 Nos volumus; & hoc fuit quidem dabitum tunc propositum, *An dicto Ar-  
 chiepiscopo concedendum sit Indultum celebrandi tres Missas in die Nativitatis  
 Domini more Latinorum, hocque extendendum ad omnes Presbyteros Armeni Ri-  
 tus in Urbe commorantes: hoc vero rescriptum: Quod petiit Indultum cele-  
 brandi tres Missas in die Natalis Domini more Latinorum; respondendum es-  
 se negative.*

§. Prætereunda nec sunt, quæ in præfatis Literis Nostris §. 45. a Nobis af-  
 feruntur. Cautum fuerat jam inde ab Anno 1674. ut Armeni Liburno in Por-  
 tu domicilium habentes, quippe una nobiscum viventes in Paschatis, cate-  
 risque Festis diebus celebrandis, ad Gregorianum emendatum Kalendarium se  
 conformarent. Tot tantaque turbas commoverunt præfati Armeni, ut habita  
 sub annum 1699. iterata Congregatione decretum fuerit, ut usus veteris Ka-  
 lendarii, Armenis Liburnensibus relinqueretur, quousque ad novum recipien-  
 dum sese accomodarent, & quousque Apostolica Sedes aliud edixisset. Et ita-  
 que Liburnensibus Armenis sua pro ratione voluntas, respuunt Latinum Ri-  
 tum, usum scilicet Kalendarii emendati, quamvis nobis intermixti vivant,  
 sitque illud justitiæ consonum: cumque porro Latinum Ritum ter offerendi Sa-  
 crificium Natalis Christi die sibi indebitum exposcant, facile caput est, haud  
 decere, ut sui voti compotes fiant.

§. 6. Reliquum illud est, quod asseritur in Literis Pisani Archiepiscopi,  
 Armenæ nimirum nationes homines Liburno in Portu commorantes asseverare,  
 memoratas tres Missas a multis per Orientem Armenis Sacerdotibus Catholicis,  
 ejusdemque Ritus Missionariis celebrari; idque Nobis verisimile videtur, at ni-  
 hil inde in rem præsentem. Beatus Bartholomæus Bononiensis ex Fratrum  
 Prædicatorum Familia, fuit a Joanne XXII. Pontifice in Armenia ablegatus  
 sub an. 1318. & ab ipso Maragensis Episcopus inauguratus, exindeque trans-  
 latus ad Naxivanum Archiepiscopatum. Quo ipso tempore præfatus B. Bar-  
 tholomæus celebri illa Missionisungebatur, aderat in Armenia Isaias quidem  
 Schismaticus trecentis septuaginta Discipulis præpositus. Mens ipsi inerat re-  
 sta, & motus fama Sanctitatis B. Bartholomæi, edotusque ab ipso Catholicæ  
 Fidei veritatem, se ei socium adjunxit, suis omnibus Discipulis secum addu-  
 ctis: tuncque contigit, ut institueretur Congregatio Fratrum Unitorum, as-  
 sumpto ab iis omnibus habitu Dominicani Instituti, emissaque professione vi-  
 tæ



PONT. tæ Regularis sub Regula S. Augustini, & Fratrum Prædicatorum Constitutio- ANNO  
 nibus. Videre est omnia in Opere Patris Galani de Consensione Armenæ Ecclesiæ  
 A. XVII. cum Romana part. 1. pag. 508. & seq., atque elucubratius tom. 2. Historiæ Viro- 1756  
 rum illustrium Dominicani Ordinis, Auctore P. Touron. lib. 1. pag. 108., &  
 seq. Isthæc Congregatio subiecta fuit Magistro Generali Dominicanæ Familiæ  
 ab Innocentio VI. sub anno 1356., uti colligere est ex ejus Litteris in Do-  
 minicanum Bullarium relatis pag. 148., & in generalibus totius Ordinis Comi-  
 tiis habitis anno 1583. nova hæc Congreg. ad Regularis Provinciæ gradus  
 jura, & honores attolli cœpit. Cum autem Italiæ Discipuli unam noscerent  
 Arminianam Linguam, præterea nullam, & plenam ceteroquin cum Domini-  
 canæ Familiæ Religiosis unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum  
 referunt præcitati Historici, ut Regulæ, Statuta, Breviarium, & Missale or-  
 dinis in Linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus No-  
 bis proximis insletisse Patres Armenæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum, quo  
 sibi liceret typis mandare sua Breviaria, ac Missalia, e Latino in Armenum  
 idioma translata; annuitque precibus Congregatio Romanæ universalis Inqui-  
 sitionis habita octavo Idus Septembris 1713. deputatis Emendatoribus, sive  
 præli typici præsidibus, ut ad opportunas regulas exigerentur omnia, liceret-  
 que exinde tuto sibi polliceri, nullos in novam editionem errores irrepere,  
 quod satis superque in hujusmodi casibus alias contigisse constiterat; probavit-  
 que omnia Summus Pontifex in Congregatione proximo die, septimo videlicet  
 Idus Septembris ejusdemmet anni habita.

5. 7. Cum itaque Dominicanum Missale in Armenam Linguam versum fue-  
 rit, cumque in Missali Dominicano tres reperiantur adnotatæ Missæ Natalitio  
 Christi die celebrari solitæ, videtur admodum simile vero, Sacerdotes quosdam  
 Armenos, & Missionarios, videntes tres Missas a Patribus Dominicanis ce-  
 lebrari Natalitio Christi die, cœpisse & ipsos tria Sacrificia offerre, Domini-  
 cano Missali utentes in Armenam Linguam reddito: quoties autem ita se res  
 habeat, quod verisimilius est, quisque sanæ mentis homo facile animadvertet,  
 haud subsistere fundamentum, in oblatione trini Sacrificii a nonnullis Arme-  
 nis per Orientem peragi solita, constitutum, nec eo juvari ullatenus posse  
 Armenos Liburno in Portu commorantes; eo quod tres Missæ in Missali Do-  
 minicano adnotatæ, semper Latini Ritus esse censeantur, etsi in Armenam  
 Linguam versæ; nec liceat Armenis pro arbitrio Latinos Ritus usurpare. Si-  
 millimum Nobis suppetit exemplum ex Missa Latina Patrum Dominicanæ Fa-  
 miliæ in Græcam Linguam versa juxta Indultum a Bonifacio IX. datum Ma-  
 ximo Constantinopolitano Dominicanæ Familiæ Viro, relatumque tom. 2. Bul-  
 larii Dominicani pag. 370. Ea quippe Dominicani Fratres quidem, nullatenus  
 autem Græci, in Sacrificio offerendo, uti possunt.

5. 8. Hæc itaque sunt, quæ Nobis, quamvis male a podagra habitis, licuit  
 colligere. Curæ tibi erit, Venerabilis Frater, deferre omnia ad Congregatio-  
 nem de Propaganda Fide, & si mandatum ab ea tibi fuerit, quod facillimum,  
 ut ad Pisanum Archiepiscopum rescribas, opportunum fortasse erit, hujus ad  
 te Nostræ Epistolæ exemplum eidem reddendum curare. Interea Apostolicam  
 tibi benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem 29. Decembris 1756. Pontificatus  
 Nostri Anno Decimosexto.

*Motus proprius S. Pii V. & Constitutio Urbani VIII. contra tondentes monetas aureas, & argenteas: nec non Bannimenta, & Decreta adversus falsificantes, alterantes, ac expendentes Cedulae Monti Pietatis, & Mensæ Nummariae Sancti Spiritus: & poenæ in illis inflictæ ad omnes Ecclesiasticas personas extenduntur.*

## B E N E D I C T U S PP. XIV.

S E R V U S S E R V O R U M D E I.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**A**D curam nostram pertinere dignoscimus, pro ea vigilantia, quam rectæ Justitiæ in Civitatibus, & Locis temporali Dominio Nostro subjectis administrandæ præstare debemus; omni studio satagere, ut meritis justique poenis ea præsertim delicta coerçantur, quæ humanæ Societatis leges perturbant, & publicæ utilitatis rationibus magnopere officiant; eumque in finem non modo veteres Prædecessorum Nostrorum Constitutiones confirmare, atque in usum & memoriam hominum revocare, verum etiam easdem extendere, & ad casus in ipsis non satis expressos ampliare non recusamus prout labentium temporum, & occurrentium causarum necessitates exposcere videntur; Nosque ad providum Reipublicæ regimen expedire in Domino judicamus.

§. 2. Sane felicitis record. Prædecessor Noster S. Pius Papa V. per suam Schedulam Motus proprii datam Romæ apud S. Petrum octavo Kal. Novembris Pontificatus sui Anno V. cujus initium est: *Cum nil magis*; attendens, quod licet monetarum aurearum tonsoribus ultimi supplicii poena de jure inflicta esset, argenteas tamen monetas tondentibus satis minor poena imposita erat; animoque reputans, pro publici commercii subsistentia nimis necessarium esse eodem juris rigore in utroque delicti hujusmodi genere adversus delinquentes procedere: statuit atque decrevit, eos, qui argentea tonderent monetas, ultimi supplicii, & ea, qua aurearum tonsores eatenus puniti fuerant, & de jure puniri debebant, poena puniendos esse; volens hujusmodi Sanctionem ab omnibus Judicibus tam in Urbe, quam alibi in toto Statu Ecclesiastico, remotis impedimentis, quæ ipsis a temporalibus Terrarum, Locorum, & Civitatum Dominis objici forsan potuissent, debitæ executioni mandari.

§. 3. Postmodum vero recol. mem. Prædecessor pariter Noster Urbanus Papa VIII. per suam perpetuo valituram Constitutionem incipientem *In suprema*, datam apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1627. Idibus Novembris, Pontificatus sui Anno xv. ejusmodi statutum, decretum, & voluntatem Præfati S. Pii Prædecessoris approbavit, confirmavit & innovavit; ac ad omnes & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam sæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam de necessitate exprimendi, necnon Militarium quarumcumque, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Regulares, non solum in statu Ecclesiastico tunc sibi & Sedi Apostolicæ mediate vel immediate subjecto, sed etiam in omnibus & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, & Locis, in Italia dumtaxat, existentes, quæ aureas, & argenteas monetas tondere, vel alias, ut ibi latius exponitur, circa eas delinquere præsumpissent, extendit, & ampliavit; volens ut Ecclesiastici hujusmodi, culpabiles in præmissis reperti, prævia degradatione, Curæ sæculari puniendi traderentur.

§. 4. Cum autem hujusmodi delicta, perversis hominum cupiditatibus sua-

PONT. dentibus, interdum pullulare non desinant, ac præterea nonnulli perditionis filii ANNO  
 sæpe reperti fuerint, qui majore commercii publici, & privatorum, seu etiam  
 A.XVII. Communitatum, & Universitatum, ac Locorum Piorum, ipsiusque forsan Ca- 1756  
 mæ Apostolicæ detrimento, Syngraphas, seu Cedulas tam Montis Pietatis,  
 & Depositorum hujus Nostræ Almæ Urbis, quam Mensæ Numariæ Sancti Spi-  
 ritus, aut falsas conficere, aut genuinas corrumpere, & alterare; alii autem,  
 qui eas, vel falsas, vel corruptas & alteratas, sive in Urbe, sive in aliis Ci-  
 vitatibus, & Locis Ditionis Ecclesiasticæ, ubi nimirum hujusmodi Singraphæ  
 liberum obtinent cursum, & non secus, ac auri, & argenti signati monetæ,  
 expenduntur, expendere præsumperint; & licet adversus hujusmodi delinquen-  
 tes, cujuscumque status, ordinis, & conditionis existant, condignæ pœnæ et-  
 iam ultimi supplicii, in generalibus Bannimentis, tam per Congregationem Ve-  
 nerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super Consultationibus Ne-  
 gotiorum universi Status Ecclesiastici, quam pro tempore existentes prædictæ  
 Almæ Urbis Governatores ejusdem S. R. E. Vice-Camerarios, ac etiam Came-  
 ræ Apostolicæ Thesaurarios, Nostra, & Romanorum Pontificum Prædecessorum  
 Nostrorum auctoritate, editis & promulgatis, aliisque Pontificiis Legibus, &  
 Constitutionibus, insidete, late, & decreta comperiantur; Cum tamen in oc-  
 currentibus causarum judiciis dubitari contigerit de omnimoda & plenaria hu-  
 jusmodi pœnalarum Sanctionum extensione ad personas Ecclesiasticas hujusmodi  
 delictorum reas compertas, nec sine speciali definitione Nostra hujusmodi dubia  
 submoveri posse visum fuerit.

§. 5. Idcirco Nos præfatas S. Pii V. & Urbani VIII. Prædecessorum leges  
 atque Constitutiones contra tendentes monetas aureas & argenteas, seu alias  
 circa eas, delinquentes, nec non præmissa Bannimenta, aliaque statuta & de-  
 creta adversus falsificantes, & alterantes dictorum Montis, & Mensæ Numma-  
 riæ Syngraphas, seu Cedulas eademque falsas, seu alteratas scienter expenden-  
 tes, quarum & quorum tenores præsentibus literis pro insertis haberi volumus  
 & decernimus in omnibus & per omnia approbamus, confirmamus, & inno-  
 vamus: Ac præterea earundem præsentium tenore, nec non Motu proprio,  
 & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine prædicta Ur-  
 bani VIII. Constitutionem, quæ incipit: *In Suprema*, cum omnibus decretis &  
 clausulis in ea contentis, ad omnes & singulas personas Ecclesiasticas, etiam  
 quomodolibet exemptas, tam sæculares, quam cujusvis Ordinis Congregatio-  
 nis, Societatis, & Instituti etiam de necessitate exprimendi, necnon Militia-  
 rum quarumcumque, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Regularis,  
 prædictas Cedulas falsificantes, seu aliter circa eas, & cum iis, ut infra, delin-  
 quentes, expresse extendimus & ampliamus; Itaque quicumque, etiam Ecclesia-  
 stici hujusmodi, prædictorum Montis Pietatis hujus Almæ Urbis, & Mensæ  
 Nummariæ Sancti Spiritus Cedulas falsificasse, nimirum falsas ad verarum imi-  
 tationem & similitudinem confecisse, seu veras in substantialibus corrupisse, &  
 quoad valorem in quacumque summa alterasse, quique in hujusmodi falsifica-  
 tione, seu corruptione & alteratione, quolibet modo complices fuisse, nimi-  
 rum aliqua ratione ea in re dolose operam præstitisse, etiam si falsificatio, cor-  
 ruptio, alteratio hujusmodi extra Ditionem Ecclesiasticam patrata fuerit, quip-  
 pe demum hujusmodi Cedulas, seu falsas, seu ut supra corruptas & alteratas,  
 tam in prædicta Urbe, quam in Bononiensi, Ferrariensi, Beneventina, aliis-  
 que Civitatibus; Terris, Oppidis, & Locis Italiæ Nobis & Sedi Apostolicæ  
 prædictæ mediate, vel immediate subjectis, scienter expendisse comperti fue-  
 rint, iisdem pœnis, etiam ultimi supplicii, quibus tendentes monetas aureas,  
 & argenteas, seu aliter circa eas delinquentes, juxta præmissas S. Pii V. &  
 Urbani VIII. Prædecessorum leges, & Constitutiones subjecti sunt pariformiter  
 puniantur, & cum effectu subjiciantur; & si Ecclesiastici fuerint, etiam exempti,  
 & privilegiati, ut supra, prævia degradatione, Curie Sæculari puniendi tradantur.

PONT. 1756  
 A. XVII. §. 6. Atque ita, & non aliter, in quibusvis ejusdem Urbis, & Ditionis Ecclesiasticæ Tribunalibus, ac per quoscumque Judices in hac materia competentes, etiam specifica & individua mentione dignos, contra delinquentes in præmissis, etiam Ecclesiasticos exemptos, & privilegiatos, ut supra, in Judicio confessos, sive legitime convictos, procedi, decerni, judicari, & sententiarum omnino mandamus; sublata cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate; ac irritum & inane decernentes, si secus super his a quolibet eorum scienter vel ignoranter judicari contigerit.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis aliis, etiam Apostolicis & in Generalibus, Provincialibus aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus & Ordinationibus Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, præfatis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus & Institutis, etiam de necessitate exprimendis, nec non Militiis quibuscumque, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, & aliis Religiosis, & piis locis alias concessis, ac sæpius confirmatis & innovatis; ac eorundem, & quarumvis, etiam Urbis præfatæ, nec non Bononiensis, Ferrariensis, Beneventanæ, aliarumque Ditionis prædictæ Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, & Locorum, ac omnium & quorumcumque Tribunalium in ipsis consistentium, etiam confirmatione Apostolica, seu quavis alia firmitate roboratis, statutis, resolutionibus, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus: Quibus omnibus & singulis, eorum omnium tenores pro expressis, ac de verbo ad verbum præsentibus insertis, necnon præscriptas in ipsis derogationum formas pro plene observatis habentes, ad præmissorum effectum dumtaxat, illis alia in suo robore permanentis, motu, scientia, & potestatis plenitudine præfatis, specialiter & expresse derogamus, & sufficienter derogatum fore decernimus; cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, quod præsentis in Valvis Ecclesiæ Lateranensis Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac in aliis consuetis ejusdem Urbis locis, publicentur, & affigantur, & postquam sic affixæ & publicatæ fuerint, omnes & singulos perinde ardeant, & efficiant, ac si unicuique nominatim & personaliter intimatæ fuissent.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, & innovationis, extensionis, ampliationis, mandati, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLVI. pridie Kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

J. Card. Pro Dat.

D. Card. Passioneus...

VISA DE CURIA

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

NUM.

*Constituendi Processus tum super statu Ecclesiarum in partibus Infidelium existentium, & Populum Fidelem habentium, quarum provisiones in Congregatione de Propaganda Fide proponuntur; tum super meritis præficiendorum iisdem Ecclesiis.*

## BENEDICTUS PP. XIV.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**G**ravissimum Apostolicæ procurationis ministerium, quod a supremo Pastorum Principe JESU CHRISTO per ineffabilem divinæ bonitatis, suæ abundantiam imbecillitati Nostræ impositum est, & præclara Apostolicæ providentiæ ratio a fel. Record. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris intacta servata, ac tradita, jure ac merito a Nobis quoque exigunt, ut illa, quæ ipsi Romani Pontifices Prædecessores quomodolibet, ac præsertim pro forma ac dispositione promovendorum ad pastorale Ecclesiarum in Infidelium partibus existentium, populumque Fidelem habentium regimen statuerunt, sive nova confirmatione, quo firmiter subsistant, & serventur exactius, sive pro rerum vicissitudine novis præscriptionibus, & additamentis indigeant, de novo deinceps approbare & Apostolicæ Auctoritatis præsidio, quatenus opus sit, munire; aliisque Pontificiæ benignitatis documentis, & statutis ampliare, & augere satagamus, & admitamur.

§. 1. Sane post provida, ac salutaria Decreta Conc. Trid. super iis, qui ad Cathedrales Ecclesias promoveri deberent, fel. record. Gregorius PP. XIV. Prædecessor Noster, qui dum in minoribus esset, eidem Trident. Concilio interfuerat, statim Apostolicas suas sub plumbo expeditas Literas dedit. In ipsis ecite omnia ad hujusmodi negotia opportuna, ac necessaria continentur. Porro, quo clarius ad praxim eadem ab ipso Gregorio Prædecessore statuta reducerentur, jussu recol. mem. Urbani PP. VIII. itidem Prædecessoris Nostris Anno 1627. ex Typographia Cameræ Apostolicæ prodiit in lucem Instructio particularis circa faciendos Processus Inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimen Cathedralium, aut aliarum superiorum Ecclesiarum, vel Monasteriorum, ad hoc ut in dictis Processibus faciendis serventur Sacri Canones, & Concilia Generalia, præsertim Tridentinum, & Constitutio fel. rec. Gregorii PP. XIV. super forma Processuum faciendorum sub dat. Idibus Maii MDXCI. Pontificatus sui Anno 1. Hanc autem Instruktionem alia quoque subsequuta fuit, quæ in Congregatione particulari nonnullorum Romanæ Curie Prælatorum deputata a fel. pariter rec. Clemente PP. XI. itidem Prædecessore Nostris, & de Nobis meritissimo, atque in ædibus bon. mem. Josephi ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Sacripanti tunc temporis Congregationi de Propaganda Fide Præfetti die 9. Mensis Octobris Anno 1716. habita, maxime vertitur, cum adveniente casu vacationis, ac proinde provisionis earum Ecclesiarum, quæ sunt in partibus Infidelium, & nihilominus habent populum Fidelem, Processus promovendorum ad hujusmodi Ecclesias plerumque difficulter in hac alma Urbe Nosstra fieri possit.

§. 2. Verum cum Ecclesiæ, quæ sunt in partibus Infidelium, & populum habent Fidelem, proponantur in Congregatione de Propaganda Fide, & consentaneum sit, ut quantocius de iisdem provideatur, ne diutius Pastore careant cum spiritali animarum detrimento; atque etiam cum Processus super statu Ecclesiarum, meritisque eligendorum, juxta laudatam utramque Instruk-

Ratio-

PONT. tionem, difficulter in Urbe confici possint, & experientia compertum sit, ANNO  
 hujusmodi Processus longius protrahi, si alicui Episcopo in illis partibus im-  
 moranti committantur; eapropter Nos pro Apostolica omnium Ecclesiarum 1757  
 A. XVII. sollicitudine Nobis injecta a Pastorum Principe JESU CHRISTO, cujus supremas  
 vices in terris plane immerentes gerimus, primum quidem Apostolica Aucto-  
 ritate, tenore presentium, utramque Instructionem, tum Urbani, tum Cle-  
 mentis Prædecessorum Nostrorum, quas hisce presentibus pro insertis haberi  
 volumus, confirmamus, atque in iis, quæ infra dicenda sunt, quatenus ad-  
 versentur, opus sit, derogamus, & derogatum esse statuimus, deinde vero  
 decernimus, & mandamus, ut ad omnes & singulos Venerab. Fratres Anti-  
 stites transmittantur Interrogatoria in hisce Nostris presentibus Literis inser-  
 ta. Præterea præcipimus, ut responsiones ipsi Antistites reddant, easque sua  
 manu subscribant ac proprio sigillo obsignent. Insuper jubemus hujusmodi res-  
 ponsiones asservari in Archivio ejusdem Congregationis de Propaganda Fide,  
 ut quoties vacatio alicujus Ecclesiæ contigerit, loco Processus super illius sta-  
 tu, exhibeantur. Denique volumus, ac statuimus, ut cum novus Episcopus  
 vel Archiepiscopus possessionem Ecclesiæ susceperit, ad ipsum mittantur præ-  
 dicta Interrogatoria, quibus ut supra respondebit; ex quo colligi possit,  
 utrum spatio temporis aliqua mutatio intervenerit.

### INTERROGATORIA

*Super statu Ecclesiarum Albanicæ, Macedonicæ, Servicæ, Bulgariæ, Persicæ, & Armenicæ.*

#### I.

In qua Provincia sit Civitas &c. cujus, situs qualitatis, & magnitudinis sit, quot consistat domibus, & a quibus Christianis inhabitetur; cujus dominio in temporalibus subiaceat?

#### II.

An in illa Civitate sit Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana; sub qua invocatione; cujus structuræ, & qualitatis? Aut aliqua reparatione indigeat?

#### III.

Si est Ecclesia Archiepiscopalis, quot Episcopos suffraganeos habeat, & qui sint? Si vero est Episcopalis, cui Archiepiscopo sit Suffraganea?

#### IV.

An in dicta Ecclesia cura Animarum exercentur; per quem; an sit in ea Fons Baptismalis, ac servetur Sacrosancta Eucharistia publice, an vero privatim, cum lampade, nec non olea sacra cum decencia?

#### V.

An habeat Sacrarium sufficienter instructum cum sacra suppellectili, cæterisque rebus ad Divinum cultum, & etiam ad Pontificalia exercenda necessariis; & Cœmeterium, in quo Catholicorum corpora solummodo sepeliantur?

#### VI.

An sint in ea Corpora, vel aliquæ insignes Reliquiæ Sanctorum, & quomodo asserventur?

#### VII.

An habeat domum pro Archiepiscopi, vel Episcopi habitatione, ubi, & qualem; quantum distet ab Ecclesia; & an reparatione indigeat?

#### VIII.

Quis sit verus valor reddituum Mensæ Archiepiscopalis, vel Episcopalis, ad quam summam annuatim ascendant, & in quibus consistant?

#### IX.

Quot existant in illa Civitate Ecclesiæ Parochiales; & an unaquæque habeat

PONT. beat Fontem Baptistalem; quot item in illa existant Beneficia Ecclesiastica, Legata pia, & Confraternitates? Quinam ibi sint Regulares, & an Convencus formatos habeant, aut Hospitia? ANNO 1757

X.

Quantum sit ampla Diœcesis; Quot, & quæ loca amplectatur; & quot in singulis locis existant familiæ Catholicæ?

X I.

An, & quantum, Catholicæ Religionis exercitium, Sacramentorum administratio, Divinique Verbi prædicatio a Gubernatoribus Infidelibus permittatur?

X I I.

Quot Sacerdotes Sæculares indigenæ, & exteri sint in Diœcesi, & quot Clerici sint studiorum causa in aliquo Collegio, vel Seminario?

X I I I.

An sit Magister aliquis, qui Juventutem in Literis, & rudimentis Fidei instituat?

## INTERROGATORIA

*Super statu Ecclesiarum Maris Ægei.*

I.

In qua Provincia sit Civitas &c., cujus situs, qualitatis, & magnitudinis sit; quot constetur domibus; & a quibus Christifidelibus inhabitetur; cujus dominio in temporalibus subiaceat?

I I.

An in illa Civitate sit Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana; sub qua invocatione, cujus structuræ: & qualitatis; aut aliqua reparatione indigeat?

I I I.

Si est Ecclesia Archiepiscopalis, quot Episcopos Suffraganeos habeat, & qui sint; si vero est Episcopalis, cui Archiepiscopo sit Suffraganea?

I V.

Quot, & quales sint in dicta Ecclesia Dignitates, Canonicatus, & alia Beneficia Ecclesiastica; quis sit numerus omnium Presbyterorum, & Clericorum in Divinis inservientium; quæ sit Dignitas Major post Pontificalem; quales sint redditus Dignitatum, Canonicatum, & aliorum Beneficiorum; & an adsint præbenda Theologalis, & Pœnitentiaria?

V.

An in ea cura Animarum exerceatur; per quem; an sit in ea Fons Baptistimalis?

V I.

An habeat Sacrarium sufficienter instructum sacra supellestili, cæterisque rebus ad Divinum cultum, & etiam ad Pontificalia exercenda necessariis, Chorum, Organum, Campanile cum Campanis, & Cœmeterium?

V I I.

An sint in ea Corpora, vel aliquæ insignes Reliquiæ Sanctorum; & quomodo asserventur?

V I I I.

An habeat domum pro Archiepiscopi, vel Episcopi habitatione, ubi, & qualem; quantum distet ab Ecclesia; & an reparatione indigeat?

I X.

Qui sit verus valor reddituum Mensæ Archiepiscopalis, vel Episcopalis; ad quam summam annuatim ascendant; in quibus consistant?

X.

Quot existant in illa Civitate Ecclesiæ Parochiales ; & an unaquæque habeat Fontem Baptismalem ; quot Monasteria Virorum , & Mulierum ; quot Confraternitates , & Hospitalia ; & an ibi sit Mons Pietatis ? 1756

## X I.

Quantum sit ampla Diœcesis ; quot & quæ loca amplectatur ; quot in singulis locis existant familiæ Catholicæ ; an , & quantum , Catholicæ Religionis exercitium , Sacramentorum administratio , Divinique Verbi prædicatio a Gubernatoribus infidelibus permittatur ?

## X I I.

Quot Sacerdotes Sæculares indigenæ , & exteri sint in Diœcesi , & quot Clerici sint studiorum causa in aliquo Collegio , vel Seminario ?

## X I I I.

An sit Magister aliquis , qui Juventutem in literis , & rudimentis Fidei instituat :

§. 3. Qui ad hujusmodi Ecclesias promovendi sunt , si Romæ adfuerint , vel in Italia ; Processus super qualitate personæ conficiatur . Si vero extra Italiam morentur , ac duo testes in Urbe sint , qui possint de illis ferre testimonium , tunc idem Processus super qualitate personæ minime prætermittatur . Quod si prædicti testes non adsint , tunc sufficiens habeatur judicium ejusdem Congregationis , quæ illum a Summo Pontifice eligendum consuluit .

## I N T E R R O G A T O R I A

*Super qualitatibus Promovendi.*

## I.

An cognoscat promovendum , quomodo , a quo tempore citra : si sit ejusdem promovendi consanguineus , cognatus , affinis , nimium familiaris , æmulus , vel odiosus .

## I I.

An sciat , in qua Civitate , vel loco & Diœcesi , promovendus sit natus , & quæ sit causa scientiæ ?

## I I I.

An sciat , ipsum esse natum ex legitimo matrimonio , atque honestis , & Catholicis parentibus ; & quæ sit causa scientiæ ?

## I V.

An sciat , cujus ætatis sit , præsertim an expleverit annum trigesimum , & quæ sit causa scientiæ ?

## V.

An sciat , eum esse in Sacris Ordinibus Constitutum ; quibus quo tempore citra , præsertim an ante sex menses , & quæ sit causa scientiæ .

## V I.

An sciat , eum esse in Ecclesiasticis functionibus , & in exercitio ordinum susceptorum diu versatum , in susceptione Sacramentorum frequentem , & devotum , & quæ sit causa scientiæ ?

## V I I.

An sciat , eum semper Catholice vixisse , & in Fidei puritate permansisse , & quæ sit causa scientiæ ?

## V I I I.

An sciat , eum præditum esse innocentia vite , bonisque moribus , & an sit bonæ conversationis , & Famæ , & quæ sit causa scientiæ .

## I X.

An sciat , eum esse virum gravem , & prudentem , & usu rerum præstantem , & quæ sit causa scientiæ ?



PONT

X.

An sciat, eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in Sacra Theologia insignitum esse; quibus in locis; quanto tempore; & quo fructu ipsi Theologiæ, vel Juri Canonico operam dederit; & an vere ea doctrina polleat, quæ in Episcopo requirit, ad hoc, ut possit alios docere; & quæ sit causa scientiæ?

ANNO

1757

X I.

An sciat, eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum, aut regimen alterius Ecclesiæ se exercuisse; & quomodo in eis se gesserit, tam quo ad doctrinam, quam quo ad prudentiam, integritatem, & mores, & quæ sit causa scientiæ?

X I I.

An sciat, eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa Fidem, mores, doctrinam, vel aliquo corporis, aut animi vitio, aliove Canonico impedimento teneri, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri; & quæ sit causa scientiæ?

X I I I.

An eum idoneum esse existimet ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, & præsertim eam, ad quam ipse est promovendus; an dignum, qui ad illam promoveatur; & an ipsius promotionem eidem Ecclesiæ utilem, & proficuum futuram esse censeat; & quare ita existimet?

§. 4. Si quis Episcopus ab una Ecclesia ad aliam transferendus sit tunc observentur ea omnia, quæ num. 1. decernuntur, quoad Processum super statu Ecclesiæ; pro altero vero, qui conficiendus erit super qualitate transferendi, ea serventur, quæ num. 2. præscribuntur.

I N T E R R O G A T O R I A

*Super qualitate Episcopi ad Ecclesiam transferendi.*

I.

An Testis cognoscat Episcopum transferendum; quomodo, & a quo tempore citra; an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, æmulus, vel odiosus?

I I.

An sciat, ipsum consecrationis munus suscepisse; & quæ sit causa scientiæ?

I I I.

An sciat, per quot annos fuerit Episcopus illius Ecclesiæ; & quæ sit causa scientiæ?

I V.

An sciat, eum in sua Ecclesia, & Diocesi assidue resedisse; & quæ sit causa scientiæ?

V.

An sciat, eum diligenter sæpedictam suam Ecclesiam, & Diocesim visitasse, opportune omnibus necessitatibus occurrisse, & providisse; ejusque decreta, & mandata debitæ executioni demandari curasse; & quæ sit causa scientiæ?

V I.

An sciat, eum sæpe solemniter celebrasse; Ordinationes juxta necessitatum exigentiam habuisse; Confirmationis Sacramentum administrasse; cæteraque Pontificalia exercuisse; & quæ sit causa scientiæ?

V I I.

An sciat, eum pietatis, caritatis, & prudentiæ in gubernando speciem dedisse, ac verbo, & exemplo profecisse; & quæ sit causa scientiæ?

V I I I.

An sciat, eum prudenter ubilibet, & diligenter se gessisse in defendendis,

Pars II.

Dd

con.

PONT. conservandis, & augendis jurisdictionibus spirituali, & temporali, juribus, ac ANNO  
bonis omnibus suę Ecclesię; & quę sit causa scientię.

A. XVII.

I X.

1757

An sciat, vere ea doctrina ipsum ad presens pollere, quę in Episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere; & quę sit causę scientię?

X.

An dignum eum existimet, qui transferatur ad Ecclesiam N. & an censeat ejus translationem fore ipsi Ecclesię N. utilem, & proficuum; & quare ita existimet, & censeat?

§. 5. Denique cum pro vicariis Apostolicis titulo, & charactere Episcopali insignitis nullus Processus conficiatur super statu Ecclesię; attamen si in Urbe, vel in Italia commorentur, sint autem extra Urbem, & Italiam extiterint, ac duo testes in Urbe reperiantur, qui testimonium ferre possint, tunc fiat Processus super qualitate personę. Processus vero in hac Alma Urbe Nostra conficiendi omnino conficiantur coram Nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis Auditore. Quod si etiam testes deficient, sufficiens habeatur iudicium ejusdem Congregationis, quę illum a Summo Pontifice eligendum consulat.

§. 6. Omnia itaque, & singula a Nobis, ut pręmittitur, pręscripta, Apostolica Auctoritate, tenore pręsentium, approbamus, & confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicę firmitatis robur adscribimus: salva tamen semper auctoritate memoratę Congregationis de Propaganda Fide. Decernentes, pręsentes Literas, & in eis contenta quęcumque, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quęcumque spectabit, inviolabiliter observari debere: sicque, & non aliter in pręmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales & eorundem Cardinalium Congregationes & quosvis alios quęcumque pręminentia, & potestate fungentes, & functuros, judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus pręmissis, & quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & quibuscumque Decretis in genere vel in specie, aut alias in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cęterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem ut, earundem pręsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Pręfeti, & Secretarii pręfatę Congregationis subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus Fides habeatur, quę ipsis pręsentibus haberetur, si forent exhibitę vel ostensę.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Januarii MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

PENT.

ANNO

N U M. XCVI.

A. XVII.

1757

C O N F I R M A T U R

*Decretum Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium universali adversus hæreticam pravitatem Inquisitioni Præpositum; coram Sanctitate Sua habita; pro tollendis conciliandisque dissidiis & controversiis, inter nonnullos Antistites Indiarum Occidentalium, & Missionarios Societatis Jesu, exortis super concessione dispensationum Matrimonialium, juxta facultates Ab Apostolica Sede utriusque concedi solitas.*

## B E N E D I C T U S P P. XIV.

*Ad Futuram Rei Memoriam.*

**C**UM Venerabilis Frater Noster Joachimus S. R. E. Cardinalis Portocarrero nuncupatus Episcopus Sabinensis, nomine Charissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici, cujus regis negotiis apud Nos & Apostolicam Sedem agendis præest, Nobis exposuerit, obortis quibusdam dubiis circa facultates concedendi Dispensationes Matrimoniales, quibus Dilecti Filii Presbyteri Societatis Jesu Missionarii per Indias Orientales, & Occidentales constituti, ex Apostolicæ Sedis Indultis gaudere dicuntur, & circa hujusmodi facultatum usum & exercitium; ad removendas dispensationes inter eosdem Presbyteros Missionarios, & Ordinarios locorum, sedandosque conscientiarum & animorum motus, Nostram ejusdemque Apostolicæ Sedis definitionem magnopere exoptari; cumque, præter urgentis pastoralis curæ & sollicitudinis debitum, quoad hujus præsertim generis officia impellimur, gratissimum Nobis accidat justis semper & æquis præfatis Catholici Regis votis obsecundare; statim propositæ materiæ discussionem demandavimus Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, in rebus Fidei, aliisque Sancti Officii nuncupati negotiis Generalium Inquisitorum; haud tamen propterea refugientes laborem studiumque singula per Nos ipsos inspiciendi, atque discutiendi. Itaque coacta coram Nobis die 29. Julii elapsi anni 1756. prædictorum Cardinalium Congregatione, auditis etiam prius Consultoribus, tum Sacræ Theologiæ Magistris, tum Canonici Juris Peritis, captæ editæque fuerunt sequentes resolutiones, distinctim expressæ in infrascripto Decreto, quod ipsi jam tum approbavimus & confirmavimus, cujusque tenor talis est, videlicet:

## D E C R E T U M

**C**UM olim R. P. Ignatius de Padilla, quo tempore Civitati Sancti Domini in Insula Hispaniola Indiarum Occidentalium præerat Archiepiscopus, complures excitasset controversias adversus Presbyteros Societatis Jesu, circa Dispensationes Matrimoniales, quibus nimirum ipsi, in vim specialium facultatum sibi, ut asserbant, competentium, cum Neophitis Indiarum Orientalium & Occidentalium, super impedimentis Matrimonii dirimentibus, & antea dispensaverant, & adhuc dispensare pergebant; cumque subinde R. P. Joseph Moreno Carriel, qui, postquam præfatus R. P. Ignatius ad Ecclesiam Jucatanensem in Indiis Occidentalibus Hispanicis sitam translatus fuit, eidem in Archiepiscopatu Sancti Domini successit, illius actionem ea de re studiumque prosequutus fuerit; ut hujusmodi controversiis quantocius finis imponatur, infrascripta Dubia proposita, discussa, & dirempta sunt a Sanctissimo D. N. Benedicto PP. XIV. feliciter regnante, audita prius sententia & consilio Re-

D d. 2.

verene-

PONT. verendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum in Congregatione Anno coram Sanctitate Sua habita die 29. Julii anni 1756.

Δ. XVII. Dubia autem proposita sunt, quæ sequuntur: Primum; An facultates in 1757 Apostolicis Brevibus concessæ Presbyteris Societatis Jesu, qui Missionariorum munus per Indias exercent, atque illæ potissimum, quæ Matrimoniales Dispensationes respiciunt, ad eas Provincias protendantur & loca, quæ pluribus ab hinc annis ad S. Catholicam Religionem redacta sunt, in quibus reperiuntur Infideles aliunde profecti, & ultro Christi Fidem amplexi; adeo ut Missionarii operam studiumque suum impendant, non quidem in iis ad Sanctam Religionem convertendis, sed tantummodo in iisdem Christianæ Doctrinæ institutionibus, rectisque moribus informandis.

Secundum: Quatenus memoratæ facultates ad hujusmodi Regiones protendantur, ac præsertim facultas concedendi Dispensationes, quod prædictorum Matrimonia exerceri valeat; an id ita accipiendum sit, ut concessa dicatur auctoritas dispensandi super impedimentis publicis pro foro externo, tum antequam post contractum Matrimonium.

Tertium: An posita extensione facultatum ad publica quoque impedimenta pro foro externo, & in casibus contrahendi, æque ac jam contracti Matrimonii, hujusmodi facultatibus uti possint Missionarii per ea loca, in quibus Episcopus Diocesanus easdem obtinet facultates sibi ad Apostolica Sede peculiaribus Indultis concessas.

Quartum: Etsi possent Missionarii Dispensationes concedere, suisque uti facultatibus etiam pro foro externo, an tamen id ipsis præstare liceat sine prævia summaria informatione, coram Notario, locique Vicario capta, ad comprobandas dispensationis causas, & impedimentorum qualitates; an potius factis ad id habenda sit verbalis & extrajudicialis instructio seu informatio.

Quintum: an, quatenus hujusmodi facultates concessæ tantummodo dignoscantur Missionariis adlaborantibus pro conversione Infidelium, & non aliis; revalidanda Matrimonia celebrata in vim dispensationum, quas pro exteriori foro indulgent Missionarii illi qui in tradendis Fidei rudimentis, informandisque moribus solummodo exercentur.

Priusque vero ad propositorum dubiorum decisionem procedatur, summam recensenda sunt ea, quæ pertinent ad facultates, quæ Presbyteris e Societate Jesu Missionariis, cum pro Orientalibus, tum pro Occidentalibus Indiis, peculiaribus Apostolicis Brevibus tribuuntur, exinde enim pendet justa dubiorum resolutio. Utque res ordine procedat, primo exponetur summa memoratarum facultatum, quoad impedimenta matrimonii, deinde expendetur concessum jus ipsis facultatibus utendi, tam in interiori, quam in exteriori foro; tertio indicabuntur personæ, cum quibus dispensare possunt Missionarii; quarto recensentur loca, in quibus integrum ipsis est præfatis facultatibus uti; quinto denique attinguntur quæcumque ad rectum dispensationum usum conferre possunt; atque hæc omnia desumentur ex concessionum Brevibus a superioribus Romanis Pontificibus, atque etiam a Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnante expeditis.

Ducto itaque initio, juxta præscriptam methodum, ab ipsa vi atque substantia facultatum quoad impedimenta Matrimonii concessarum; quum olim facultas amplissime protenderetur ad omnia impedimenta, sive gradus non vitios jure Divino, ea in subsequentibus Pontificiis Brevibus nonnihil cohibita fuisse dignoscitur: prohibentur namque modo Missionarii dispensare in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradu (A): excepto tantum primo gradu, etiam recte linea, affinitatis, ex illicita tamen copula resultatis (B). Atque hæc quidem omnia, ad hoc, ut Fideles Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere possint (C): Quibus verbis tam inita, quam incerta Matrimonia comprehenduntur.

PONT. Proximum est, ut de præfatarum facultatum usu, quoad internum exter- ANNO  
 numve forum videatur. Licet autem facultates in prioribus indultis concessæ  
 A. XVII. ad forum conscientiæ restrictæ essent, in posterioribus tamen concessionibus ad 1757  
 externum quoque forum ampliatae conspiciuntur; ea tamen lege adjecta, ut  
 quibus in locis reperiuntur Ordinarii eadem habentes facultates, ab Aposto-  
 lica Sede sibi de more concessas, vel absunt ducentis saltem passuum millibus,  
 nequeant Societatis Missionarii suis uti facultatibus pro foro externo. Ordina-  
 riis etenim reservata est privativa facultas dispensandi in exteriori seu judi-  
 ciali foro; neque datum est Missionariis, ut dispensationes ejusmodi indulgere,  
 concessisque sibi pro foro externo facultatibus uti valeant, præterquam in iis  
 locis, in quibus nulli adsunt Ordinarii, Episcopi nimirum, seu eorum Vica-  
 rii; vel, si qui existunt, ultra duas dietas, non minus ducentis passuum mil-  
 libus inde absunt; aut si præsentibus adsunt, vel parum distant, non tamen a  
 Sede Apostolica impetrarunt facultativa dispensandi indulta, quæ Patribus Mis-  
 sionariis concessa reperiuntur (D). Ad forum porro conscientiæ tantum sem-  
 per cohibita apparet tributa facultas dispensandi *in primo gradu rectæ lineæ af-  
 finitatis ex copula illicita resultantis*, super quo impedimento dispensare permit-  
 tuntur *in occultis, & in foro conscientiæ tantum, ac urgentibus justis causis.* (E)

Hinc transeundo ad personas, cum quibus Missionarii, sive pro conscientiæ,  
 sive pro judiciali foro, juxta præmissa, dispensare possunt; Neophyti quidem  
 hi sunt. Neophytorum autem appellatione, secundum editas, & a Summis  
 Pontificibus approbatas resolutiones, non solum intelliguntur ii, qui paulo  
 ante Baptismum susceperunt, sed etiam eorum filii, quamvis in infantia ba-  
 ptizati fuerint; ac insuper ii, qui ex Indo Neophyto, & ex Muliere Euro-  
 pea, vel ex Europæo Viro, & Indica Muliere sunt progeniti, ideoque *mixti*,  
 seu *missicii* vocitantur. Atque hæc sunt omnino personæ, cum quibus dispen-  
 sare possunt Missionarii (F) interdista ipsis quacumque facultate dispensandi  
 cum *Quarteronibus*, & cum *Pucuellibus*; cum iis nimirum, qui vel per Proa-  
 vum, aut Proaviam pro una tantum parte ducunt originem ab Indis Neophy-  
 tis, ideoque dicuntur *Quarterones*; vel Proavum, aut Proaviam dumtaxat ab  
 Indis Neophytis trahunt originem, proindeque *Pucelles* appellantur; quum hi  
 Neophytorum nomine seu appellatione contineri non possint, ac consequen-  
 ter nequeant Missionarii cum illis sive in foro conscientiæ, sive in foro judi-  
 ciali, super Matrimonii impedimentis dispensare: Eorum enim facultas cohibi-  
 ta est ad Neophytos; quorum nomine veniunt tantummodo ii, qui fuerunt  
 superius designati. (G)

Quod spectat ad loca, in quibus Missionarii præfatis dispensandi facultatibus,  
 ut supra, uti possunt, satis perspicua res est, quum Indulta ipsis concessa  
 utriusque, Orientalis nempe, & Occidentalis Indiæ partes, seu Provincias,  
 aliasque Maris Oceani Regiones, diserte complectantur (H).

Quare nil aliud reliquum est, quam ut ea tradantur, quæ ad rectum pro-  
 batumque Dispensationum usum conferre possunt. In quo sane præter exactam  
 observationem eorum, quæ superius adnotata sunt, duæ potissimum generales  
 regulæ servari debent: prima nimirum, ut in omni Dispensatione justa adsit  
 illius concedendæ causa; altera, ut tunc etiam, quum pro exteriori foro con-  
 ceditur Dispensatio, nihil plæne recipiatur, sed omnia gratis fiat (I). Quam-  
 vis autem in Brevibus facultativis, quæ olim tradi solebant Episcopis & Or-  
 dinariis præfatarum Regionum, pro Dispensationibus super impedimentis Ma-  
 trimonialibus in foro interno externoque concedendis, junctum iis legere-  
 tur, ut in Dispensationibus pro foro externo indulgendis, Missionariorum consi-  
 lium exquirerent, quoties hi tam longe non aberent, ut id sine magno in-  
 commodo præstari non posset: cum tamen Episcopi subinde petissent se suble-  
 vari hoc onere, quod etsi alias poterat opportunum videri, nunc quidem tem-  
 poris nonnisi ad ferendas discordias aptum dignoscebatur; ut omnis dissidio-

PONT. rum & offensionum inter Ordinarios locorum, & Missionarios occasio submo- ANNO  
veretur, plena libertas iisdem Ordinariis relicta est dispensandi etiam in foro  
A. XVII. externo, sublato penitus onere memoratum antea consilium requirendi (K). 1757

Præterea cum Episcoporum arbitrio concedita reperitur facultas subdelegandi idoneos probatosque Sacerdotes, qui pro ipsis Episcopis subdelegantibus, in remotis Diœcesum locis, Dispensationes concedant pro exteriori seu judiciali foro (L); ad conservandam eo magis inter Episcopos & Missionarios animorum consensionem, statutum est, ut, si pro iis locis ulli deputati reperiantur Vicarii, vel absint spatium ducentorum milliariorum, non possint ab Episcopis alii subdelegati Sacerdotes, quam qui ab Apostolica Sede habent dispensandi facultatem, hi autem soli consueverunt esse Missionarii.

Denique ad rectum usum facultatum dispensandi, adnotasse juvabit facultatem dispensandi in foro conscientia perpetuo concessam esse; eam vero quæ ad forum judiciale spectat, intra viginti annorum curriculum esse cohibitam (M). Cumque juxta receptam praxim, soleat hujusce facultatis confirmatio indulgeri, omnino necesse est, ut Missionarii hac in re sibi provide consulant, non redigentes ad suprema propemodum statuti termini momenta cogitationem & curam petendæ confirmationis; ne periculum subeant, vel nullitatis actus, si quid efficiant post elapsam facultatum terminum, vel fraudandi pauperes Christi-fideles opportunis malorum remediis, quatenus eo deveniant, ut hujusmodi facultatibus amplius uti non valeant. Hæc sunt, quæ in Apostolicis Constitutionibus San. Mem. Pii IV. Pont. Max. aliorumque ipsius Successorum, & in Pontificiis Brevibus Clementis IX., Alexandri VIII., Clementis XI., Clementis XII., & Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. feliciter Regnantis, continentur; quibusque, ut par est, observatis, ac respective perpenlis, non solum omnes submoventur Controversiæ, verum etiam facilis evadit, & obvia responsio ad Dubia; quæ ad Sacram Congregationem examinanda ac dirimenda transmissa fuerunt.

Primo itaque Dubio, quo quæritur, an facultates concessæ Presbyteris Societatis Jesu Missionariorum munus per Indias obeuntibus, & nominatim illæ, quæ Dispensationes Matrimoniales respiciunt, ad ea protendantur loca & provincias, in quibus non alii reperiuntur Infideles, quam qui aliunde venerint, Christi-que Fidem ultro amplexi sunt; affirmativum reddetur responsum, ad formam tamen Brevium & Constitutionum Apostolicarum, quæ superius indicatæ fuerunt.

Secundo itidem Dubio, quo quæritur, an quatenus facultates ad memorata quoque loca protendantur, eadem comprehendant Dispensationes Matrimoniales super impedimenti publicis, pro foro externo, tam ante, quam post contractum Matrimonium concedendas, affirmative respondetur, juxta tamen disposita in Apostolicis Brevibus superius indicatis.

Tertio Dubio, quo exquiritur, an Missionarii præfatis facultatibus uti possint in iis locis, in quibus Diœcesani Episcopi similes obtinent facultates: responderetur, posse eos uti memoratis facultatibus, pro foro externo, tam in Matrimoniis contractis, quam in contrahendis dispensando, in iis tamen locis, in quibus non existunt Ordinarii similibus facultatibus instructi, vel absint ultra duas Dietas, non minus ducentis millibus passuum, juxta id, quod itidem in Brevibus, & Constitutionibus Apostolicis cautum reperitur.

Quarto, quod definiendum proponitur, num in iis casibus, in quibus possunt Missionarii dispensare in judiciali foro, hoc ipsis præstare liceat sine prævia summaria informatione coram Notario, & Vicario loci capta ad comprobendam Dispensationis causam & impedimenti qualitatem, vel potius sufficere dicenda sit verbalis, & extrajudicialis Informatio: responsum est, nihil esse innovandum: & quoniam superioribus temporibus sufficiens visa est moralis certitudo tum causæ dispensandi, tum obstantis impedimenti, quantumvis judiciale

PONT. dicialibus documentis non innixa, satius esse, ut eadem methodus in futurum ANNO quoque tempus retineatur.

A. XVII. Ad quintum denique dubium, respiciens convalidationem Matrimoniorum, 1757 de qua quærebatur sub hypothese eorum nullitatis, desumptæ ex defectu facultatum in iis, qui Dispensationes concesserunt ad ea Matrimonia ineunda: quam ex data superius responsione ad primum dubium satis deprehendere licuerit huiusmodi positionem, seu hypothese non subsistere, nullus relinquatur respondendi locus.

Hæc itaque sunt responsa data seu resolutiones captæ in Congregatione Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum habita coram Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV., quas Sanctitas Sua, prævio maturò examine, approbavit, & confirmavit: volens eandem, ad majorem solemnitatem, Apostolicis literis in forma Brevis roborari, præcipiensque, ut quoties casus confirmandi huiusmodi facultates obvenerit, impostero confirmatio non concedatur, nisi præmissa seria adnotatione temporis, quo indultum antea concessum fuerat, ut ita deprehendatur, an constitutus in eo terminus sit elapsus, exindeque valeat hac super re opportune provideri: Ac denique injungens omnibus Ministris, seu Officialibus utriusque Secretariæ, videlicet Brevium Secretorum, & Congregationis de Propaganda Fide, ut sive nova fiat concessio, sive confirmatio facultatum jam pridem obventarum indulgeatur Missionariis Societatis Jesu, tam concessio, quam confirmatio, ad normam eorum, quæ præsentis Decreto exposita sunt, atque statuta, in omnibus & per omnia redigantur & confirmantur.

*Monumenta, quibus innixa sunt ea, quæ in supradiçto Decreto Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIV. statuuntur.*

(A) **I**N quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo Consanguinitatis, vel Affinitatis gradibus: Ita legitur in Brevis San. Mem. Alexandri PP. VIII. quod incipit: *Animarum salutis*: quod est 14. in ordine Tom. IX. novissimi Bullarii Romæ impressi §. 9.

(B) *In primo gradu etiam rectæ lineæ ex copula illicita resultantis*: Hæc sunt Brevis San. Mem. Clementis PP. XII. quod incipit: *Cum dudum*: & est 142. in ordine Tom. XIV. citati Bullarii §. 2.

(C) *Ut Matrimonium inter se contrahere seu in eo scienter contracto remanere valeant*: Ita legitur in Brevis Summorum Pontificum Alexandri VIII, Clementis XII., & aliorum.

(D) *Præterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputandis Presbyteris cum Neophytis Provincialium utriusque Indiæ, aliarumque Maris Oceani Regnorum, in quibus inter Infideles existunt, & non adsunt Ordinarii similibus facultatem habentes, vel ultra duas dietas existunt, & non adsunt Ordinarii similibus, non tamen in primo, Consanguinitatis, vel Affinitatis gradibus, vel alias, conjunctis, seu se attinentibus, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientie tantum, gratis tamen dispensandi, & insuper ibidem, locorum Ordinarii &c. etiam in judiciali foro: in reliquis autem Provinciis præfatis, Ordinariorum præsentia deservitis, vel ab eis ultra duas dietas, prædictas, non minus ducentis millibus passuum remotis, Provincialibus, & Deputatis Presbyteris prædictis cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro, gratis dispensandi*: Ita legitur in citato Brevis San. Mem. Alexandri VIII. §. 9. & in citato Brevis San. Mem. Clementis XII. §. 2.

(E) *Cum ejusdem Neophytis in primo gradu, etiam rectæ lineæ, Affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut Matrimonium quoque inter se con-*

PONT. trahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant; in occultis tamen, & in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, gratis tamen  
 A. XVII. dispensandi: Sunt verba citati Brevis San. Mem. Clementis XII. §. pariter 2. 1750

(F) Et insuper quia a nonnullis dubitatum, seu haesitatum fuit, an omnes indigenae illarum Regionum oriundi & naturales, & Christianorum indigenarum etiam Baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati, jure Neophyti appellari possint, idcirco tenore earundem praesentium decernimus, & declaramus, omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium iam Orientalium, quam Occidentalium partium; immo etiam si Aethiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiam si Christianorum filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europaeis mixti progeniti sint, ad concessionis hujusmodi effectum, esse, & intelligi debere Neophytos.... Quin etiam quia de mixtum progenitis, quos Mixtos vocant, majus dubium accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum Neophytos censendos esse decernimus, in gradibus, & matrimoniis contractis, & contrahendis praedictis gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare posse; eisdemque Presbyteris facultatem de super concedimus opportunam: Verba sunt citati Brevis San. Mem. Alexandri VIII. §. 16. in quo etiam confirmatur similis alia praecedens Constitutio San. Mem. Clementis PP. IX., quae incipit: *Animarum salutis*: expedita die 8. Januarii 1699.

(G) Proposito in generali Congregatione Cardinalium Generalium Inquisitorum habita feria IV. die 2. Junii 1618. sequenti Dubio: *An appellatione Neophytorum Indi solum noviter conversi comprehendantur; an non etiam qui sunt originarii per omnes eorum lineas, quae pro una dumtaxat parte ab illis originem trahunt, vulgo Quarterones appellati: & an comprehendantur, qui octavam partem per Proavum & Proaviam, & sive ab alterutro, sive ab utroque habeant, vulgo Pucuelles nuncupati*: Huic Dubio responsum fuit: *Non comprehendendi Quarterones, multoque minus Pucuelles*: Hoc Congregationis Responsum confirmatum subinde fuit, instante Rege Catholico, una cum aliis Declarationibus a San. Mem. Clemente PP. XI. in suis Apostolicis literis expeditis in forma Brevis die 29. Aprilis 1701. & iterum aliis literis Apostolicis in forma Brevis expeditis a summo Pontifice Benedicto XIV. die 7. Julii 1748.

(H) Verba Brevis pro re, de qua nunc agitur, sunt comprehensiva omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, & etiam Aethiopicum, Angolanorum, & quarumvis aliarum transmarinarum Regionum: Id colligitur ex praecitatis verbis contentis in Brevis San. Mem. Alexandri VIII. §. 16.

(I) Verbum, *gratis*, reperitur in omnibus Apostolicis literis & concessionibus ad hanc materiam spectantibus.

(K) Feria IV. die 3. Maii 1752. lecto Memoriali, in quo Procurator Generalis Societatis Jesu postulabat renovationem facultatum extraordinarum in forma Brevis, quae ab anno 1734. a San. Mem. Clemente XII. ad annos viginti pro Missionariis ejusdem Societatis prorogatae fuerant, Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardinales Generales Inquisitores dixerunt: *Pro gratia renovationis Brevis, dempta tamen clausula, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit: & est, quae sequitur: Et insuper locorum Ordinariis, ut de Presbyterorum eorumdem, tamquam Adjutorum, & Assessorum suorum, in locis praefatis, & ubi eorum commode haberi potuerit copia, consilio, & cum illis; etiam in judiciali foro*: Et Feria V. die 4. ejusdem Mensis in consueta Audientia per R. P. Asses. S. Off. a Ss. D. N. Benedicto P. XIV. habita, S. S. benigne annuit pro renovatione Brevis, dempta tamen clausula, ut supra. Hoc decretum communicatum fuit per R. P. Assessorem S. Officii, R. P. Secr. S. Congreg. de propaganda Fide sub eadem die quinta Maii 1752.

(L) Disiisque Ordinariis alios Presbyteros idoneos a se prius approbatos, in locis, ubi non adsint Missionarii similem facultatem habentes, quoad praemissa in sui  
 locum



PONT. locum subdelegandi, licentiam & facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & impertimur: Ita leg. in cit. Brev. San. Mem. Clem. P. XII. §. 2. ANNO

A. XVII. (M) In Brevi Apost. San. Mem. Pii V. exped. die 15. Junii 1563. ita scribitur: 1757  
In foro conscientie tantum perpetuo: Prorogatio ad annos viginti pro foro externo legitur tam in hoc, quam in aliis subsequentiis Sum. Pontific. Brevibus.


§. 2. Nunc autem cupientes, ut ea, quæ prævio examine, in præinserto Decreto definita fuerint, eo firmiter subsistant exactius, præinsertum Decretum singulaque in eo contenta, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus & approbamus, & quatenus opus esset, eadem illam ex integro, ac in omnibus & per omnia juxta præinserti Decreti seriem & tenorem, dicta Apostolica Auctoritate, ac earundem præsentium literarum tenore statuimus decernimus, & ordinamus, illiusque inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas & efficaces existere, suosque integros & plenarios effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, ac respectivo ab iisdem observari debere; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationes, dictæque Apostolicæ Sedis Nuncios, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus contrariis forsan, etiam Apostolicis, seu in Synodalibus, aut Provincialibus Conciliis editis Constitutionibus & ordinationibus seu per dictas Indiarum Regiones investis usibus & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, dictarum Regionum Ecclesiis, etiam Metropolitanis, earumque Præsulibus, seu cujusvis Ordinis, & Instituti etiam præfate Societatis Jesu, Missionibus, & Presbyteris Missionariis, in genere, aut in specie, etiam ad Regum, & aliarumque sublimium Personarum instantiam, seu quorumcumque meritorum intuitu, sub quacumque forma concessis, ac sæpius confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Eccl. Dig. constitutæ munitis, eadem prorsus Fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Januarii MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo septimo.

Cajetanus Amatus.



PONT.

NUM. XCVII.

ANNO

MISSAM CELEBRANTES

A. XVII.

Aut Fidelium Confessiones excipientes ad Presbyteratus Ordinem non promoti, quibus poenitentis ex sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum præscripto subjiciantur; quæ praxi hæctenus in iudiciis adversus hujusmodi reos sit servata, & quomodo in posterum sit providendum.

1757

Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Locorum Ordinarios.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, &c.

QUAM grave, horrendumque scelus admittat, quicumque Sacerdotali Ordine non initiatus, Sacrificium Missæ celebrare præsumit, superfluum certemus multis verbis demonstrare; quum omnibus perspictæ sint rationes, ob  
Pars II. E e quas

PONT. quas sacrilegum hujusmodi crimen merito detestandum, atque districto pœna- ANNO  
rum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicas Prædecessorum  
A. XVII. Nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus severissimæ adversus memorati 1757  
criminis reos pœnæ statuuntur, quæ scilicet a fel. record. Paulo IV. Sixto V.  
Clemente VIII. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus editæ fuerunt; quarum  
Sanctionibus decernitur, ut quicumque Sacerdotali Charactere destitutus, com-  
pertus fuerit Missam celebrasse, Foro sæculari puniendus tradetur.

§. 2. Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus, & confirmavimus  
in nostra, quam usque ab anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLIV. Ponti-  
ficatus Nostri IV. sub dat. XII. Kal. Majus edidimus, cujus initium est; Sa-  
cerdos in æternum, quæque impressa est in Bullario Nostro tom. I. num. 97. ubi  
præterea plures tolluntur exceptiones, & subterfugii, quæ per defensores re-  
torqueri inferri solebant, ut eos eximerent a decreta pœna traditionis brachio  
sæculari; quantumvis legitimis probationibus plane constaret, eisdem Sacerdo-  
tali ordinatione nunquam suscepta, Missam celebrasse.

§. 3. Quamvis autem Ecclesia præfatos Celebrantes non promotos, justitia  
sic exigente Sæculari Foro tradendos decreverit, quum tamen eadem pia Ma-  
ter sit, & ut omnibus constat, lenitatis & misericordiæ viscera gerat, nec uu-  
quam onisit, nec adhuc desinit & mansuetudinis suæ argumenta præbere, tum  
in statuenda forma degradationis verbalis, quæ realem degradationem præcedit;  
tum in ipsa reali degradatione exequenda; tum denique in providis legibus,  
& cautelis editis atque susceptis, ut nequissimos homines arceret a sacrilego  
ausu se se immiscendi sacrorum Mysteriorum celebrationi, absque Sacerdotali  
Ordine, & Charactere viam illis quodammodo præoccupando, qua in præfatam  
pœnam traditionis brachio sæculari prouere possent.

§. 4. In Pontificali Romano habetur forma degradationis verbalis, per quam  
videlicet profertur sententia decernens realem degradationem, non minus in eos,  
qui Sacris Ordinibus, excepto Presbyteratu, insigniti sunt, quam & in cæte-  
ros Clericali tantum Tonsura, aut Minoribus initiatos. Hoc solum inter utros-  
que intercedit diferimen, quod in Clericos Minorum Ordinum, aut simpliciter  
Tonsuratos, verbalis degradatio peragitur, seu quod idem est, degradatio rea-  
lis decernitur, a solo Episcopo, absque aliorum quorumcumque interventu: in  
alios vero Majoribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos non licet Episc.  
ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus, & suffragium simul fe-  
rentibus aliis quibusdam personis, quarum præsentiam, sententiamque Canonice  
leges exposcunt.

§. 5. Celebris est Decretalis Prædecessoris Nostri Bonifacii Papæ VIII. in Cap.  
Degradatio, de Pœnis, in sexto, ubi hæc leguntur: Super quo tibi taliter respon-  
demus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus, vel Gradibus Ecclē-  
siasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in Sacris  
constitutorum Ordinibus certo Episcoporum numero definito Canonibus, facienda;  
quamquam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum præsentia, sufficiat  
in degradatione eorum, qui Minores dumtaxat Ordines receperunt.

§. 6. Notæ sunt etiam Sanctiones Canonum, quos indicat Gloriosa Canonica,  
in citat. Cap. Degradatio in verb. Canonibus — de Pœnis, in sexto, quippe de-  
finiunt numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuntianda sit de-  
gradatio verbalis adversus Clericum in Majoribus Ordinibus constitutum.

§. 7. Nec quemquam latere potest quod in Sacro Concilio Tridentino statu-  
tum fuit Sess. XIII. cap. 4. de Reform. ubi quum animadversum fuisset, non ita  
facile in occurrentibus degradationum casibus reperiri posse numerum Episco-  
porum a Canonibus requisitum, facultas sit Episcopis procedendi etiam absque  
illis; adhibitis tamen, sibi que ea in re assistentibus totidem Abbatibus, in Ci-  
vitate, aut Diocesi residentibus, atque usu Mitræ, & Baculi ex Apostolicæ  
Sedis indulto decoratis, vel, si hi non adsint, aliis personis in Ecclesiasticæ Di-  
gni-

PONT. gnitate constitutis, matura ætate, & sacrarum Legum scientia spectabilibus. ANNO

§. 8. Quoniam vero juxta veterem disciplinam, verbales degradationes peragebantur in Synodis Provincialibus, & in iis quidem singuli Episcopi suum proferebant suffragium; quum nunc Episcopi, vel alii Ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Conciliis Provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse jus ferendi suffragii in degradationibus verbalibus; ad quas, uti Assessores, invitantur; quemadmodum plene demonstratum a Nobis fuit in Nostro Tractatu de Synodo Diocesana lib. 9. cap. 6. num. 4. *novissimæ edit.*

§. 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cujus exequendæ ratio distincte præscribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perspicua lenitatis, & pietatis suæ argumenta præbere. Etenim priusquam degradatum tradat Sæculari Curix Ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne pœna mortis, aut mutilationis membrorum eidem infligatur: *Domine Judex* verba sunt citati Pontificalis *rogamus vos cum omni affectu; quo possumus, ut amore Dei, pietatis, & misericordiæ intuitu, & Nostrorum interveni præcaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis.* Multoque ante Pontificalis Romani compilationem, id ipsum expressum legitur in Cap. *Novimus*, quod est Innocentii III. de verborum significatione ibi: *Pro quo tamen sermo est de degradato, sæculari Curix tradendo, debet Ecclesia efficaciter intercedere apud Judicem Laicum, ut citra mortis periculum, circa eum sententia moderetur.* Videri quoque potest *Alteferra ad citat. Cap. Novimus, de verb. signif.* ubi plures colligit Patrum auctoritates, quæ in prædicata Decretali statuuntur.

§. 10. Ad confirmandum autem assumptum nostrum, de summo pietatis studio, quo Ecclesia etiam nil tale meritis prosequitur, viamque ipsis intercludere nititur, ne mortis pœnam per delicta incurrant; dicimus, antiquissima providentia cautum fuisse, ut qui e propria in alienam Diocesim transgreditur, nisi fuerit in hac plene cognitus, secum ferat Ordinarii sui literas quibus fides fiat, eum esse Sacerdotem, nulloque quod sciatur, Canonico impedimento detentum, quominus Sacra Mysteria celebrare queat. Jam id decretum habetur in Sacra Chalcedonensi Synodo; ubi quum interdictum legatur Clerico, atque Lectori, e sua in aliam Diocesim commigrare; non præobtentis memoratis, quas *Discessus* appellamus, a proprio Episcopo, Jacobus Cujacius, alique post eum accurati Scriptores, monnerunt, cum vera Textus lectione non congruere verbum, *Lectori, sed ignoto*; quemadmodum & ipsi adnotavimus in nostra institutione 34. editionis latinæ §. 1. Quod si vetustiora etiam propositæ disciplinæ principia investigare libeat; consuli possunt Canones, qui Apostolici vocantur, apud Cotelierum in editione *Patrum Apostolicorum Tom. 1. lib. 8.* inter quos adest Canon XIII. ita decernens: *Si quis Clericus, aut Laicus, a communione suspensus, vel communicans, ad aliam properat Civitatem, & suspicatur præter commendatitias literas; & qui susceperunt, & qui susceptus est, communione priventur: excommunicato vero proteletur ipsa correptio, tamquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit.* Consonat huic Canon XXXIV. ut patet ex subjectis illius verbis: *Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, sine commendatitiis suscipiatur Epistolis, & cum scripta detulerint, discutiuntur attentius: & ita suscipiantur, si probatione pietatis extiterint: sin minus, nec quæ sunt necessaria subministrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.*

§. 11. Porro quidquid disputent eruditi de vero Canonum Apostolicorum Auctore, certum est, eos magnum auctoritatis pondus habere, quum saltem sæculo Ecclesiæ tertio decurrente collecti fuerint ex pluribus Conciliis ante Nicænam Synodum celebratis: uti nunc temporis inter sacrarum antiquitatum investigatores convenire videtur.

PONT. 5. 12. Sanctissimis hisce Legibus conformes sunt Concilii Tridentini Sanctio- ANNO  
nes: conformes sunt Epistolæ Encyclicæ a Congregationibus Urbis ad Ecclesia-  
rum Antistites sepæ transmissæ. Idque etiam pro firmo tenendum est, quod 1757

licet non oporteat Episcopum sollicitum esse de Regularibus, qui in propriis Ecclesiis Missas celebrare intendunt, quum ejus rei cura reservata sit eorum Superioribus Regularibus: si quis tamen Sæcularis Regularis Sacerdos in Ecclesiis Regularium Missam celebrare velit, hic etiam debet literas Discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cujus Diœcesi Sacrum vult peragere; uti videre quoque est in Nostra Institutione 44. Latinæ editionis s. 12.

§. 13. Veterem hanc, justissimamque Sanctionem, de cujus executione plura tradiderunt nostri Scriptores pragmatici, quos inter merito memorandus est diligentissimus Monacellius. *Formular. Legal. Part. 1. Tit. 4. Formul. 6. pag. 79. Item Tit. 9. Formul. 18. pag. 160.*) providis excogitatis cautelis plurimum roboravit magnus Ecclesiasticæ disciplinæ restitutor S. Carol. Bor., cujus hæc de re Decreta pluribus in locis extantia studiose legenda, & exponenda monemus; videlicet in Concilio Provinciali Mediolanensi primo habito anno 1565. part. 2. in secundo pariter Provinciali anni 1569. Tit. 2. Decret. 1. ac in Provinciali tertio, anni 1573. item de Instructione ad Sacerdotes de celebratione Missæ, ac denique in Concilio Provinciali quarto celebrato anno 1736. Quibus in locis constitutam habetur, ut Parochus, in cujus Parœcia Sacerdos alienigena domicilium figit, si id per Diœcesim contingat, intra octo ad summum dies, illius adventum nunciare debeat Vicario Foraneo, qui rem ad Episcopum deferat; si autem in Civitate, Parochus ipse de omnibus certiorem faciat Episcopum, qui sibi literas discessus ab hujusmodi Sacerdote exhiberi mandet, easque inspiciat, totumque earum tenorem sedulo expendat. Si enim Ordinarius Subdito sibi Sacerdoti licentiam abessendi ad certum definitumque tempus indulserit, facultas celebrandi Missam eidem non ultra tempus illud concedenda. Notanda quoque jubetur dies, qua expeditæ fuerunt literæ discessus; ne scilicet ante eam diem, qua inspiciendæ, ac discutiendæ offeruntur, antiquiores sint duobus, vel quatuor, aut respective sex mensibus; duobus nimirum, si literæ confectæ sint intra Provinciam, quatuor vero, si extra Provinciam, in Italia tamen expeditæ fuerint; si denique, si extra Italiam datæ comperiantur.

§. 14. Ex omnibus hisce tum generalibus, tum peculiaribus sanctionibus manifeste defumitur, quantopere Ecclesia abhorreat ab ea pœna ad effectum perducenda, quam Sacri Canones in Celebrantes non promotos sanxerunt; quandoquidem tot veluti aggeres hominibus objicitur, ne in hujusmodi delictum labantur, unde locus fiat executioni ejusdem pœnæ Sacris Legibus definitæ.

§. 15. Majoris tamen ponderis, ad hoc ipsum evincendum, est id, quod subjicimus. Sinit se aliquis coram Ecclesiastico Judice, seque ipse denunciatur, quamvis Sacerdotali Ordine destitutum, Missarum Sacrificia celebrasse, vel etiam Sacramentales Christianissimum Confessiones audisse. Ita se sponte sistens, eo privilegio gaudet, ut impositis ipsis salutaribus Pœnitentiis, dimittatur; nisi tamen in ipso suo Constituto diminutus ut ajunt, vel aliunde præventus fuerit; in his enim casibus carceribus custodiendus includitur. Sed si idem subinde Judici interroganti, ansiciat causam, ob quam carceribus mancipatus sit, statim, non expectatis ulterioribus interrogationibus, seu quaestis, sincere rem totam aperiat; quamvis de illius incurso in pœnales Apostolicarum Constitutionum sanctionum non dubitetur; ideoque dignus sit, qui sæculari Foro, uti capitalis criminis reus, libere tradatur; nihilominus admittitur ad beneficium minorationis pœnæ, commutata ipsi pœna mortis in damnationem perpetuam ad triremes; uti testatur bon. mem. Cardinalis Albitius harum rerum pertissimus in suo Tractatu de Inconstantia in Fide part. 1. cap. 14. num. 70. Si vero citatus, & vocatus ad generalem interrogationem, an sciat qua de causa fuerit vocatus, vel sciat causam sue carcerationis, vel quomodo hic reperitur, facietur

PONT. de plano veritatem, is tractatur, ac si esset sponte confessus, & cum eo mitius ANNO  
 agitur, præsertim post condemnationem, ut scilicet gravior pœna commutetur in  
 A.XVII. mitiorem &c. Et ita fuit resolutum in S. Congreg. sub die 12. Maii 1604. 1737

§. 16. Illud etiam animadversione dignum est, quod quamvis in Pontificali Romano præscripta reperiatur degradatio, etiam a prima Clericali Tonsura; licet de hac quæstio sit, an inter Ordines numerari debeat, nec ne; possitque Judex Ecclesiasticus, uti prænotavimus, quando agitur de Minoribus Ordinibus, solus per se verbalem Degradationem peragere, quod ipsi non licet sine aliorum interventu, ubi res est de Ordinibus Majoribus; nihilominus tunc temporis Sacerdotes, alique Clerici, tam Majorum, quam Minorum Ordinum, ad triremes libere amandantur, vel etiam perpetuo carceri mancipantur, sine prævia verbali, multoque minus reali Degradatione; ubi cuique perspectum est, & adnotatum quoque fuit a Sacerdote Catalani *Commen. ad Pontif. Rom. Tit. 16. §. 4. num. 6. Tom. III.*

§. 17. In Tribunalium Ecclesiasticorum carceribus nunc quoque satis superque reperiuntur aliqui, eo nomine detenti, quod Sacerdotali Ordine carentes, Missas celebraverint, Sacramentales Fidelium Confessiones exceperint, iidemque etiam Eucharisticam Communionem expetentibus, Particulas distribuerint a se nulliter consecratas. Hos inter, duo erant, qui statim ac interrogati fuerunt, num detentionis suæ causam scirent, omnia ingenue confessi sunt; orta est quæstio, an iidem admittendi essent ex quo ad beneficium minorationis pœnæ; ita nimirum, ut non quidem Sæculari Foro traderentur, tamquam capitis rei; sed potius in Triremes, seu Carcerem perpetuo detruderentur.


§. 18. Nulla quidem discordia detecta est in suffragiis eorum, qui sive consulendo, sive judicando, in prædictorum Causis sententiam dixerunt, super eo, an uterque reus pœnam traditionis Foro Sæcularis, atque adeo Capitis pœnam incurrisset. Verum nonnulli subdiderunt, attentata eorum prompta confessione, qua unusquisque delictum suum plene aperuerat, non expectatis ulterioribus Judicis interrogationibus; ambos promeritos esse, ut pro sponte confessis haberentur, utque propterea ad Triremes dumtaxat, vel Carcerem perpetuo damnarentur. Alii autem numero plures censuerunt, eosdem, tamquam capitis reos, brachio sæculari libere tradendos esse.

§. 19. Nos vero quamvis ob ægritudinis nostræ pervicaciam, Congregationibus super his habitis, ut semper alias Nobis in more positum fuit, interesse non potuerimus; quum tamen subinde Pontificiæ clementiæ & mansuetudini magis consentaneum existimavimus, in mitiorem sententiam concedere; eo vel magis, quod & Cardinalis Albitius in hujus generis rebus adeo versatus, testatum reliquit, ejusmodi pœnæ minorationem, veluti præmium, indulgeri consuevisse iis, qui ad primam Judicis interrogationem delictum suum integre, aperteque facentur; & plura suppetunt exempla causarum, quæ in similibus circumstantiis ita transactæ fuerunt. Itaque volumus præfatos reos promeritæ pœnæ minoratione in præsentis casu gaudere, nimirum Triremibus perpetuo addici, ita ut ab iis nunquam dimitti seu pœnæ hujusmodi commutationem ullam impetrare valeant, præterquam a Romano Pontifice pro tempore existente, ac de eorum delictis, cum omnibus adjunctis circumstantiis, edocto; relicta dumtaxat Judicibus facultate, ut quoties perpetuum Triremium Opus præfatis reis minime congruere videatur, in illius locum subrogare valeant perpetuam in ergastulo aut reclusionem carcere, si reliqua ipsis ad id necessaria non desint. Præterea volumus atque mandamus, ut quum damnatio ad Triremes, seu ad perpetuam reclusionem, ut supra præfatis reis formiter intimanda erit, id fiat a Judice, præsentibus iis, qui ad Ecclesiarum Sacra moderanda deputati sunt, quique ad hujusmodi actum evocandi erunt ad ipso Judice, sub pœnis ejusdem arbitrio insligendis; atque ea occasione gravis admonitio iis fiat, de omnimoda obser-

PONT. observantia & executione eorum, quæ sæpe præscripta sunt; ne scilicet igno- ANNO  
 tos Sacerdotes Missam celebrare permittant, nisi postquam Literæ discessus,  
 A. XVII. quam secum a propria Diœcesi prodeuntes attulerunt, recognitæ & examina- 1757  
 tæ fuerint per eum, cui hujusmodi cura demandata est. Id ipsum enim præ-  
 stitum alias fuisse meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. Prædecesore  
 Nostro Clemente Papa XI. tunc quum sæculari Foro traditus fuit reus qui-  
 dam capitali pœna plectendus eo quo Sacerdotali Ordine non insignitus, Mis-  
 sam celebraverat.

§. 20. Cum iis igitur, qui usque nunc comperti fuerint ad Sacrum Presby-  
 teratus Ordinem non promoti, Missam celebrasse, aut Sacramentales Confes-  
 siones excepisse, juxta rationem hætenus descriptam, a competentibus judici-  
 bus, & Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam hujusmodi crimen,  
 utpote gravissimum, & satis superque frequentatum, omni ratione præcaven-  
 dum, & quantum fas est, a Christiana Reipublica eliminandum, extirpandum-  
 que Nobis esse cognovimus; novam hæc de re legem a Nobis statutam per  
 Apostolicam Constitutionem, (cujus exemplum Epistolæ huic adnexum Frater-  
 nitas tua accipiat) in posterum, post tres scilicet menses ab ejusdem Consti-  
 tutionis datâ computandos omnino servari, & ad effectum perducendum  
 Tibique interim, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter  
 impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 2. Augusti 1757. Pontificatus  
 Nostri Anno XVII.



PONT.

N U M. XCVIII.

ANNO

A. XVII.

CELEBRANTIBUS MISSAM,

1757.

*Aut Fidelium Confessiones excipientibus, sine Sacerdotali Charactere, sincera cri-  
 minis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil suffragatura decerni-  
 tur, ad evadendam pœnam traditionis brachio sæculari, indictam in Constitu-  
 tionibus Apostolicis.*

BENEDICTUS PP. XIV.

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad Perpetuam Rei Memoriam.*

**D**ivinarum, humanarumque Legum custodia vigilantia Nostræ concredita  
 hoc Nobis onus imponit, ut assiduo studio caveamus; ne scelera atque  
 flagitia contra ipsas Leges committantur, & ut ea, quæ ab iniquitatis  
 filii perpetrari contingat, juxta pœnarum rigore, ad formam Sanctionum iis-  
 dem Legibus adscriptarum, puniri & vindicari curemus.

§. 2. Sane Nos alias, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sa-  
 cerdotalem Ordinem non promoti, Missarum Sacrificia celebrare Fidelium Con-  
 fessiones excipere, & accedentibus ad Eucharisticam Mensam, Panem a se nul-  
 liter consecratum distribuere, ausu temerario præsumerent; Sacerdos in æter-  
 num: datâ XII. Kalen. Maii Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLIV. Pon-  
 tificatus Nostri Anno IV., antiquiores Prædecessorum Nostrorum Romanorum  
 Pontificum Constitutiones adversus hujus generis delinquentes jampridem editas  
 confirmantes, & innovantes, complures alias declarationes, atque cautelas ad-  
 dimus, ad eliminandum a Christiana Reipublica sacrilegum ejusmodi facinus  
 maxi-

PONT. maxime opportunas, quæ distincte legi possunt in citata Constitutione nostra, ANNO impressa in Bullario nostro Tom. I. num. xcvi.

A. XVII. §. 3. His tamen amplio rem providentiam nunc superaddere cogimur, ut 1757 aliud delinquentibus effugium ibi non enunciatur, & ab inventa sensim in Tribunalibus consuetudine jam ipsis pene concessum, quo debitas sibi graviores pœnas plerique evadere possent, una cum cæteris prædictam Constitutionem Nostram sublati, pariter adimamus.

§. 4. Invenimus siquidem hunc morem hætenus observari consuevisse, ut si Reus constitutus, quum primum a Judice interrogatus fuerit, an sciat quæ de causa carceribus inclusus sit, aperte & candide delictum suum fateatur & narret; tunc is veluti sponte confessus, ad obtinendam pœnæ minorationem habilitetur; quod nimirum eo recidit, ut ad Triremes, vel ad Carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam Foro Sæculari tradatur, tamquam capitalis criminis reus, quemadmodum præfata Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, a Nobismetipsis, ut supra diximus, confirmata, & innovata præscribunt; uti latius a nobis expositum est in Epistola Encyclica ad Antistites Ordinarios Locorum, & Judices in hac materia competentes, hac ipsa die per Nos data.

§. 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerosque reos, qui Sacerdotali Charactere carentes Missam celebrarunt, aut Sacramentum Pœnitentiæ nulliter ministrarunt, de hujusmodi Tribunalium indulgentia satis edoctos, vix unquam omittere, quin statim atque carceribus detenti, & coram Judice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc ut traditionem Foro Sæculari, extremumque supplicium exinde consequens, evadant; quumque hac ratione re ipsa eveniat, ut vix ullus sit ex hujusmodi criminis reus, qui moderationem pœnæ in præfatis Constitutionibus statutæ non obtineat; eoque beneficio fruatur, ut quum Sæculari Foro, tamquam capitali iudicio damnatus, & mortis reus, tradendus fuisset, perpetuo potius Carceri, aut Triremibus mancipetur.

§. 6. Idcirco Nos perniciosam hujusmodi praxim de medio tollere coacti, motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per hanc nostram perpetuo valituram Constitutionem decernimus, atque statuimus, in posterum, videlicet post tres menses a data præsentium Literarum computandos, nulli amplius Clerico, sive Laico sæpediti criminis reo, promerita pœnæ minorationem ullam concedi debere, sive posse, intuitu promptæ apertæque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Judici fassus fuerit; sed, ea non obstante, omnes & singulos in præcedentibus Constitutionibus hac de re editis comprehensas, a Judice competente, in casibus ibidem expressis, prævia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, & esse brachio sæculari, capitali pœna puniendos.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, Nostrosque & Apostolicæ Sedis etiam de Latere Legatos, seu Nuntios, & quibuscumque Tribunalibus, & Officiis, etiam specifica mentione dignis, sublata cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, definiri, & post lapsum trium mensium, ut supra, ad executionem, & effectum omnino perducere debere.

§. 8. Non obstantibus contrariis quibuscumque generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & Decretis; necnon dictorum Tribunalium, & Officiorum praxi, stylo, statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Personarum quoque, Locorum, & Ordinum, Congregationum, Societatum, Institutorum, & Militarium Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, quæ supradictæ prioris Constitutionis Nostræ executioni decrevimus non obflare: Quibus omnibus & singulis etiam ad præsentium Literarum no-

PONT. strarum effectum , iterum plenissime derogamus , cæterisque contrariis qui- ANNO  
bucumque .

A. XVII. §. 9. Nulli ergo hominum liceat , paginam hanc nostrorum Decretorum , 1757  
Statutorum , & Derogationum , infringere , vel ei ausu temerario contraire .  
Si quis autem hoc attentare præsumpserit , indignationem Omnipotentis Dei ,  
ac Beatorum Petri , & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum .

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ  
MDCCLVII. Quarto Nonas Novemb. Pontific. Nostri Anno Decimoseptimo .

J. Card. Pro Dat.

D. Card. Passioneus .

PONT.

N U M. XCIX.

ANNO

A. XVII.

E P I S T O L A

1757

S. D. N. B E N E D I C T I Papæ XIV.

*Ad Reverendissimum Dominum Ignatium Realem Primum Pontificiarum Cere-  
moniarum Magistrum de celebratione Missæ a Sedente .*

Dilecto Filio Magistro Ignatio Reali Apostolicarum Cere-  
moniarum Præfecto .

B E N E D I C T U S PP. XIV.

*Dilecte Fili Salutem , & Apostolicam Benedictionem .*

**A**etas Anni 1756. proximi præteriti variis corporis afflictationibus Nos  
oppressit , quæ ætas nostra gravis admodum , atque non intermissi a  
prima juventute labores progignere videbantur . Morbi initium , prout  
fieri assolet , leviozem vim exerebat ; hinc a Nobis ipsis Episcopatus Ordine  
insigniendum esse reputavimus Reverendissimum Dominum Carolum Camutium  
Justinopolis , sive Ægidæ Antislitem , cui rei perficiendæ Tu utpote primus  
Ceremoniarum Magister opportuna quæque disposuisti , & de qua Nos die 20.  
Octobris 1756. Epistolam dedimus ad Præfulem ordinandum , quam typis im-  
pressam quartus Bullarii Nostri Tomus propediem lucem publicam visurus  
num. 64. exhibebit .

§. 2. Malum , quod in suo exortu levius videbatur , progressu suo exasperatum est haud mediocriter ; insequentibus quippe mensibus bis morientium Viatico muniti , bis extremum innunti ; & bis pariter , juxta Romanorum Pontificum probatum morem Fidem sumus professi . E gravissimis hisce discrimini- bus erutos Domini benignitas in eam nos constituit coporis habitudinem , qualis nunc est , quæque intelligentiæ facultatem adeo Nobis non eripuit , minuitve , ut divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam : Exteris non minus , quam publicarum rerum curam gerentibus Nos alloquendi facultatem concedimus , opportuna mandata singulis imponentes : Inter sumus Confessui , quem Consistorium dicunt , & Sancti Officii Congregationi semel in hebdomade sub Nostro obtutu haberi solitæ : Scriptorum calamus pro exigentia , & more quæ occurrunt necessaria excipit : Basilicas quoque Romanæ Urbis invisimus quandoque , nusquam tamen e Sede gestatoria , qua suslinemus descendentes .

§. 3. Dies erat 27. Octobris Divis Simoni , & Judæ Apostolis Sacra , & Justinopolitani Antillis Consecratione celebrata , ex qua sacris amplius operati  
non



PONT. non sumus, pedibus nulla ratione Nos sustinere valentibus; diebus vero, qui-  
 ANNO  
 ANXVII. tes, aut sedentis in modum lecto incumbantes, neque sub id temporis Missam  
 2. Nobis celebrari posse sperabamus, quod Medici spem Nobis fecissent mitiga-  
 1757. tæ æstatis beneficio aere omiſſa interea compensatum iri. Verum nihilo fir-  
 miores effecti temporis illa vicissitudine etiam annua, videbamur per reliquam  
 vitam omnem pedum juvamine, & spe simul augusta mysteria celebrandi exci-  
 disse, jamque huic necessitati lubentes obtemperabamus. Id porro solum est re-  
 liquum, ut disquiramus, semperne Sacra Communionem sumus reficiendi, aut ve-  
 ro Missa sit celebranda sedentibus.

§. 4. Lubentes Nos huic necessitate cessisse diximus; neque enim a Deo sive  
 vitam, sive infirmitatis ablationem petivimus, sanctissimæ ejus voluntati omni  
 cordis plenitudine & sinceritate subiecti, certi, Ipsum, & Animæ nostræ, &  
 Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ curam habituram, concessio etiam aliquo vitæ  
 spatio. Diximus præterea tempus adesse, quo determinandum esset, pergendumne  
 in consueta hucusque Sacræ Eucharistiæ sumptione, an vero Missa esset cele-  
 branda sedentibus. Cum vero Salomon Prov. cap. 3. hortetur: *Ne innitaris pru-*  
*dentia tuæ, quæ eadem verba in Decretali, ne innitaris, de Constitutionibus*  
*laudata sic illustrat Jansenius in Proverbia: Vetat niti suæ prudentiæ, quod est*  
*sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum, & provisionem*  
*rerum necessariorum. Similiter Salazar in eundem Proverbiorum locum n. 26.*  
*cum S. Joann. Chrysostomo observat, hac lege teneri etiam senes quantumcum-*  
*que rerum experientia præditos, & quocumque prudentiæ baculo suffultos.*  
*Baculus, inquit Chrysostomus, senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo*  
*spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiæ, vel prudentiæ propriæ non*  
*inniti. Nam, si qui possent certo propriis consiliis, & prudentia fidere, maxime*  
*senes, & grandævii propter experimentum, & canos. At ergo: Ne prudentia,*  
*quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectatem perveneris, cum opus est bacu-*  
*lo, ne tunc quidem tua prudentia, quasi baculo utaris. Hinc est, quod Nos ad-*  
*ducti in utramque partem argumentis sive pro sumenda ulterius Communionem,*  
*sive pro celebranda Missa sedendo militantibus, statuimus hanc nostram lucu-*  
*brationem variorum pietate, & doctrina conspicuorum Virorum trutinacioni*  
*committere, ut secundum illorum judicia, quæ agenda sint, constituamus.*  
*Æneas Sylvius Piccolominus, postea Pius II. in Pontificia Dignitate, dictus in*  
*Epistola ad Martinum Mayorem Moguntinensis Archiepiscopi Cancellarium data,*  
*& in ipsius Commentariis Romæ 1584. edita necessitatem exponit, qua Pon-*  
*tifex alios consulere tenetur: Papa etsi doctus, & sapiens est, non tamen tam*  
*verbo suo sapit, quam consilio Assistentium; & deciperetur forsitan aliquando, nisi*  
*astarent viri sapientes, qui multa noscant. Magno Nobis documento, qui nec*  
*sapientia, nec doctrina præcellimus in negotio præsertim Nos ipsos concernen-*  
*te, in quo amor proprius Nos insigniter posset decipere absque aliorum pru-*  
*dentia consilio.*

COMMENTATIO

*Satis ne sit, Sacram Communionem recipere, more hætenus a Pontifice  
 servato, an Missam celebrare sedendo.*

§. 5. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco, quæ recipiendam  
 porro communionem concernunt, omiſſa celebratione Missæ a sedente perficien-  
 da, inde gradum facturi ad partem alteram, quæ Communionis loco Missam a  
 sedente celebrari permittit.

§. 6. Docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 93. art. 1. *Ad secundum*: justos ante le-  
 gem interiori quopiam instinctu didicisse modum Deum colendi, quem alii quo-

PONT. que fuerint immitati: *Ante tempus legis iusti per interiorē instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur. Per Legem vero postmodum inducta fuisse præcepta externa, quibus ad ea perficienda, & instruebantur, & adstringebantur: Postmodum vero exterioribus præceptis, pergit Angelicus Doctor, circa hoc homines sunt instructi, quæ præterire pestiferum est.* ANNO  
A. XVII. 1757

§. 7. Abrogata postmodum per Christi adventum Mosaicæ legis observantia, & Evangelio promulgato, non quidem omnes Ritus ad Sacramentorum administrationem, Missæque celebrationem pertinentes ab Apostolis fuere instituti, sed eorum plerique ab Ecclesia præscripti, quod tamen minime evincit, quin omnes adamussum sint observandi. Suarez tom. 3. in 3. part. D. Thomæ qu. 83. art. 5. disput. 84. sect. 1. post relata Sancti Pauli Apostoli verba 1. ad Corinth. 14. omnia secundum ordinem fiant in vobis: inquit, adaptam fuisse Ecclesiam ad constituendum ordinem stabilem circa res etiam minutissimas spectantes ad ritum administrandi Sacramenta, & Missæ celebrandæ: & ideo oportet in his omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui: si namque cuiusque arbitrari id fuisset relictum, multa indecore, & imprudenter fierent: quid quod eadem apud omnes rituum ratio & Ecclesiæ unitatem commentent & intentatam Pastorem sollicitudinem? Hæc uniformitas, quæ in his omnibus servatur, ad splendorem officii Ecclesiastici spectat, & unitatem Ecclesiæ commendat, & Pastorum ejus curam ac sollicitudinem.

§. 8. Jam vero ut ad materiæ nobis propositæ fundum mittamus bolidem; generales regulæ, quæ rubricæ dicunt Romani Missalis t. 17. vetant sessionem in Missis privatis, quam tamen concedunt in solemnibus, dum Kyrie, Gloria, & Credo a Choro decantatur. Tridentinum vero Concilium Sess. 7. de Sacramentis in genere can. 13. omnem quantulacunque mutationem rituum prohibet, & S. Pii V. Bulla Missali præfixa rubricarum observationem exigit omnimodam. Ex quibus perspicuum videtur, quod si quis alio modo, quam sedendo celebrare Missam nequeat, Communionem Laicorum more contentus a celebratione abstinere teneatur.

§. 9. Quid vero, si quis ad sedentariæ Missæ celebrationem dispensetur? Verum, cum Rubricæ sessionem prohibeant, videtur illa irreverentiam continere, quæ dispensationis remedio non tollitur. Theophylus Raynaudus in Opere inscripto: *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis experts.* Tom. 6. pag. 495. §. 4. & seq. dilucide illam irreverentiam docet. Extat quoque Opusculum S. Petri Damiani num. 39. editionis anni 1743. in quo Episcopus Bifuntinum hortatur ad arcendum a sua Diocesi opprobrium ignominiosæ sessionis. In Decreto etiam Gratiani Gemini hanc in rem Canones adducuntur 57. videlicet, & 68. de Consecrat. dist. 1. primus ita habet; *Nullus Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire.* Alter vero ita sonat: *Apostolica Auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, ut Sacerdotes, & ceteri omnes præsentés, non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent.*

§. 10. Neque sermo Nobis est de dispensatione ad celebrandam Missam a sedente, qui tamen Canonem stans absolvat, quod alias concessum scimus, sed agitur de integra Missa sedendo celebranda, cujus exemplum haud extare dicitur. Pasqualigus de Sacrificio novæ Legis tom. 1. qu. 227. quærit: *An Sacerdos dum celebrat, sedere possit?* Atque negative resolvens propter obstantem irreverentiam: ad Pontificiam dispensationem deflectens quæstionem, ait, illam non oportere concedi ad integram Missam; convenientius fore, si Sacerdos ob pedum debilitatem integram Missam absolvere nequeat intermisso tantisper, continuo ordine, sedendo vires resumat: *Satius esset, quod potius interrumpere Missam, & sedens quiesceret ad recuperandas vires, quam sedendo celebraret.* Id quod fieri vidimus ab homine pio, & docto Inquisitore Perusino, qui jux-

PONT. ta tenorem obtentæ dispensationis omne absolvendo Canonis tempus explere ANNO  
stando non poterat, pedibus officium suum denegantibus.

A. XVII. §. 11. Superflua forte videbuntur hæc adducta contra Missam sedentariam, præsertim si de Canone pariter sermo instituatur; cum ipsa sessionis prohibitio non a lege naturæ, aut Dei, sed positiva solummodo inducta sit: Pontifex autem Romanus omni positivo-jure si superior, facillime eidem derogando veniam facere poterit Missam omnem, ipsumque adeo Canonem sedendo absolvendi.

§. 12. At vero meminisse oportet esse casus nullo aut naturæ, aut Divino jure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam dispensare consuevit, quamvis soli positivæ legi derogaturus.

§. 13. Non convenit inter Theologos, an Matrimonium inter Fratrem & Sororem, jure naturali, Divino, aut humano prohibeatur: Certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Parisius, & Aversa solam juris positivi prohibitionem agnoscunt; neque tamen ullo probato testimonio evincitur, a quopiam Pontifice admissas fuisse preces Fratris, & Sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium: quæ enim a S. Sedis hostibus proferuntur exempla, falsa sunt. Institit equidem Henricus VIII. Angliæ Rex vehementer apud Clementem VII. ut spurie ipsius filio Duci Richemundensi ducere liceret Mariam e legitimo Henrici, & Catharinæ toro Prognatam, repullam vero tulit illico; similiter dispensatio illa, cujus obtentu Dux Armeniacensi Sorori suæ nupsit, subreptitia omnino erat, cum Calixtus III. constanter eam concedere recusaverit. Hæc uberius relata, & comprobata reperies apud Riganum in *Reg. 49. Cancellariæ a num. 13. ad 17.* Nosque viri hujus mentionem honorificam eo facimus liberentius, quod nostram, dum in *Minoribus* essemus constituti, amicitiam peculiarem singularibus animi dotibus, & utilissimo illarum usu sibi vindicaverit.

§. 14. Matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ rectæ jure tantum positivo interdicitur, asseritque Sylvius magni nominis Theologus, Pontificem dispensare posse cum Vitrico, & Privigna; ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex causa etiam gravissima dispensaverit in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, prout ostensum a Nobis est *lib. 9. de Synodo Diocesana cap. 13. num. 4. Edit. noviss.*

§. 15. Impedimentum criminis secuta etiam conjugis occisione a positivo jure est stabilitum; quod patet ex hebraica lege matrimonium post copulam, & conjugis occisionem irritum non agnoscente: Atque Ipsi probe meminimus rejectam esse a Tribunali S. Officii, cui in *Minoribus* a Conciliis eramus, petitionem Judæi cujusdam criminis impedimentum Hebræorum Matrimoniis opponere volentis, si post conjugis occisionem fuissent contracta. Sane nemo Davidis cum Bethsabea matrimonium irritum credidit, quamquam Adulterium præcesserit, & Uriæ interfectio. Cum itaque Matrimonium hujusmodi jure solum positivo prohibeatur, adeo difficulter dispensatio concedenda nec fuisset, nec esset, concurrente præsertim causa legitima, si generalis illa regula subsisteret, facile dispensari in prohibitis jure tantum positivo: neque tamen exemplo ullo constat, Pontificem dispensasse in impedimento hujusmodi publico. Videantur quæ hanc in re congescit Miglioruccius in *Institutionibus Canonici ad lib. 2. tit. 14. in explicationibus ad num. 9. & 10. ubi conjugis occisio secuta sit, numquam dispensatur, non quia Pontifex non possit*: Si impedimentum sit occultum Major Pœnitentiarius dispensat in Matrimoniis tum contractis, tum contrahendis pro foro interno, commisso adulterio, sed neutro machinante; verum si impedimentum oriatur ex adulterio, utroque vel altero, machinante, sitque occultum, habet quidem Major Pœnitentiarius facultatem dispensandi, raro tamen, & semper pro foro tantum interno, his quoque servatis, ut gravis concurrat necessitas, aut grave imminet periculum, & casu in plena

PONT. Congregatione; aut Pœnitentiariæ Signatura proposito. Videatur Constitutio ANNO  
Nostra XCV. *Pastor bonus tom. 1. nostri Bullarii §. 4.*

A. XVII. §. 16. Hastenus in medium allata abunde commonstrat non temere pro re- 1757  
gula statuendam, quod prohibitis Lege solum positiva, non vero naturali,  
vel divina derogandi plena, & non circumscripta sit Pontifici Romano liber-  
tas: immo exemplis adductis illud adungi potest de Missa sedentaria una cum  
Canone celebranda: namque Missæ hujus oppugnator concessionis similis me-  
moriam haud extare contendit.

§. 17. Neque dictis obest, quod dispensationis ejusmodi denegatio impediat  
magnum bonum, edificationem nimirum populi ex Episcopi celebratione, qua-  
licumque demum valeret modo, peracta, provenituram; namque edificatio illa  
neutiquam obtinetur, cum dispensationes istæ celebrandi sedendo, excepto tem-  
pore Canonis, clausulam contineant, ut Missa in privato Oratorio celebretur  
ad evitandam Populi mirationem; atque cum bonum illud obtineri possit,  
præscindendo a motivo præmissio, non videtur illius consecutio querenda  
novitatis hujus in Ecclesia intrusione; Episcopi siquidem pietas nutrirî potest  
per Communionem *more Laicorum* sumptam, qui autem pro Populo sacrificium  
offert, substituere sibi potest Sacerdotem alium.

§. 18. Magnam beneficium est, si infirmo, quoad petit Sacrum Viaticum a  
Sacerdote porrigatur: Verum si nequidem una habeatur candela, si vestes sacra-  
ræ desint, si alio profectus esset Sacerdos casum haud prævidens clavesque  
Tabernaculi secum ferens: tum enim vero infirmus Viatici Sacri munimine  
carebit quidem, docebitur tamen sufficere desiderium, & Sacramenti perceptio-  
nem *in spe*, cum nequiverit recipere *in re*: Similiter, & in Sacerdote sufficiet  
prompta ministrandi infirmo Viaticum voluntas, cum Missæ celebratio absque  
luminibus aut sacris indumentis licita non sit, nequidem pro ministrando Via-  
tico, juxta probatiorem opinionem, qua de re actum est *in nostro Tract. de Sac.  
Miss. tom. 2. sect. 2. cap. 1. §. 3. Edit. Ital. sect. 2. num. 52. Edit. Latine.*

### C O M M E N T A T I O

*De celebratione Missæ etiam sub Canone a sedente, quin obligetur Sacer-  
dos stare non valens ad recipiendum semper Communionem  
more Laicorum.*

§. 19. Afferens bene concedi licentiam, ut Sacerdos debilitate pressus sedendo  
Missam, ipsumque adeo Canonem absolvere possit, contendit, sessionem inter  
divinas preces nec indecentem esse, nec opprobrio plenam. In Actis Aposto-  
lorum cap. 2. legimus, Divinum Spiritum descendisse super Apostolos in Cœ-  
naculo sedentes: *Et replevit tota domum, ubi erant sedentes.* Ideoque Cardina-  
lis Cajetanus in Acta Apostolorum ita commentatur: *Non horreo sessionem cor-  
poralem, cum nihil indecens inducat.* Additque Navarrus in *Manuali de Oratione*  
cap. 4. num. 12. situm corporis sedentarium non esse incongruum orantibus.  
Admittit quidem Sedentariæ Missæ Patronus, indecens esse Missam celebrari a  
sedente; at tamen causa legitima concurrente, puta pedum, nequidem Canonem  
stano perficiendum permittente, sufficiens motivum haberi ad concedendam  
sessionem per totam Missam, non quidem singulis, sed spectabilioribus a Clero  
propter Dignitatem suam Ecclesiasticam multoque magis Episcopis ad celebratio-  
nem ex munere suo adstrictis. S. Petrus Damianus adversabatur vehementer  
sessionem in precibus, *sub finem tamen prælaudati Opusculi cap. 4. pag. 336.*  
*hec addit: Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat.* Nec pacatior ses-  
sionis in orando osor Trophilus Rainaudus *loc. cit. pag. 503. col. 1.* ita habet.  
*Quis sedere coram Deo audeat in jussu ejus? At abest Dei munus, vel jussum de  
sibi assidendo, si abest ægritudo corporis sessionem deposcens; ea enim corporis in-  
beci-*

PONT. *becillitas Divinæ Indulgentiæ ad sedendum concessæ tessera est ex natura rei.* Anno  
 Cumque in Canone 131. Concilii Acquisgranensis legamus: *Nec cum baculis in*  
 A. XVII. *Choro exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum, & psallendum est.* Erud. 1757.  
 ditus Pater Hæfrenus in *doctis suis disquisitionibus monasticis lib. 7. disquis. pag.*  
 705. in Canonem explicat: Quod autem debilibus hic legimus baculum indul-  
 geri, cæteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus  
 in *Philoth. cap. 24.* postquam autem non permittebat senectus, ut citra mole-  
 stiam stare posset assidue, sustentaculum ei præstabat baculus, cui innixus Do-  
 minum & laudabat, & orabat.

§. 20. Et sane, si media omnia adhibentur, ut Sacerdos ad Missæ celebra-  
 tionem ineptus effectus, dispensationis remedio ad eam celebrandam reddatur  
 idoneus; si conatus omnis intenditur, ut auferantur impedimenta Laicos a  
 Sacramentorum perceptione arcentia; mirari nemo debet, si non solum ali-  
 quibus pedum debilitate laborantibus concedatur facultas Missæ sedentariæ Can-  
 none excepto; sed si dignioribus Ecclesiæ Ministris Episcopis præsertim eadem  
 pedum infirmitate oppressis permittatur sessio sub ipso quoque Canone, &  
 Consecratione.

§. 21. Si Parochus, aut Sacerdos alius videndi facultate privatus non sit,  
 licentia ei conceditur, celebrandi in Festis solemnioribus & duplicibus Missam  
 votivam de Beatissima Virgine, diebus autem ferialibus Missam Defunctorum;  
 multæ vero clausulæ huic concessioni adjiciuntur, illa præsertim, ut *non sit*  
*omnino cæcus, nec recitet memoriter;* injungiturque Episcopis, ut si omnino cæ-  
 cus reddatur, omni celebrandi facultate privetur. Atque si Sacerdos cæcus ef-  
 ficiatur post susceptum Presbyteratus Ordinem, hic illum defectus non ordine  
 ipso, sed ordinis executione privat, & quidem tantum quoad confessionem  
 Eucharistiæ, non item quoad alias functiones visum non exigentes, qualis es-  
 set Confessionis auditio, Prædicatio &c. prout optime observat S. Thomas 3.  
*part. qu. 82. art. 10. ad 3.* Non vero desunt exempla concessæ cæcis Episcopis  
 licentiæ Missam celebrandi. Aimonius sane refert in *Actis Concilii Tricassini Anno*  
*878.* habiti apud Baronium, & Natalem Alexandrum, Joannem VIII. in  
 eodem Concilio ad instantiam Episcoporum Hinemaro Laudunensi cæco nepoti  
 Hincmari Rhemensis facultatem sacris operandi fuisse elargitum. Soto quoque  
 in 4. *sentent. dist. 9. qu. 1. art. 2.* testatur visum a se in Concilio Tridentino Epi-  
 scopum cæcum ex Pontificis dispensatione quotidie celebrantem. Cum Nos in  
 minoribus munere fungeremur Secretarii Congreg. Concilii, mature discussa  
 materia, excussisque Auctoribus allegatis a Nobis, in folio desuper Confecto,  
 & tom. 4. *Thesaur. Resolut. Congreg. pag. 101., & seq. edit. Urbinat.* Parocho Flo-  
 rent. cæco omnino, sed magnorum meritorum intuitu circumstantiarum va-  
 riarum in ejus favorem concurrentium licentia concessa est Missam celebrandi  
 sub assistentia alterius Sacerdotis; causa hæc proposita est 2. Augusti 1727. &  
 ejusdem anni, mensisque die. 23. terminata. Neque recentiora desunt exempla  
 similium concessionum.

§. 22. Non est celebranda Missa aperto capite. Canones id prohibentes ad-  
 ducti a Nobis sunt in *Notificatione 14. tom. 2. quæ est 33. Latine editionis §. 4.*  
 idemque evincimus tom. 1. de *Sacrificio Missæ sect. 1. cap. 4. §. 2. edit. Ital. Latine*  
*vero sect. 1. num. 53.* Inter alios vero Canones ad literam id habet Can. *Nullus*  
*Episcopus de consecrat. dist. 1. Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad*  
*sollemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite*  
*Altaria Dei assistere.* Quidquid aut sit de eo, quod Vasquez tom. 3. in 3. *part.*  
*disput. 232. cap. 4.* refert in Polonia Sacerdotes etiam Regulares in hyeme open-  
 to capite Missam dicere usque ad Consecrationem confluevit dari licentiam ca-  
 pite aperto Missam legendi excepto Canone, si testantur Medici ex capitis nu-  
 datione sanitatis periculum imminere. Paulus V. concessisse legitur in aliquibus  
 Orientis Ecclesiis Missas integras una cum Canone aperto capite celebrari, cum

PONT. iis in Regionibus inurbana habeatur capitis denudatio: Raimundus *cit. tom. 6. ANNO*  
*pag. 499. col. 2.*, & Henaus *tom. 2. de Sacrificio disput. 27. sect. 2. num. 10.* admit-  
 A. XVII. tunt, aperto capite Missam, & Canonem dici posse, si alias timeatur saluti 1757  
 Sacerdotis, in Regionibus præsertim frigidis: Ideoque Navarrus *lib. 3. de celebr.*  
*Missarum, consil. 7. num. 5. edit. Venet. 1621.* hæc adfert; *Non desunt Sacramen-*  
*ta Divina reverenter tractari, & quod ex justa causa & necessitate vivandi fri-*  
*goris, vel doloris capitis, pileolo aliquo honestè caput tegatur.* Boncordat Salme-  
 ro *tom. 14. in ep. 1. ad Corinth. cap. 11. disput. 18. pag. 144. edit. Colon. 1614.*, &  
 Henaus *cit. sect. 2. num. 20.* ita cum Arriaga concludit: *Non est censendum, Deum*  
*malle omitti Sacrificium; aut quod graviter Sacerdotes de salute periclitentur, quam*  
*quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irrever-*  
*rentia, desinat esset talis in similibus casibus.* Præterea Sacerdotibus vetitum est  
 deferre fictitia capillitia, prout liquet ex documentis a Nobis congestis in tra-  
 ctatu *de Synodo Diocesana edit. noviss. lib. 11. cap. 9.* maximeque ea prohibitio se  
 extendit ad celebrationem Missæ, attamen per speciem aliquam tolerantia  
 Clericis conceditur etiam Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona,  
 seu tonsura clericalis aperta semper maneat.

§. 23. Agendum jam est de modis excogitatis, quibus facilior redditur La-  
 cis Sacramentorum perceptio, non obstantibus quibusdam difficultatibus. No-  
 tum cuique est celebratam olim in Mari Missam, quæ sica dicebatur, quæque  
 prohibita est, nunc autem facultas conceditur Missæ veræ celebrandæ, si ta-  
 men navis secura sit, remota a littore, Mare tranquillum, & præter Sacerdo-  
 rem celebrantem adsit Presbyter, aut Diaconus alius, qui ex urgente forte  
 quopiam motu Calicis effusionem prævertat: singule videri possunt *tom. 2. de*  
*Sacrificio Missæ sect. 2. cap. 1. §. 3. pag. 236. edit. Ital. Latine vero sect. 2. num. 49.*  
 & sequent. Atque ne prolixior sit oratio, indicare sufficiet, modum quoque  
 adinventum esse ministrandi Sacram Eucharistiam infirmo, consecratam Parti-  
 culam deglutire non valenti, nec minus peste laboranti, quin Sacerdos mini-  
 strans eam contrahendi periculum subeat; quoad primum videatur in tract. *de*  
*Sacrificio Missæ tom. 2. sect. 2. cap. 6. §. 4. edit. Ital. & sect. 2. num. 170. edit. La-*  
*tina.* Secundum habetur in tractatu *de Synodo Diocesana edit. noviss. lib. 13. cap.*  
*19. num. 21. & sequent.* Ex quibus omnibus confirmantur superius dicta, nimi-  
 rum si omni ratione prospectum est Sacerdotibus simplicibus celebrare non ve-  
 lentibus: ut possint nihilominus Sacris operari: Si omni possibili modo Laicis  
 Sacramenta ministrantur, non debent accumulari scrupuli & subtilitates ad ar-  
 cendos Presbyteros in dignitatibus Ecclesiasticis constitutos, & Episcopos præ-  
 fertim a celebranda Missa sedentaria, si debilitate pedum laborent: cum præ-  
 cipuum Episcoporum sit officium, offerre Deo Sacrificium pro Populo curæ  
 suæ concredito, & pro se ipso.

§. 24. Id sane disertis verbis docet S. Paulus *Epist. ad Hæbr. cap. 5. vers. 1.*  
 & seq. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constitui-*  
 tur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui  
 condolere possit iis, qui ignorant, & errant; quoniam & ipse circumdatus est in-  
 firmitate; & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semet-  
 ipso offerre pro peccatis: Et in ejusdem *Epist. cap. 8. vers. 5.* *Omnis enim Pontifex*  
*ad offerendum munera, & hostias constituitur.* Inde post prolixum sermonem in  
 idem *cap. 5.* concludit Joannes Gagneus: *Munus ergo assumpti Pontificis est ora-*  
*re, & pro suis, & pro populi delictis Sacrificia offerre, & agnoscere se peccato-*  
*rem, atque ita populi peccatis condolere.* Gagneo assentiuntur Guillelmus Estius,  
 Salmero & Cornelius a Lapide in *Comment. in cit. c. 5.* Neque regeunda hic est  
 superius allata objectio, cellare motivum ædificandi populum per celebrationem,  
 cum hæc perfici nequeat a sedente nisi in Cappella, aut Oratorio privato ad  
 evitandam populi demirationem; neque enim populi ædificatio princeps causa  
 celebrandi est, sed oblatio sacrificii pro populo, quæ obtinetur æque per ce-  
 lebra-

PONT. lebrationem in Oratorio. Præterea populus videns Episcopum suam celebrare ANNO  
 quo potest modo. sciensque sedentem celebrare ex concessione Pontificia, tan-  
 A. XVII. tum abest, ut offendatur, quin potius ædificetur.

§. 25. Bene omnia haberent, inquis, si prout exempla habentur concessæ  
 Episcopis licentiæ, sedendo Missam celebrandi, illa ad canonem quoque, adeo-  
 que ad totam, & integram Missam se extenderet; in hoc enim cardo rei ver-  
 titur. Antiquitatis sacræ monumenta evolventi occurrit S. Lucianus Martyr;  
 qui in persecutione Maximiani Fidelium eodem secum carcere detentorum de-  
 siderio Sacro Missæ Sacrificio assistendi facturus satis, ipso Epiphaniæ festo die  
 in terram extensus, & pectore tamquam ara usus Sacris est operatus, prout  
 videre est in Actis apud Bollandistas tom. 1. Januarii pag. 361. num. 14. Theodo-  
 retus Ciri Episcopus in gratiam S. Eremicolæ, qui Missæ numquam interfue-  
 rat, allatis in ipsius tugurium lacris vasis, Manibus Diaconorum pro Altari  
 usus sacram confecit Eucharistiam, prout ipsemet refert in Philotheco cap. 20.  
 Uranius in Epistola de obitu Paulini apud Bollandistas tom. 4. Junii pag. 198.  
 num. 2. testatur, quod cum decumbentem S. Paulinum Nolanum Episcopum  
 alii duo Præsules inviserant, ægrotus licite cum illis Missam celebraverit ere-  
 cta prope lectum ara: *Et quasi profecturus ad Dominum, jubet, sibi ante lectu-  
 lum suum sacra Ministeria exhiberi, scilicet ut una cum sanctis Episcopis oblato  
 Sacrificio, Animam suam Domino commendaret: quod & factum indicatur num.  
 3. Et cum hæc omnia S. Episcopus tato ac perfecto ordine celebrasset.* Neque quod  
 aliqui contendunt, illa Uranii verba de perceptione Sacræ Eucharistiæ, non  
 item de celebratione Missæ intelligenda sunt, huic enim suffragantur Tille-  
 montius tom. 14. in Actis S. Paulini art. 52. pag. 139. edit. Venet. doctissimisque  
 P. Magister Orsi Magister Sacri Palatii Apostolici tom. 12. Hist. Eccles. lib. 28.  
 num. 76. pag. 375.

§. 26. Speciosa quidem sunt exempla superius allata, præsentique casui ap-  
 prime conveniunt; verum antiqua sunt, & præcedentia tempus illud, quod  
 in modernis ritus fuit reducta Missæ forma. At vero S. Tarasius Patriarcha  
 Constantinopolitanus mortuus est sub initium sæculi noni. Ignatius vero Epi-  
 scopus Nicænus Tarasii discipulus, & illius vitæ scriptor videndus apud Baro-  
 nium ad annum 806. & apud Bollandistas tom. 3. Febr. pag. 586. num. 47. hunc  
 in modum describit celebrationem Missæ a S. Patriarcha graviter decumbente  
 peractam: *ingruens morbus, & valde gravem ei dolorem afferens non persuasit,  
 ut oblivisceretur perpetui, & Divini Officii. Nam & morbo, & senio laborans,  
 nequaquam satiabatur Sacrosancti Mysterii celebratione; sed intenso amore ad Deum  
 ardens, & morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensæ lignæ, quæ  
 ponebatur ante Aram Divinam, Sancta peragebat, infirmus videlicet: quod est,  
 ventre, & pectore adniti tabulæ, partemque corporis reliquam, pedibus sus-  
 tentando. De Sancto Ivone Presbytero, & Parocho Britannicæ Armoricensis an-  
 no 1303. defuncto legitur, quod pedibus insistere non valens hoc Missam cele-  
 braverit modo: *Fuit adeo infirmus, & debilis, quod se non poterat sustinere;  
 immo interdum sustentabatur per aliquos Assistentes, & sic Missam celebravit in  
 Cappella sua: pro ut videre est tom. 4. Maii apud Bollandianos pag. 541. A. n. 17.  
 atque tectis de visu fatetur apud eosdem Bollandianos loc. cit. pag. 560. C. n. 65.  
 Mauritius vero Gaufridus in proluxa descriptione vitæ S. Ivonis in cit. tom. 4.  
 Bollandistarum pag. 594. A. cap. 5. num. 59. rem omnem ita complectitur: *Erat  
 autem adeo tunc infirmus, ut pro debilitate corporis, nec induere, nec exuere per  
 se sufficeret sacras vestes, sed nec alia pro Missa necessaria præparare, ad Alia-  
 re se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se juvare, nisi ab Assistenti-  
 bus Abbatibus Belliportus, & de Begar, & Archidiacono Trecorensi cum aliis  
 præsentibus fulciretur.***

§. 27. Propius jam ad scopum accedimus: sed cum disciplina illius ævi,  
 cujus exempla in medium attulimus, necessitatem dispensationis Apostolicæ ad

CONT. Missæ sedentariæ celebrationem nec dum induxerit, quæ tam sapienter admo- ANNO  
 ANXVII. sta Myſteria auferret: adferemus porro exempla concessarum a Romanis Pon- I 1757  
 tificibus dispensationum pro celebratione Missæ a sedentibus, excepto tempore  
 Canonis, de quo haud est controversia, sed de integra Missa a sedentibus ce-  
 lebrata, de qua in præsentiarum potissimum quæstio agitur.

§. 28. Joannes Renna Venetus factus 3. Novembris 1534. Episcopus Alge-  
 riensis, indeque anno 1538. die 13. Maii ad Sedem Pampelonis Novæ transla-  
 tus varias a Paulo III. gratias petiit. Inter alia exposuit, se podagra morbo  
 omni propemodum membrorum usu esse privatum: *Diversis infirmitatibus po-  
 dagræ detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem reductus es: ideoque  
 Missam stando celebrare non valens, petiit facultatem Sacris operandi in sella  
 quæ est confecta artificio, ut illi insidens stare videretur: At tibi, qui propter in-  
 firmitatem prædictam, Missam stando celebrare non valeas, & zelo devotionis  
 accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per  
 te factæ, in quo sedendo stare videaris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare,  
 benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Episcopalem ordinem pertinent, etiam se-  
 dendo exercere . . . . tenore præsentium de speciali gratia indulgemus: proviso,  
 quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & scandalum non  
 sequatur; & si celebratione tua in artificio prædicto adstantes scandalizari veri-  
 similiter credi possit, celebrationem hujusmodi non publice, sed privatim facias.*  
 Breve Cardinalis Hieronymi Ghinucci manu subscriptum reperitur, ille enim  
 scripta roborandi munereungebatur, prout Giacconius tom. 3. pag. 569. refert,  
 adjectum quoque est nomen Secretarii Apostolici breviori nota signatum. Ipsum  
 vero Breve habetur in Schediis authographis Brevium Pauli III. in Archivio  
 secreto Anni 1538. num. 460. integrumque exhibebitur ad calcem hujus Epi-  
 stolæ, ut cujusque judicium vincatur. Nos quidem mechanicarum rerum  
 ignari sedis hujus, in qua sedens stare videbatur, examen haud instituimus:  
 Id exinde deduxisse sufficit, Paulum III. Episcopo Pampelonensi facultatem  
 fecisse per omnem Missam sedendi, ne Canonis quidem, & Consecrationis  
 tempore excepto.

§. 29. S. Pontifex Pius V. Primo Pontificatus sui Anno Petro Francisco  
 Ferrerio Cardinali Tituli S. Agnetis ob podagræ molestias stando Sacris ope-  
 rari non valenti veniam fecit; ut in privata Cappella sedens sacram Litur-  
 giam perageret: *Nos specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte  
 supplicationibus inclinatis, circumspeditioni tuæ, ut, quotiescumque devotionis gra-  
 tia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones com-  
 mode celebrare nequivis, illam sedendo in Oratorio domus tuæ, seu Cappella  
 tua privata, coram familiaribus, & domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nul-  
 lum scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas  
 auctoritate Apostolica tenore præsentium, licentiam concedimus, & facultatem.*  
 Schediasma autographum firmatum manu Reverendissimi Cæsaris Glorietii se-  
 nioris Brevium Secretarii in Archivio secreto inter diagramata archetypa S. Pii  
 V. Anni 1566. nu. 572. asservatur. Hoc quoque Breve integrum subjiciemus,  
 tum ut cuique innotescat, tum ut levitatis vincantur asserentes, rei cuius-  
 piam exemplum non extare, quod ipsi illud ignorent; ex quo fit, ut, dum  
 talium assertionum facilitas laboris molestiam in alios transfert, ipsis grave ac-  
 cidat, si quæ existere negaverant, in lucem protrahantur.



## NARRATIO

A. XVIII.

1758

*Factorum Romanum Pontificem attingentium, quorum notitia necessaria videtur præsentem quæstionem dijudicaturæ.*

§. 30. Supervacanea videri poterunt, quæ deinceps in medium erimus allaturi; si enim Summus Pontifex aliis impedimento laborantibus facultatem elargitur Missam celebrandi sedendo, mirari ne subibit, si eadem ex causa eadem ipse utatur œconomia? At vero universim loquendo non videtur Pontificiæ Dignitati convenire usus licentiæ aliis concessæ. Hinc ut dispiciatur, an indecens sit a Pontifice sedente Missam celebrari disquirendum, fuerintne Pontifices, qui omnem Missæ celebrationem sedentes perfecerint. Haud equidem magni Nobis moliminis hæc res est, cum concessuri b. m. Cardinali de Rohan podagra impedimento licentiam celebrandi Missam sedendo excepto Canone, & Consecratione, omnia ad id argumentum facientia sollicitè conquiescerimus. Neque jam congerere valeremus, tum senii onere gravati, & ab ægritudinis molestiis nondum plene liberi; tum vero maxime carentes libris Nobis longo usu notissimis, quos cum omni nostra bibliotheca scelestæ Instituto Bononiensi dedimus: quanto vero & laboris, & temporis, cujus penuria laboramus, impendio illa in libris, quibus necdum assuevimus, inquireremus?

§. 31. Honorius IV. anno 1285. in Pontificem electus, Diaconus erat, utique Præbyterio, & Episcopatu primum insigniendus. Historiographi infirmitatis habitu affectum testantur: Martinus e Minorum cœtu in floribus temporum, Joannes Vitoduranus, Andrea. Ratisbonensis, & Hermannus Cornerus in suis Chronicis apud Joann. Georg. Eccardum in corpore historico medii ævi tom. 1. pag. 1631. pag. 1758. pag. 2088. & tom. 2. pag. 936. Affirmant alii Honorium ea pedem debilitate laborasse, ut nequidem incedere potuerit: Riccobaldus Ferrariensis in Historia Romanorum Pontificum ad annum 1285. in tom. 9. Rerum Ital. Scrip. pag. 182. Alii, ea chiragræ, podagræque vehementia afflictabatur, ut digitum digito jungere nequiret, teste Muratorio Annal. Ital. tom. 7. pag. 460. Missam sine instrumentorum quorundam adminiculo celebrare haud valebat. Ptolomæus Lucensis lib. 24. Hist. Eccles. cap. 13. in tom. 11. Rer. Ital. Script. pag. 119. Rainaldus ad annum 1285. n. 14. Fleuryus tom. 18. Hist. Eccles. pag. 371. & in Vita ejusdem Pontificis Ciacconius tom. 2. pag. 246. Burius, Pagius tom. 3. pag. 455. n. 3. Auctor vitæ Pontificum Hagæ Comitum editæ tom. 3. pag. 289. Porro Instrumenta quibus ad perficiendam celebrationem uterentur, describit P. Franciscus Pipinus ex Ordine Predicatorum in Chronica lib. 4. cap. 22. Pedibus erat ita ægrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum adungere non posset; immo etiam carne superexcrecente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, & quodam instrumento ligneo, quo insidebat, solvebatur ad populum; videri cuncta possunt tit. tom. 9. Rer. Ital. Script. pag. 727.

§. 32. In Commentariis Pii II. Anno 1458. ad Pontificatum evesti, post prolixam narrationem institutæ supplicationis in translatione Capituli S. Andree Apostoli ex Achaia eidem Pontifici dono missi, hæc adduntur: Die Sabbathi, quæ fuit Aprilis 17. celebrato grandi Officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis, in Ecclesia Principis Apostolorum sese rem Divinam facturum, portaturumque eo Sacrum Andree Caput, ut iterum, atque iterum videretur, quod ex Altari Beati Petri abductum, in Palatio clauserat. Res nova, & insperata fuit. Nam propter ægritudines & absentiam Pontificis ante quatuor annos, non viderant Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Præsul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.

§. 33. Pius in Pontificem Anno 1503. electus nonnisi Diaconus erat, atque lethali ulcere impediabatur, ne pedibus posset insillere. Sedens itaque Sacer-

CONT. dotio est initiatus a Cardinali Tituli S. Petri in Vinculis 30. Septembris, I. ANNO  
 A. XVIII. vero Octobris ejusdem Anni Episcopus consecratus, octavo postea die diadema-  
 te Pontificio insignitus sedens Missam Pontificalem celebravit in Basilica Vati- 1777  
 cana. Omne id habetur libro ultimo emphemeridum Joannis Burcardi Cere-  
 moniarum Sacrarum Magistri pag. 56. 58. & 59. quem codicem Bibliotheca habe-  
 bat Cardinalis Silvii Valenti nostri quondam Status Secretarii, jam vero tenet  
 Reverendissimus Ludovicus Valenti ipsius Nepos:

## A N N O M D I I I I .

*Dies Veneris 29. Septembris ordinari sedem pro Papa, in qua sedens cruribus  
 extensis ordinaretur, & celebraret, & mensam longam pro Altari, ut pedes sub-  
 tus extendi possent.*

*Die Sabbathi .... Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam .... accef-  
 sit in Planeta ad Papam in illa sede ordinata ad omnia sedentem &c.*

*Die Dominica 8. Octobris, S. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua  
 per totum officium non descendit. Sed in ea post Introitum Ecclesie .... accepit  
 in ea Pallium, & portatus in ea super solum, deinde in ea celebravit.*

§. 34. Dum Romanus Pontifex solemniter celebrat, peracta ad Altare con-  
 secratione, ad solum suum reversus, recipit Sacram Eucharistiam sub specie-  
 bus panis, & vini stans, neque sedendo communicat prout per errorem scripse-  
 runt aliqui, viderique id potest tom. 2. tract. nostri de Sacrificio Missæ sect. I.  
 cap. 20. §. 1. edit. Ital. Latina vero sect. 1. num. 339. In Ceremoniali autem  
 libro Cappella Papalis liberum est Summo Pontifici porrigendi Sacram Commu-  
 nionem Cardinalibus Diaconis, aliisque folio assistentibus sedendo; qua Nos li-  
 bertate usi sumus numquam Augustissimum Sacramentum stando semper distri-  
 buentes. Electi Pontificis in Episcopum consecrandi scapulis a Cardinali conse-  
 crante Evangeliorum Liber, capitique manus imponuntur, inde caput, manuf-  
 que Sacro Chrismate inunguntur, Pontifice interea semper sedente. Similiter  
 si electus Pontifex Subdiaconatu, Diaconatu, aut Presbyteratu esset insignien-  
 dus, Episcopus Cardinalis Subdiaconatus Ordinem ei collocaturus *Sedenti Cali-  
 cem vacuum cum patena, & urceolos cum vino, & aqua, bucale, & manuter-  
 gium*, librumque Epistolarum porrigit. In collatione Diaconatus Cardinalis or-  
 dinans stans Pontificis sedentis capiti manum imponens dicit: *Accipe Spiritum  
 Sanctum*; sedentique Pontifici aptat paramenta, & porrigit librum Evangelio-  
 rum. Tandem in collatione Sacerdotii sedens Pontifex manuum impositionem,  
 Olei sancti, quod Catechumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino &  
 aqua, atque patenam cum hostia recipit. Quæ omnia luculenter ostendunt,  
 haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque  
 eo ipso Missam totam a sedente posse celebrari: præsertim si pedibus debilita-  
 tis insilere non valeat.

§. 35. Atque hæc sunt, quæ in hac epistola exponenda duximus, eorumque  
 disquisitioni proponenda, quorum consilia expectamus, priusquam, quid agen-  
 dum, decernamus. Et si quidem sedentes Missam celebrare statuamus, tuum  
 erit, præparare mensam Altaris cum consecrato lapide. Imagine Salvatoris Cru-  
 ci affixi, luminaribus, aliisque ad Sacra peragenda necessariis; vacuumque sub-  
 tus Altare spatium relinquetur extendendis pedibus idoneum. Confidentes sin-  
 gula dexteritate tua singulari perficienda, Apostolicam tibi Benedictionem per-  
 ramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xi. Octobris MDCCLVII.  
 Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

P A U L U S P A P A I I I .  
VENERABILI FRATRI  
J O A N N I E P I S C O P O  
P A M P I L O N E N S I .

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**C**upidus commodis tuis, qui diversis infirmitatibus podagræ detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es. Limina Apostolorum Petri, & Pauli visitare personaliter de triennio in triennium commode, ut jurasti, non vales, providere tuis in hac parte supplicationibus inclinatis, tibi, ut tua vita durante, per Procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum dicta Limina visitando, ad ea aliter visitandum minime tenearis, nec ad id invitatus a quoquam compelli possis; ac tibi, qui propter infirmitatem prædictam, Missam stando celebrare non vales, & zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te factæ, in quo sedendo stari videaris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere; & Horas Canonicas, diurnas, & nocturnas, cum uno, vel duobus Cappellanis juxta ordinem Romanæ Curie per Dilectos Filios Nostros Cardinales Sanctæ Crucis, vel alios antiquitus institutum, prout tibi placuerit, libere & licite ac easdem Horas antepone, & postponere, & cumulative unico contextu recitare sine scrupulo conscientie libere, & licite possis & valeas, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus: proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & scandalum non sequatur; & si celebratione tua in artificio prædicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi, non publice, seu privatim facias. Non obstantibus Apostolicis in Provinciis, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Domo Sanctæ Crucis extra muros Nicen. sub Annulo Piscatoris xv. Junii MDXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Hieronymus Card. Ghinuccius ---

Fab. Vigil.

PIUS PAPA V.  
DILECTO FILIO NOSTRO  
P E T R O F R A N C I S C O  
TITULI S. AGNETIS IN AGONE  
P R E S B Y T E R O C A R D I N A L I  
F E R R E R I O V O C A T O .

*Dilecte Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**E**ximia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor illustravit Altissimus promerentur, ut votis tuis, præsertim quæ ex devotionis fervore prodire dignoscuntur, benigno annuamus affectu. Cum itaque, sicut Nobis nuper exposuisti, tu adeo frequenter gravibus tui corporis indispositionibus, &

PONT. proferatim podagra, quæ te assidue impeditum tenet, laborare solitus sis, ut quan- ANNO  
do devotionis tuæ causa Missam celebrare desideras, quoniam pedibus stare non  
A. XVII. potes, id facere nullo modo valeas, quare Nobis humiliter supplicasti, ut tibi in 1758  
premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur  
specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclina-  
ti, circumspectioni tuæ, ut quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare vo-  
lueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris,  
illam sedendo in Oratorio domus tuæ, seu Cappella tua privata, coram fami-  
liaribus & domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offen-  
diculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas Auctoritate Apostolica te-  
nere præsentium licentiam concedimus & facultatem. Non obstantibus Constitu-  
tionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Marcum sub Annuulo Piscatoris die 28. Septembris  
MDLXVI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Cæsar Glorierius.

JAM cuncta congesseramus, quæ ad celebrationem Missæ sedendo, etiam Ca-  
nonis, & Consecrationis tempore, spectare videbantur, jamque iis, quorum  
desuper consilium operiebamur, erant mittenda, cum Altissimi Providentia no-  
va Nos infirmitate probare est dignata; in rem itaque, & ad formandum ple-  
nius judicium fore judicavimus, si quæ nobis acciderunt, subjungeremus.

Dies erat 14. Mensis Octobris, cum vehemens Nos aggressa est dysuria in  
mixtam sanguine distillationem, degenerans: Medicum ea res multum non mo-  
vit quidem, Nobis vero timor exinde proveniens febrem attraxit: cui obviam  
itum phlebotomia, & corticis Peruviani sumptione; neque exciderat Nobis  
tum gravis nostra tenebris, & illud Psalmi 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis  
septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum  
labor, & dolor. Quo innuitur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta an-  
ni; id est, tempus vitæ nostræ in seipso conclusum, & definitum, non transcen-  
dit ultra septuaginta annos: in robustioribus autem ad octuaginta annos exsur-  
git: & in robustioribus usque ad octoginta. Quod vero octoginta annos excedit,  
infirmitatibus plenum est, & doloribus, prout Nobis contingit: & si quid ul-  
tra erit, erit labor, & dolor, ætas videlicet infirma, & variis malis, & aru-  
mnis obnoxia.* Verba sunt Venerabilis Bellarmini in eundem Psalmum.

Sed resumendum narrationis filium; urina naturali colori restituta, sanguinis  
apparentiam omnem exclusit, Nosque tam quoad capitis vivacitatem, quam  
quoad laborandi facultatem restituti sumus in eum statum, quo ante assaultum  
prædictum fruebamur, unum si excipias, necessitatem nimirum extrahendi uri-  
nam ope syringæ, quod si ultra duas horas cum dimidia omitteremus, ingenti  
Nos dolori subiceret.

Cum itaque intra temporis hujusmodi intercapedinem commode satis Missæ  
Sacrificium absolvi possit, quisque desuper in consilium vocatus libere mentem  
pandet suam, deceatne Missam totam una cum Canone sedendo celebrare, an  
vero fecus. Id, ut grave nemini accidat, rogantes, id sibi molestiæ sumentibus  
Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxviii. Octobris MDCCLVII.  
Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

## EPISTOLA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PP. XIV.

*Super quibusdam dubiis respicientibus validitatem Matrimoniorum.*

VENERABILI FRATRI

ANTONIO

ARCHIEPISCOPO GOANO.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**P**AUCIS ab hinc hebdomadis Fraternitatis Tuæ Literas accipimus, die 16<sup>ta</sup> Decembris, 1754. datas, nescientes usque adhuc, quænam diuturnæ hujus moræ fuerit causa. Expofuisti autem in iis, quod, cum receptum fuerit in Diocesi tua Tridentinum Concilium, servatur adamussim ibidem Sanctio illa, quæ nulla declarat Matrimonia, quæ sine præsentia Parochi Sponsi, vel Sponsæ, & sine duobus Testibus celebrantur. Cum vero Diocesi tuæ finitimus sit Locus quidam, Sunda vocatus, ubi nonnulli Missionarii Sacerdotes inhabitant ad Regionis Incolas ad Fidem Catholicam pertrahendos, edocendisque, contigit aliquando atque nunc etiam contingit, ut quispiam difficultates prænoscentes, quæ Matrimonium fortassis impedirent, quotiescumque in Tua Diocesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque Sundam pergit, ubi neque receptum, neque promulgatum fuit Concilium Tridentinum, ibique Matrimonium coram Missionario contrahit, ac subinde regrediens ad Diocesim Tuam, validum esse contendit, eo quia Matrimonium non alibi nullum esse reputatur, præterquam iis in locis, in quibus Concilii Decretum receptum, ac promulgatum fuit. Hæc est quæstio, de qua Nos interrogasti, ut normam præfineremus, quacum in ejusmodi Matrimoniis gerere te oporteat. Quamvis autem ob longævam, quinimmo decrepitam ætatem, quam agimus, Nos a laboribus excusare liceret, eosdemque aliis committere, ultima Nobis definitione servata; nihiloscilicet, cum Divinæ placuerit Majestati sanam Nobis, ac integram mentem servare, etsi, præter senium, binæ gravissimæ infirmitates, quas perpeffi sumus, Nos eo perduxerint, ut Sacro Viatico, & extrema Olei Uncti one semel, ac iterum muniremur, petitionibus tuis recte responsum dare non omittimus, cum ob experientiam, quam in hujusmodi controversiis nacti fuimus, ut videre est in nostra Ecclesiastica Institutione, in lucem edita, dum in Archiepiscopali Bononiensi Cathedra sedebamus, quæ est la 33. *Latina editionis sub num. 9.* tum vero etiam ob munus exercitum pluribus annis a Secretis Congregationis Tridentini Concilii, dum in Minoribus agebamus, ubi similia negotia tractantur.

In integra Decretali Alexandri III. Nostri Prædecessoris, sexta sub titulo de homicidio, quæ in Collectione Decretalium, qua utimur in scholis & foro, non integra est, sed decurtata, sequentia leguntur verba, quæ Nostre favent intentioni: *Sicut dignum & omni rationi consentaneum est, graves, & difficiles quæstiones ad examen Apostolicæ Sedis deferri: ita etiam Nobis ex ministerio suscepto sollicitudinis imminet easdem quæstiones, pro ut Nobis Dominus dederit, solve, & singulis a Nobis consulantibus respondere: ut providentia*

PONT. Romana Ecclesia, quæ ubique terrarum obtinet, disponente Domino, principatum, quæstiones solvantur, & removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licet autem super quæstionibus, quas Nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum, & circumspectum existere; cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio, juxta discretionem, & providentiam Nostram, tibi exinde respondere.

A. XVII.

1758

Thomas Sanchez, qui quidem, nemo ignorat, qualem sibi famam conciliaverit in controversiis ad Matrimonium spectantibus, quæstionem hanc agit in suo Opere de Matrimonio lib. 3. disp. 18. num. 17. & seq. ubi sub num. 29. defendit validum Matrimonium initum in loco, ubi promulgatum non fuerit Tridentinum Concilium, quamvis ille, qui contrahit, domicilium habeat in loco, ubi Concilium receptum est, indeque discesserit, ut eas difficultates aufugeret, in quas inciderat, vel incidere se posse verebatur; si Matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur, intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem, ubi quis jure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco, in quo receptum fuit Concilium, transire ad alium, ubi non sit receptum; vel, etiam si iraus intercessisse credatur, ejusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum Matrimonium efficere. Pontius, qui non tam facile Sanchezii opinionibus adhæret, in hac tamen eidem consentit; ut videri potest lib. 5. de Matrim. cap. 9. & Diana in Coordinata Editione tom. 1. tract. 3. resolut. 116. & 117. Sanchezio, & Pontio subscribit. Eiusdem sententiæ sunt Bonacina de Matrim. qu. 2. punct. 7. num. 2. tom. 1. Castropalaus part. 5. disput. 2. de Sponsal. punct. 13. §. 8. n. 4. Leander p. 2. tract. 9. de Matrimonii Sacramento disput. 7. qu. 11. Filiucius tract. 10. de Matrim. §. 1. n. 199. Rosignolus de Matrim. 1. contract. 15. prænot. 21. n. 8.

Ne vero plus quam par est sermonem protrahamus in aliorum Doctorum, atque Theologorum nominibus cumulandis, tantummodo innuemus, non deesse, qui contrariam sententiam tueatur, doceatque, nullum esse Matrimonium ab eo contractum, qui ad evitandas difficultates, in quas incidit, vel incidere se posse veretur, si Matrimonium ineat in loco domicilii, ubi viget Tridentina lex, transit alium, ubi promulgata non fuit, adeoque neutiquam recepta, & post initum Matrimonium, domum suam revertitur; qua de re observari poterunt Gobat. in Theologia experimentalis tract. 9. n. 481. Cardinalis de Lauræ de Matrimonio disp. 22. num. 138. & seq. Clericatus de Sacramento Matrimonii dec. 35. num. 24. Giribaldus tract. 10. de Matrim. cap. 7. nam. 22. Sbogar in Theologia radicali tract. 116. de Matrim. num. 52. Schmalzgrueber ad tit. de clandestina desponsatione num. 112. Pichler in eundem titulum n. 14. Bockhn ad tit. de Constitutionibus §. 3. num. 4. Etbel in Theologia Morali p. 3. n. 301. & seq. Pontas verb. Impedimentum clandestinitatis, cas. 3. §. Caterum ad casum. Et ipse Diana, qui secutus fuerat in locis supra memoratis Sanchezii, & Pontii sententias, in eadem Editione coordinata tom. 2. tract. 60. resolut. 74. ab iisdem, recedit, ut hanc postremam amplectatur. Sylvius vero tom. 5. Operum suorum edit. Antuerpien. anni 1698. inter varias resolutiones verb. Matrimonium num. 8. sapienter animadvertens, Matrimonium esse validum, si quis, admissa etiam fraude, patriam suam deserens, ubi Tridentinum Concilium promulgatum fuit, illud contrahit in loco ubi non est promulgatum, postquam tamen ibidem novum quasi domicilium acquisierit, ex eo infert, nullum esse Matrimonium, quotiescumque ille, qui contrahit, regreditur illico ad locum unde discessit, quin speciem quamdam domicilii adeptus fuerit in loco, ubi Matrimonium contraxit.

Sedente fel. record. Urbano VIII. Pontifice Maximo, Archiepiscopus Coloniensis Elector tria hæc dubia proposuit coram Congregatione Concilii: Queritur humiliter a Sacra Congregatione, an incolæ tam masculi, quam femine loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonii est promulgatum, & acceptatum, transientes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco Matrimonium sine Parocho, & Testibus contrahere.

PONT. Secundo, *Quid, si eo prædicti incolæ tam masculi, quam fœminæ, solo animo sine Parocho, & Testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutant.* ANNO  
 A. XVIII. Tertio, *Quid, si iidem incolæ tam masculi, quam fœminæ, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, & Testibus contrahant.* 1758

Hoc autem Congregatio dedit responsum die 5. Septembris 1626. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum, & secundum respondit, non esse legitimum Matrimonium inter sic se transferentes & transeuntes cum fraude.

Ad Tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.

Insiterunt postmodum Archiepiscopi Colonienfis Procuratores, ut Congregationis responsum Pontificio Brevis confirmaretur, si quidem Archiepiscopus Elector cupiebat illud Diœcesanę Synodo, quam habiturus mox erat, adnectere. Petitioni Urbanus VIII. indulgit, iussitque expediri Breve, cujus prima præscriptio authographa, ab eodem subscripta, reperitur inter ejusdem Brevia anni 1627. pag. 377. Summa vero ejusdem ita se habet: *Confirmatio resolutionis nonnullorum dubiorum super contrahendis matrimoniis a Sacra Congregationis Concilii emanata, est juxta ejusdem Congregationis decretum.* Hujus vero definitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur, Matrimonia primo, ac secundo loco exposita, irrita, ac nulla ab eadem Congregatione decerni, & quia fraus intercessit; validum autem censei matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercessit, nihilominus is, qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, domicilium, seu quasi domicilium adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit: *Nisi domicilium vere transferatur.* Siquidem novum non est, neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, & quasi domicilium adipiscatur in alio: in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, matrimonium contrahere coram illo Parocho, intra cujus Parœcię fines tunc inhabitat, cum matrimonio jungitur, juxta communem sententiam, a Nobis relata, sancitamque in superius memorata Institutione nostra Ecclesiastica la 33. Latinę editionis.

Firmiter ejusmodi principiis semper adhæsit eadem Congregatio, quotiescumque materię hujus discutiendę se se dedit occasio: etenim in quadam *Abulen.* proposita sub die prima Decembris 1640. lib. 16. *Decretor.* pag. 470. a terg. & pag. 471. ita respondit: *Sacra &c. censuit, non valere Matrimonium contractum coram Parocho Loci, ubi contrahentes reperiruntur non animo ibi domicilium contrahendi.* Dum in Minoribus fungeremur munere a secretis Congregationis ejusdem, irritum, ac nullum pariter declaratum fuit Matrimonium ab eo contractum, qui, ut declinaret difficultates, quas proprius Parochus objiciebat, ad alium locum transierat, atque connubium fecerat coram Parocho ejus loci, a quo postmodum, contracto matrimonio, statim discesserat, ut ad pristini domicilii locum rediret; uti videri potest in *Lauretana* proposita ac definita die 13. Julii 1725. tom. 3. *Thesauri Resolutionum Congregationis edit. Urbinaten.* de anno 1739. pag. 185. Ex adverso eadem Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum, qui discesserat a loco proprii domicilii, ut difficultates aufugeret in quas offendisset, si matrimonium coram ejusdem loci Parocho inire voluisset, atque illud inierat coram Parocho alterius loci, postquam tamen legitimum ibidem quasi domicilium adeptus fuerat, eodemque in loco, etiam post matrimonium contractum, ad aliquod tempus permanserat: quę definitio lata fuit die 20. Februarii 1723. in *Cæsenaten.* seu *Foroliviens.* *Matrimonii*, quemadmodum videre est tom. 2. *Supradicti Thesauri Resolut.* pag. 274. & seq. ubi alias quoque similes observare licebit, quas tum diligenter collegimus. Demum ne prolixior evadat oratio, in celebri *Leopoliens.* *Matrimonii* proposita sub die 9. Junii 1725. Congregatio principia eadem adamussim retinuit, quemadmodum legere fas est tom. 3. *Thesauri ejusdem* pag. 161. quibus pariter in eadem causa omnimode insiterat Rota Romana in *Decisione* 1298. tom. 6. coram honorabilis memorię Lancetta Rotæ Decano, & Sacrę Pœnitentiarię Regente.

TENT. ANNO  
 ab eodem Pontifice roboratam fuisse Pontificio Diplomate: cuius cognitio cum 1758  
 temporis decursu ad spectabilis memoriæ Cardinalem Joannem de Lugo pervenisset, curavit is, exhiberi sibi ab Administris Coloniensis Archiepiscopi authenticum Brevis exemplum; quod cum obtinisset operibus suis adnexum typis edidit *l. 1. dub. 36. Resp. Moral.* Id ipsum quoque alii fecerunt Scriptores a Nobis collecti in superius memorata Ecclesiastica Institutione 33. Latinæ editionis; atque hoc ipsum Breve nuperrime in lucem vulgatum reperitur in Bibliotheca Canonica P. Ferrari: adeo ut ex sententia communiter hodie recepta, atque observata, nullum, atque irritum habendum sit matrimonium in fraudem proprii Parochi coram Parocho alterius loci contracto, dummodo tamen ille, qui contrahit, antequam matrimonio jungatur, legitimum domicilium, vel quasi domicilium revera in hoc loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur Salmaticenses in *curso Theologiæ Moralis tom. 2. tract. 9. de Matrimonio cap. 8. punct. 2. num. 21.*

Mittimus interea Fraternitati Tuæ Urbani VIII. Breve, quod Apostolicæ auctoritatis robore confirmamus, jubentes una simul, ut confirmationis nostræ documentum asservetur in Actis Congregationis Concilii, atque in nostro Secretiori Vaticano Tabulario, quemadmodum Fraternitas Tua sub finem hujus nostræ Epistolæ animadvertere poterit; Tibique propterea, tuisque Successoribus mandamus observantiam, & implementum ejusmodi Brevis in ista Diœcesi, ubi frequenter ejusmodi quæstiones incidunt, quibus per idem Breve opportunè prospicitur: atque hoc pacto satisfecisse Nos arbitramur petitioni, quam proposuisti in Epistola diei 16. Decembris 1754. ubi normam, quam sequeris, demonstrari tibi cupiebas, si contingant, uti paulo ante dicebamus, matrimonia eorum, qui ad evitandas difficultates, in qua vel offenderant, vel offensuri erant, si matrimonium in tua Diœcesi celebravissent, transeunt ad finitimum locum, in quo coram aliquo Missionario matrimonium contrahunt, deinde vero ad eam regionem, ubi verum domicilium habent, revertuntur.

Post hæc necessarium fore censemus nonnihil adjungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam Matrimonium contrahatur, spatium saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi Matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in *cap. Significavit, de Parochiis*, ubi, earundem contextu perpenso, hæc habet sub num. 39. *Vir, & Mulier Trajectentes, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam Urbem Aquisgranam se contulissent, & ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, Sacra Congregatio, consulta super validitate, censuit, exprimentum tempus quo contrahentes Aquisgranam manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* Natalis Alexander in *Theologia Dogmatica & Morali lib. 2. de Sacram. Matrim. cap. 2. art. 2. reg. 6.* animadvertit, ad acquirendum quasi domicilium, oportere, ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti jam sint, atque perspecti. Dubitari autem posset, num ad quasi domicilium acquirendum matrimonii causa, ut diximus, non solum requiratur præcedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum, cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis Auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quæsitum dicatur, nihil vero de illa præscriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.

Quod vero mox sequitur, respicit matrimonium initum alio in loco, ubi jam contrahentes quasi domicilium adepti fuerunt, ac proinde illud ipsum, quod



PONT. quod prosequeretur epistola Fraternalitatis Tuæ. Verum de hoc sermonem habere nequimus nisi prius a proposito paulisper digredientes, quidquam opportunè præmittamus. Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis Antistes, qui vixit sub initium sæculi decimi tertii, promulganda statuit in suæ Dioceseos Paræciis Matrimonia, priusquam inirentur; ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum nullum subesset: atque inde denuntiationum manavit exordium, quæ tum *Bannum nuncupatæ* fuerunt. A Diocesi Parisiensis mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit; uti colligitur ex Rescripto Innocentii III. ad Episcopum Beluacensem in *6. Cum in tua de Spons. & Matrim.* Idem Innocentius in Concilio Lateranensi quarto ad universam Ecclesiam ejusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est in *cap. Cum Inhibitio de clandestina desponsatione*. Atque Sacra Tridentina Synodus *sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1.* Lateranensis Concilii vestigiis inhærendo, id ipsum præcepit. Quamvis vero denuntiationes ad Matrimonii validitatem nequiquam pertineant, adeo ut Matrimonium, iisdem omiſſis, celebratum, illicitum quidem sit, sed tamen validum, idcirco denuntiationum omiſſio gravi non caret culpa, neque propterea negligè impune queunt in Paræciis, in quibus contrahentes inhabitant, quod si velint matrimonium extra Diocesium, quam incolunt, celebrare, tenetur is, qui matrimonio interest, exigere prius ut denuntiationes factæ jam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis sit alterius Diocesis, ad hoc ut tuto interesse possit matrimonio, quod in sua Diocesi celebratur. Observetur Concilium Avenense anni 1385. a Sixto Quinto Pontifice Maximo confirmatum Sicuti etiam Rituale Romanum. Quod si veteriora monumenta præ manibus sumere opus esset, in secunda Collectione Decretalium *capite primo de clandestina desponsatione*, reperitur Decretalis Alexandri III. relata etiam per Gonzalez in *cap. Cum inhibitio, sub n. 10. de clandestina desponsatione*, ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei, qui matrimonio interest in sua Diocesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab Episcopo loci, ubi contrahentes inhabitant, prævium denuntiationum edictum, unde appareat, nullum inter eosdem impedimentum obſistere.

Constat igitur, Presbyterum Missionarium, coram quo matrimonia, de quibus sermo est, Sundæ celebrantur, iisdem interesse nequiquam debere, nisi prius exhibeantur sibi denuntiationum edicta promulgata in tua Diocesi, ubi contrahentes domicilium habent, e quibus pateat, nullum inter eosdem impedimentum reperiri. Quod si Missionarius objiciat, Tridentinum Concilium Sundæ promulgatum non esse, tum fac ipse, ut bene percipiat, quod, si onus ejusmodi repetere, ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest, quin illud fateatur, ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. Postquam vero, qui Sundæ matrimonio juncti fuerint, ad Diocesim tuam redierint, si Fraternalitas Tua jusserit fieri tum denuntiationes, ut pateat, num inter eosdem impedimentum ullum intersit, non tam muneri tuo satisfacies, verum, sic agendo, paulatim e medio tolles pravum nonnullorum morem, adeundi Sundam, ut matrimonio copulentur, ob metum difficultatum, in quas inciderent, si tua in Diocesi, ubi domicilium habent, nubere voluissent.

Decretum Sacri Tridentini Concilii, quo clandestina Matrimonia irrita ac nulla declarantur, illud ipsum est, de quo plusquam de cæteris aliis in sacro illo conventu disceptatum fuisse legitur, propter diversas Patrum sententias: quemadmodum testatur Cardinalis Pallavicinus in *Historia Concilii lib. 2. c. 24.* atque idem refertur P. Joannes Stoz in *succincta Relatione de gestis in Concilio Tridentino sess. 4. art. 24. §. 10. punct. 2. n. 548.* Ernestus Salomon Cyprianus in libro cui titulus *Tabularium Ecclesie Romanæ Sæculi XVI. n. 139. & n. 180.* & Mutius Calinus, Jaderensis Archiepiscopus, in epistola diei II. Novemb. 1563. ad Cardinalem Aloysium Cornelium Camerarium, cui quidquid in Concilio eveniret fideliter referebat, ut ex manuscripto ejusdem epistolæ Codice.

Dubitabatur primo utrum Ecclesia abrogare posset clandestina conjugia, propterea quod legitimus contractus, materia insimul, ac forma est Sacramenti

PONT. Matrimonii; mutua nempe, ac legitima corporum traditio, verbis, ac nutu ANNO  
 A. XVII. legitima corporum acceptatio, forma, ex quo nonnulli arguebant, quod, legitima traditione, & acceptatione simul conjunctis, subest materia, ac forma, quæ non ab alio immutari potest, præterquam ab eo, qui Divinæ gratiæ est auctor, quæ per Sacramenta confertur: verum, reponentibus aliis, Ecclesiam posse conditionem quamdam præscribere, quæ prius non aderat, sine qua contractus in posterum neque legitimus neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima, neque valida traditio, & acceptatio corporum, id satis erit, ut clandestina matrimonia irrita fieri possent, quod quidem, potestatis Ecclesiasticæ limites non excedit. Desumitur responsum hoc ex doctrina S. Thomæ Aquinatis *Quodlibet 5. qu. 8. art. 15. ad primum*. Non desitit quidam Scriptor Paulus Sarpus in *Historia Concilii Tridentini*, quin contradicentium partes amplecteretur: verumtamen tanta est vis veritatis, ut Petrus Franciscus Courayer, qui Sarpium quacumque sequitur, hoc tamen loco eum deserat, atque impugnet, uti observari potest in Adnotationibus ad eandem Historiam Concilii *lib. 8. §. 66. num. 88. & seqq. & præsertim num. 90.*

Altera Ecclesiæ potestate, alia successit dubitatio, num scilicet legitimæ intercederent causæ ad clandestina conjugia, quæ secundum Canones erant dumtaxat illicita, ut inferitur ex Canone *Aliter*, aliisque subsequentibus, quorum unus incipit *Nullus*, alter *Nostrates*, *qu. 1. caus. 30.* nulla in posterum decernenda. Verum, cum demonstratum fuerit, ex clandestinis conjugiiis frequenter evenire, ut qui uxorem duxerat, eam dereliqueret, atque superinduceret alteram, quodque interdum nonnulli uxorem habentes ad Sacros Ordines ascenderent, & una cum Uxore Ecclesiastica Beneficia retinerent, quibus gravissimis malis Ecclesiastici Judices medere nequibunt, cum matrimonii contracti necessariæ probationes deessent, hoc satis semper voluit ad evincendam necessitatem infringendi clandestina connubia, ut colligitur ex litteris ipsis Conciliarii Decreti, advertitque sagaciter Natalis Alexander in *Theologia Dogmatica, & Morali de Sacrament. Matrim. l. 2. cap. 2. art. 2. propos. 1.*

Injiciebat scrupulum aliis consideratio illa ne scilicet clandestinis conjugiiis abrogatis, iis nempe, quæ sine Parocho Viri & Mulieres celebrantur = *hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, pro ut eos in præsentibus Decreto irritos facit, & annullat* = sunt verba Concilii, posset id exasperare graviter Hæreticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla, & consequenter illegitima sobole, quoniam coram Catholico Parocho ac binis Testibus nunquam celebrata fuissent. Verum, Concilii Patribus sapienter in hunc modum statutis = *Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suam vobis post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ numerandos* = sicuti credibile non erat, Decretum ejusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur, quod eorum matrimonia sine præsentia Parochi, & duorum Testium facta, irrita nunquam dici potuissent; ut prosequitur Cardinalis Pallavicinus *loc. cit. cap. 8.*

Tandem cum prævideretur, facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini Decreti in qualibet Paræcia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num executioni demandata fuisset præscripta Conciliarii Decreti promulgatio, numque propterea vim suam obrinere deberet: approbante Pontifice Maximo, sancitum fuit a Congregatione Concilii, ad eandem promulgationem comprobendam, sufficere diuturnam observationem ejusdem Conciliarii Decreti, cujus publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonia in Paræciis coram Parocho, ac duobus testibus celebrata fuerunt: ut videre est in *Tricaricen. 26. Septembris 1602. lib. 10. Decretorum*, quæ existunt in Secretario ejusdem Congregationis *pag. 47.* & in quadam *Polonia 13. Novembris 1638. lib. 16. Decretorum eorundem pag. 117.* atque Nos ipsi observavimus in Opere nostro *de Synodo Diocesana* novissimæ editionis *lib. 12. cap. 5. num. 6.*

Fatemur autem, postrema hæc, quæ respiciunt Decretum abrogans clandestina

PONT. A XVIII. *stina conjugia, materiam quidem, non sic vero propositam quæstionem attingere. Verum, cum in Epistola tua summam diligentiam perspexerimus, ingratum Fraternitati tuæ nequitiam fore arbitrati sumus, si hæc omnia oculis tuis enucleate subjicerentur. Quod si nonnulla capita hucusque profecuti sumus ad materiam potius, quam ad petitionem, spectantia, Epistolam nostram eo cum responso concludimus, quod, non materiam, sed aliam petitionem tuam pertingit. Cum igitur tuis in litteris mentionem facias de facultate Prædecessori tuo ad decennium tributa, concedendi nempe Oratoria privata debitis cum cautelis, spectato videlicet loci decore, & personarum merito, atque insimul postules, eandem tibi facultatem largiri, lubenter annuimus ad annos decem, eo prorsus modo, quo illam Prædecessori tuo fuimus impertiti. Atque interea fraternitatem tuam amantissime complectentes, Tibi, ac universo Gregi sollicitudini tuæ concedito Apostolicam Benedictionem de plenitudine cordis largimur.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 19. Martii 1758. Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## D E C R E T U M

## B E N E D I C T U S P P . X I V .

*CUM Venerabilis Frater Archiepiscopus Goanus Apostolatum nostrum consulendum censuerit super quibusdam dubiis respicientibus validitatem matrimoniorum, quæ aliquando a fidelibus illius Civitatis, aut Diœcesis oriundis, contrahuntur extra ipsius jurisdictionis fines, non servata forma a Sacro Concilio Tridentino statuta, propterea quod ejusdem Concilii Decretum de Reformatione Matrimonii in locis illius Diœcesis finitimis numquam promulgatum rite fuerit; Nos quidem ad proposita dubia per Epistolam Nostram eidem Archiepiscopo directam prolixius respondere non detrectavimus, eamque in rem, inter alia, usi sumus auctoritate quarundam litterarum sel. record. Prædecessoris Nostri Urbani Papæ VIII. quæ cum a privatis Scriptoribus relatæ dumtaxat legantur, sed neque communibus Bullariis hæcenus insertæ, nec alia solemnitate publicatæ reperiantur, Nos earundem tenorem, cum authenticis hujus Apostolicæ Sedis Regestis collatum, subjicimus, qui talis est, videlicet.*

## U R B A N U S P A P A V I I I .

*Ad Futuram Rei Memoriam.*

*EXponi nobis fecit Venerabilis frater Archiepiscopus Coloniensis, quod habito nuper per eum ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, & Sacri Concilii Tridentini Interpretes, recursu super infrascriptis dubiis, videlicet: Primo, An incolæ tam masculi, quam femine loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine Parocho, & Testibus contrahere? Secundo, quid, si eo predicti incolæ tam masculi, quam femine, solo animo sine Parocho & Testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutant? Tertio, Quid, si iidem incolæ tam masculi, quam femine, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, & Testibus contrahant? Iidem Cardinales ad primum, & secundum, non esse legitimum matrimonium, inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude: Ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum, responderunt, & resolverunt, prout in Decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebatur, dictus Archiepiscopus responsum, seu dubiorum predictorum resolutionem hujusmodi, pro illius subsistentia firmiori, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos eundem Archiepiscopum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, supplicationes illius nomine Nobis super hoc*

PONT. humiliter porrectis inclinati responsum, seu dubiorum prædictorum, resolutionem ANNO  
 hujusmodi Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & confirmamus,  
 illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: decernentes, illud, seu 1758  
 illam, necnon præsentis Litteras, valida, firma, & efficacia existere, & fore,  
 suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque, & juxta illa  
 per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Aposto-  
 lici Auditores, judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super  
 his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari:  
 Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque con-  
 trariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Augu-  
 sti MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno V.

UT autem de hujusmodi Litterarum auctoritate dubitari minime valeat, Nos  
 iterum eas Apostolica Auctoritate Nostra, & præsentis Decreti tenore, in  
 omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus, ac novo hujusmodi ap-  
 probationis, & confirmationis robore communitas, ad prædictum Archiepis-  
 copum transmittimus; mandantes eidem, ut in occurrentibus casibus circa per-  
 sonas ex ipsius Civitatibus, aut Diocesi oriundas, seu alias in causis ejusdem ge-  
 neris ad illius judicium legitime delegatis, iuxta earundem litterarum conti-  
 nentiam, & tenorem decerneret, judicaret, atque definiat, contrariis quibuscum-  
 que non obstantibus.

Volimus autem, ut in nostræ hujus approbationis, & confirmationis mo-  
 numentum, præsentis Decreti nostri exempla, a Nobis subscripta, in Actis  
 Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium prædicti  
 Concilii Tridentini Interpretum, necnon in secreto Archivio Nostro Vaticano  
 reponatur, ibique perpetuo asserventur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 19. Martii MDCCLVIII.  
 Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Ita decernimus, & mandamus.

Benedictus Papa XIV.

E U N I S.

# INDEX ARGUMENTORUM

## SECUNDÆ PARTIS.

PONT. A. VIII.	ANNO 1748
LXIII.	7
LXIV.	2
LXV.	7
LXVI.	17
LXVII.	20
LXVIII.	25
PONT. A. IX.	34
LXIX.	20
LXX.	37
LXXI.	42
PONT. A. X.	47
LXXII.	60
LXXIII.	62
LXXIV.	99
LXXV.	100
LXXVI.	100
LXXVII.	104
PONT. A. XI.	106

	<b>A</b> d Archiepiscopos, & Episcopos Ditionis temporalis Pontificiæ super Bacchanalibus. 1. Januarii. 1748.	Pag. 3
	De Ordine Servando in Causis super nullitate Professionis Regularis. 2. Martii 1748.	2
	Præscribitur Ritus impertiendi Pontificiam benedictionem super Populum, servandus a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujusmodi statis diebus a Sancta Sede indulta fuit. 19. Martii 1748.	7
	Ad Poloniæ Regni Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos: de concessione, & executione dispensationum Apostolicarum supra impedimenti Matrimonii. 29. Junii. 1748.	17
	Super designatione Confessariorum extraordinariorum pro Monialibus. 5. Augusti 1748.	20
	De Concessione & executione dispensationum Matrimonialium: Altera Epistola ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ. 7. Augusti 1748.	25
	Decretum quo prohibetur cuilibet in posterum Libros, Scripturas, aliaque Opera quæcumque Typis imprimere, seu aliter in lucem edere, in quibus de imminutione dierum Fæstorum de Præcepto, siue pro, siue contra eam agatur. 14. Novembris 1748.	34
	De Matrimonii validitate inter virum Judæum, & mulierem Hereticam. Expenduntur Leges Hebræorum, & Leges Imperiales quoad Virum: Canones, & Ecclesiastica consuetudo, ejusque vis, quoad Mulierem. 9. Februarii 1749.	37
	De Ecclesiarum cultu, & nitore; de Officiorum Ecclesiasticorum, & Musices ratione, Epistola Encyclica, occasione imminentis Anni Sancti, ad Episcopos per Ditionem Ecclesiasticam constitutos scripta. 19. Februarii 1749.	42
	Ad Monasteria Monialium, ne quis etiã exemptus, & Ecclesiastica Dignitate præfulgens, accedat, siue Ordinarii Localis permisso. Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios per Ecclesiasticam Ditionem constitutos. 31. Octobris 1749.	47
	De questionibus, & controversiis olim excitatis circa opera injuncta pro Jubilæi acquisitione, & circa Facultates concessas, earumque usum, quæ per præcedentes Constitutiones sublata fuerunt: Epistola Encyclica ad Pœnitentarios, & Confessarios pro Anno Sancto in urbe deputatos. 3. Decembris 1749.	60
	Parochi Jurisdictio in Tertiarias conviventes intra Parœciæ fines. 17. Septembris 1749.	62
	Tribunali Sanctæ Inquisitionis in Portugallia, & Algarbiorum Regnis adjudicatur cognitio Pœnitentiæ Causarum contra Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina cum denegatione absolutionis, eaque in re delinquentes, etiam sine suspitione prævi dogmatis, sine Inquisitionis Officio denunciari subentur. 13. Decembris 1749.	99
	Regulares Apostatæ ad suos Ordines cum pœnarum condonatione revocantur. 12. Januarii 1749.	100
	Circa Immunitatem Localem nonnulla dubia declarantur post Constitutiones Benedicti XIII. & Clementis XII. excitata; aliaque opportune statuuntur, præcipiuntur. 15. Martii 1749.	104
	Extensio universalis Jubilæi in Urbe celebrati Anno Domini Milleesimo septingentesimo.	106

- LXXVII. *gentesimo quinquagesimo, ad universum Catholicum Orbem. 25. Decembris ANNO 1750.* 113
- LXXIX. *Jejunium Vigiliæ S. Mattheæ Apostoli Anno 1751. occurrentis ultima die Carnivalis privi transferri posse permittitur in Sabbatum Sexagesimæ. 30. Jan. 1750.* 118
- LXXX. *De Extrahione Reorum ad Sacræ Inquisitionis Officium spectantium a Locis immunitibus, ad quæ forte confugerint. 20. Februarii 1751.* 123 ANNO
- LXXXI. *De tollendis Abusibus ab Oratoriis privatis, quæ sunt in domibus Laicorum. 2. Junii 1751.* 125 1751
- LXXXII. *De his, quæ vetita sunt Hebræis habitantibus in iisdem Civitatibus. & Locis, in quibus habitant Christiani. 14. Junii 1751.* 137
- LXXXIII. *Nonnullæ societates, seu Conventicula de Liberi Muratori, seu des Francs Maçons, vel aliter nuncupata, iterum damnantur, & prohibentur: cum invocatione brachii, & auxilium Sæcularium Principum, & Potestatum. 18. Maii 1752.* ANNO 1751. 141
- A. XII. *De Bonis Ecclesiarum quæ semel ab Infidelibus occupata, deinde in Christiano ANNO potestatem devenerunt. 19. Martii 1752.* 145
- LXXXV. *Damnantur, & prohibentur quinque propositiones Duellorum abusi faventes, veteresque Leges adversus Duellantes editæ immovantur, ac novis superradditis penalibus Sanctionibus confirmatur. 10. Novembris 1752.* 157
- LXXXVI. *De ritu, & usu Cerearum, quæ benedici, & consecrari solent a Romano Pontifice. 1752.* 161
- A. XIII. *Confirmantur, & declarantur Constitutiones Prædecessorum Romanorum Pontificum ANNO super vetita armorum delatione, & venditione. 15. Januarii 1753.* 162
- PONT. *Encyclicæ Literæ Ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos Italiæ. 1754*
- A. XIV. *Quibus hortantur, ut veteribus nova superradant pastoralis sollicitudinis studia, LXXXIIII ut Christiani fideles, in rudimentis Fidei insituantur, & erudiantur. 26. Junii ANNO 1754.* 166
- LXXXIX. *Ne Christiani fideles sub Turcarum ditione versantes, ad occultandam Christianæ Religionis Professionem, Mahumetana Nomina sibi imponant, iisque se compelli patiuntur. 1. Augusti 1754.* 168
- S. XV. *Pueros ante usum Rationis in odium Christi occisos, an canonizari expediat, disquiritur, & in hanc rem plura de Martyrio horum Puerorum, cultuque publico iisdem in Ecclesia præstito; & de Martyrio cuiusque præsertim B. Andreæ Rinnensis, cujus institutæ Canonizationis causa conscribendæ Epistolæ occasio fuit, distinctim adnotantur. 27. Julii. 1755.* 170
- ICI. *Ad incendium compescendum Ad Ecclesiam S. Nicolai in Carcere exortum, minus rite allatum fuisse ex Ecclesia Sacram Pyxidem Sanctissimum Sacramentum intercludentem, eaque super populum, & ad furentes flammæ benedictum, rationibus, pluribusque atlatis Ecclesiasticis sanctionibus, demonstratur; & ne tale quid exinde fiat opportune sancitur. 27. Julii 1755.* 184
- PONT. *Refractarii Constitutioni Unigenitus an, & quando SS. Corporis Christi Viaticum denegari debeat Encyclicæ hac Epistola definitur. 16. Octobris 1756.* ANNO 1756. 195
- XCII. *Celebratio trium Missarum Natalitio Christi die præcipuus Latine & Ecclesiæ Ritus demonstratur: itaque universim ab Orientalibus, præsertim vero ab Armenis Ligurno in Portu commorantibus non usurpandus. 29. Decembris 1756.* 199
- PONT. *Confirmatur Motus proprius S. Pii V. & Constitutio Urbani VIII. contra tendentes monetas aureas, & argenteas: nec non Banimenta, & Decreta adversus falsificantes, alterantes, ac expendentes Cedulas Montis Pietatis, & Mensæ Nummarie Sancti Spiritus: & penæ in illis inflictæ ad omnes Ecclesiasticas personas extenduntur. 31. Octobris 1756.* ANNO 1757 202
- XCIII. *Præscribitur ratio Constituendi Processus tum super statu Ecclesiarum in partibus Infidelium existentium, & Populum Fidelem habentium, quarum provisiones in Congregatione de Propaganda Fide proponuntur; tum supra meritis præsciendorum iisdem Ecclesiis. 18. Januarii. 1757.* 205

INDEX ARGUMENTORUM.


247


- XCVI.** Confirmatur Decretum Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium uni-  
 versali adversus hæreticam pravitatem Inquisitioni Præpositorum, coram Sancti-  
 tate Sua habitæ, pro tollendis conciliandisque dissidiis & controversiis, inter nonnullos  
 Antistes Indiarum Occidentalium, & Missionarios Societatis Jesu, exortis, super  
 concessione dispensationum Matrimonialium, juxta facultates ab Apostolica Sede u-  
 triusque concedi solitas. 16. Januarii 1757. 211
- XCVII.** Missam celebrantes, aut Fidelium Confessiones excipientes ad Presbyteratus Ordi-  
 nem non promoti, quibus pœnis ex sacrorum Canonum, & Apostolicarum Consti-  
 tutionum præscripto subjiciantur; quæ praxis hætenus in Judiciis adversus hujus-  
 modi reos sit servata, & quomodo in posterum sit providendum. 2. Augusti.  
 1757. 211
- XCVII.** Celebrantibus Missam, aut Fidelium Confessiones excipientibus, sine Sacerdotali  
 Charactere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil sus-  
 fragatur decernitur, ad evadendam pœnam traditionis biennio seculari, indictam  
 in Constitutionibus Apostolicis. 2. Augusti 1757. 222
- PONT.** Epistola S. D. N. Benedicti Papæ XIV. Ad Reverendissimum Dominum Ignatium  
 A. XVII. Realem Primum Pontificiarum Cæremoniarum Magistrum de celebratione Missæ a  
 XCIX. Sedente. 28. Octobris 1757. 224
- C.** Epistola Sanctissimi Domini nostri Benedicti PP. XIV. Super quibusdam dubiis  
 respicientibus validitatem Matrimoniorum. 19. Martii 1758. 237

ANNO  
1758

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO









00042503

